24,862/B

R

GMELIN, J.F.

APPARATVS
MEDICAMINVM
TAM SIMPLICIVM
QVAM
PRAEPARATORVM ET COMPOSITORVM
IN
PRAXEOS ADIVMENTVM
CONSIDERATVS.

P. II.
REGNVM MINERALE
COMPLECTENS.
VOL. I.

AVCTORE

IO. FRID. GMELIN

AVLAE REGIAE CONSILIARIO, PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE, HVIVS PROFESSORE P. O. ACADEMIARVM CAESAREAE NATVRAE CVRIOSORVM, SCIENTIARVM ELECTORALIS MOGVNTINAE ERFORDIENSIS, ATQVE IMPERIALIS PETROPOLITANAE, SOCIETATVM SCIENTIARVM REGIAE GOETTINGENSIS, OECONOMICAE PETROPOLITANAE, PHYSICAE PERINDE AC MEDICORVM TIGVRINAE, ET METALLICAE SODALI.

GOETTINGAE
APVD IOANN. CHRIST. DIETERICH
1795.

312669

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

Praefatio.

Progredior ergo ad exſequendam demandatam mihi a bibliopola prouinciam, egregium atque omnium applauſu coronatum opus B. MVRRAYI, Collegae olim coniunctiſſimi, continuaturus, in quo quidem labore veſtigia anteceſſoris preſſe ſequi, et, quas ille ſibi praeſcripſerat leges, religioſe obſeruare mecum conſtitui; eo enim conſilio B. Vir ſuum exarabat apparatum, vt non ſelectam modo medicamentorum penum enarraret, non ſalutares modo commemoraret virtutes, ſed ex eius mente hic apparatus debebat complecti, niſi omnia, plurima tamen, et nunc et olim a medicis adhibita remedia, cuicunque nunc rationali aut empirico, pathologico et therapeutico ſyſtemati fuerint adſtipulati; debebat eſſe codex, in quo reperias in ordinem quendam digeſta haec omnia ſiue ſimplicia, ſiue compoſita et praeparata, cum ſubnexo iudicio, in experientia atque argu-

mentis,

mentis, quae lux noſtris temporibus ſcientiae naturali ac ſalutari plenius affulgens ſuppeditat, fundato, in quo inuenias etiam noxas, a variis corporibus homini imminentes et illatas deſcriptas, exemplis illuſtratas, vna cum medela, cuius vſu praeuertere ac tollere illas poſſis.

Ita initium faciens a medicamentis minerali regno attributis, omnia, praeter argentum viuum, quod alterum volumen explebit, ſub hoc militantia, hic ſiſto, in recenſendis metallis, quod rei natura ſuadere mihi videbatur, iis potiſſimum, quae inter venena non immerito fuere relata, arſenico, cupro, plumbo, et decantato tantopere a chemica medicorum ſecta antimonio omnino fuſior.

Nomina adieci tum ea, quae iam dudum in officinis valent, tum ea, quae ab autoribus, qui illa medicamina inuenerunt aut commendarunt, ipſis fuere impoſita, tum ſyſtematica, ex LINNAEI ſcriptis petita, tum chemica vtriusque ſyſtematis, vt vnusquisque pro ſuo ingenio et perſuaſione vti tanto facilius hoc libro poſſit. Dabam e muſeo d. 29. Mart. 1795.

I. TERRAE

I. TERRAE ET LAPIDES.

A. PONDEROSAE.

LINN. *Syſt. nat. III. p.* 79 *ſq.*

SPATVM PONDEROSVM.

LINN. *Syſt. nat. III. p.* 81.

Barytis vitriolata inſigni pondere ſpecifico proxime ad pondus corporum metallicorum accedente (=4500), fragilitate, textura lamellari, nitore quaſi vitreo, indole, et cum aqua, et cum acidis, niſi calore bulliente foueantur, omne connubium renuente, atque per ignis violentiam in puluerem fatiſcente, qui neque arena addita neque omiſſa cum aqua in paſtam ad aerem indureſcentem ſubigi poteſt, facile dignoſcendum.

Spatum ponderoſum ipſum omni, quantum quidem hactenus conſtat, in corpus animale efficacia caret, quamuis affinis illi materies, terra ponderoſa aerata natiua, ſiue Witherites, vt iam dudum a B. LEIGH (Natural hiſtory of Lancaſhire,

 Cheſhi-

Cheſhire etc. Oxford 1700. fol. p. 70. 71.) et nuperius a Viris Clariſſimis WATTIO iuniori (Memoirs of the litterary and philoſophical ſociety of Mancheſter Vol. III. p. 609 ſq.) HENRY (ibid. p. 614.) et Coniunctiſſ. BLVMENBACHIO (*Bergmänniſches Iourn.* ann. 4. p. 1. p. 434.) veneni animalibus funeſtiſſimi crimine notata ſit.

Egregia tamen, et modo caute adhibeatur, ſalutari quam maxime efficacia pollere paratam ex eo Terram ponderoſam ſalitam ſ. Barytin ſalitam, ſiue Muriatam baryticam, recentiora teſtantur experimenta; ea autem circumſpectione in hoc labore opus eſt, vt ſeligatur ſpatum omni metallica, ſiue arſenici, ſiue cupri, ſiue plumbi, quae omnia nocentiſſimum reddere poſſent medicamen, ſiue ferri, aut magneſiae nigrae, quae immutare certe eius vires poſſent, labe purum; quod quum neque ſemper ex arbitrio pharmacopoei pendeat, neque ſemper ex notis externis eluceſcat, in hoc labore ita procedendum eſt: Puluis ſpati tenuiſſimus cum cinerum clauellatorum depuratorum dupla portione terendo exacte miſtus in catillo haſſiaco altero inuerſo contecto igni, quo candeat, per tres vel quatuor horas exponitur, et maſſa coagulata ex refrigerato catillo exemta et in puluerem contuſa iterato et toties cum aqua diſtillata coquitur, donec haec inſipida a coctione redeat.

Spati terra ſic a vitrioli acido liberata (cuius in locum terra ponderoſa aërata natiua, modo pura ſit, ſubſtitui poteſt,) ſalis ſpiritui puro per portio-

portiones ingeritur, donec hic, quamuis calore externo vis eius augeatur, nihil amplius diſſoluat, et nullas amplius acidi praedominantis notas oſtendat; quo facto per chartam traiectus cum noua terrae ponderoſae portione (ratione ſpati ponderoſi primo experimento adhibiti $\frac{1}{20}$), poſtquam haec igni candenti expoſita fuerat, leni calori, et, ſi quidem hac ſoluta inſtillata aëre hepatico foeta aqua obſcurum, metallici quid adhuc ineſſe arguens, ſedimentum praecipitet, cum tertia adhuc portione exponitur, et per filtrum traiectus eo vsque, donec cryſtallorum rudimenta in ſuperficie appareant, leni calore ſenſim humore ſuo orbatus frigori nunc expoſitus, cryſtallos dimittit, in charta bibula ſiccandas, quae ſi quando tinctu ſuo ferri particulam adhuc inhaerentem prodant, aqua denuo ſolui, ſolutioni excalefactae noua iterato, donec non amplius ſoluatur, terrae ponderoſae portio iniici, liquor denuo per chartam traiici, et modo iam memorato, vt in cryſtallos abeat, tractari debet (C. A. HOFFMANN *chem. Annal.* 1792. I. p. 123. WESTRVMB ibid. p. 390. et *chemiſch. Abhandl.* Hannov. 8. I. 1793. p. 215 ſqq. BVCHOLTZ *chemiſch. Unterſuchungen über die vorgeblich giſtigen Eigenſchaften des Witherits der Schwererde und der ſalzſauren Schwererde.* Weimar 1792. 8. p. 55.)

Harum cryſtallorum acri ſatis ſapore pollentium drachma dimidia vncia vna aquae diſtillatae ſoluitur, huiusque ſolutionis guttae infantibus 10-20, aliquando ſyrupo rubi idaei temperatae, adultis 30-60 aliquoties per diem repetitae exhi-

bentur, aut in guttis a Cel. CRAWFORD denominatis grana 4 binis aquae diſtillatae vnciis diſſoluuntur, eiusque liquoris guttae 50-100. aegris ingeruntur.

Negari tamen non poteſt, hanc medicinam, quemadmodum ſal, quod baſin eius conſtituit, canibus ingeſtum (WATT iunior l. c. p. 213.) vomitum aluique profluuium excitauit, in hominibus quoque tormina et continuato vſu vomitiones atque alui fluxum cauſſari, digeſtionis officinam debilitare, et neruis infenſam eſſe: Quum praeterea per alia atque alia corpora ſeparari iterum poſſit ab acido terra, tunc, ſi aërem fixum, quem vocant, attraxerit, facile funeſta, cauendum eſt medico, ne cum aqua fontana, ſalibus alcalinis, terreſtribus, metallicis, cum tartaro ſtibiato aliisque ex antimonio confectis medicaminibus (I. A. SCHMIDT de baryte muriato. Lipſ. 1793. 8.) exhibeat, neque ventriculo, niſi per praegreſſum laxantis remedii vſum mundato, ingerat.

His cautelis adhibitis virtutem diaphoreticam, diureticam, refrigerantem, reſoluentem, irritantem exercere teſtes ſunt Vir. Clariſſ. CRAWFORD (medical communicat. London 1790. I. n. 25.), HVFELAND (*Erfahrungen über die Kräfte und den Gebrauch der ſalzſauren Schwererde in verſchiedenen Krankheiten.* Erfurt 1792.) BVCHOLTZ (l. c.) et apud eum ABT, WESTRVMB (l. c. p. 217. 269 ſqq.) et apud eum (l. m. c. p. 216. 217.) SCHERF, CONRADI, SCHAEFER, poſteriorem eo gradu, vt non modo in morbis ſpaſticis ſimilibusque alio-

rum

rum morborum ſymptomatibus euitandus ſit eius vſus, ſed etiam, ſi hominibus paulo ſenſibilioribus praeſcribatur, guttulis aliquot aquae ex foliis laucoceraſi diſtillatae temperandum ſuadeant liquorem nonnulli medici. Quamuis igitur in hepatis infarctibus, in rhachitide, vlceribus arthriticis, fungo articulorum, ſaepius in cancro, phthiſi (SCHMIDT l. c.) absque omni fructu adhibitus fuerit ille liquor, mirifice tamen, memoratis cautelis non praetermiſſis, profuit in ſcrophulis, (BERNIGAV ſpecim. ſiſt. obſeruationes quasdam de corticis vlmi et terrae ponderoſae ſalitae vſu medico. Erford. 4. p. 9-11. ALTHOF de efficacia terrae ponderoſae ſalitae in praxi obſeruata. Goetting. 1794. 4. p. 6-8.) ſtrumis (BERNIGAV l. c. p. 9. 12.) ſcirrhis, cancris, meſenterii (ALTHOF l. m. c. p. 8.) aliarumque glandularum infarctibus atque indurationibus, niſi nimium prouectis (CRAWFORD medic. Commun. l. c. et ap. WATT iun. bergm. Iourn. 1790. 2. p. 224. HVFELAND et BVCHOLZ ll. cc.) WESTRVMB l. c. p. 270-272.) SCHMIDT (l. c.), praeſertim ſi humorum circuitus languebat, et vires aegri infractae erant, tanto citius, ſi partibus affectis extrinſecus quoque applicari poterat liquor, aut ferreorum (CRAWFORD med. communic. l. c.) remediorum vſus ſimul praeſcribebatur; ita etiam in ophthalmia ſcrophuloſa, ſcirrho teſticulorum (v. praeter. alios cl. KAPP ap. BVCHOLZ l. c. p. 60.), tuberculis pulmonum opem praeſtitiſſe fertur: egregium pariter expertus eſt eius ſolutionis aqua temperatae et ſaccharo edulcatae vſum in vlceribus ſuperficialibus ſcrophuloſis iam per 4 et 6 annos aegros affligentibus et neque mer-

curii ad ſaliuae vsque fluxum exhibiti vſui, neque decocto lignorum cedentibus, ter per diem, principio 15, poſtea 30 guttas exhibendo, et per 4 menſes pergendo I. CLARCK ap. ANDR. DVNCAN (medic. comm. for the year 1791. Dec. 2. Vol. 6. 1792. 8. n. 3.), exiguum et crebro nullum FERRIAR (medical hiſtories and relections Warrington and Lond. 1792. 8. n. IX. p. 170.) alii inter noſtrates medici: In fluore albo, morbis aſthmaticis, ipſis interdum exanthematicis incaſſum tentauit ALTHOF l. c. p. 12. 13. in ſcrophulis R. HAMILTON on ſcrophulous affections with remarks on ſcirrhus, cancer and rachitis. Lond. 1791. 8. Sect. III.

Commendarunt alii hoc medicamen in exanthematibus chronicis pertinacibus (ALTHOF l.c. p. 9-11. BERNIGAV l. c. p. 9 et apud eum Ill. STARKE ibid.) v. g. tinea, lichenibus, ſcabie (SCHMIDT l. c.); in vlceribus ac bubonibus aliisque malis venereis experti ſunt efficacem ALTHOF (l.c. p. 11.) et apud eum HVBER et VOGEL; alii ad incidendam pituitam, aut pulmones (e. gr. in aſthmate pituitoſo) aut ventriculum obruentem, et praeeunte Anglo Medico WILLIS (ap. WATT iun. *bergm. Iourn.* l. c.) Clariſſ. HVFELAND (l. c.) WESTRVMB (l. c. p. 270.) BERNIGAV l. c. p. 11. 12. et KLOHTS *mediciniſche Bemerkungen über die Wirkſamkeit und den Gebrauch der ſalzſauren Schwererde.* Zerbſt 1793. 8.) tanquam potentiſſimum ad eiiciendas ex inteſtinorum tubo aſcarides inſtrumentum.

B. TER-

B. TERRAE LAPIDESQVE CALCAREAE.

LINN. *Syſt. nat. III. p.* 85 *ſqq.*

a. PVRIORES.

LINN. *Syſt. nat. III. p.* 85-108.

Viua, quando a liquoribus acidis continguntur, efferueſcentia, facili in his ſolutione, et inſtillato vitrioli aut acetoſellae acido, facili ex reliquis acidis ſpecie ſedimenti albi praecipitatione, calce potiſſimum viua, quam violento igne vſtae exhibent, non difficulter a reliquis terreis diſcernendae.

Calx haec ex omnibus harum terrarum lapidumque ſpeciebus quanto purioribus tanto melior ignis candentis vi obtinenda non amplius quidem efferueſcit cum acidis liquoribus, verum ebullit atque exaeſtuat ab aqua et laticibus aquoſis, quamuis frigidiſſimis affuſis, in his ſenſim pultis formam adſciſcens, cum aqua et arena in paſtae ſpeciem ſubacta aërique expoſita indureſcit, ſicca autem ſi aëris contactui diu opportuna ſit, in puluerem fatiſcit, ſenſim tenuiorem, easque dotes, quibus recens atque intemerata gaudebat, certa pro parte amittit; tantam, recens potiſſimum, in animalium partes acrimoniam exercens, vt ad purgandas a pilis, carne, pinguedine pelles ea vtantur coriarii, ſimilem in ſcopum multi alii artifices.

Calx haec caemento ad aedes exſtruendas neceſſario totque aliis in vita communi, opificiis, fa-

 bricis,

bricis, artibus vſibus, celebris, emendando ſolum rei ruſticae proficua, a Medicis quoque ſalutem civium publicam curantibus ad contegenda cadauera, excrementa aliasque putreſcentes animalium partes earumque noxias exhalationes arcendas commendata, ad parandum ſalem cauſticum, ſpiritum ſalis ammoniaci cauſticum et alia medicamenta vſitata, propter ſuam acrimoniam vix alio niſi externo vſu adhibetur, tunc quoque aut melle aut ſaponis nigri vel veneti aequali, aut farinae auenaceae dupla portione et lardo porcino temperata: Ita poſt CAELIVM AVRELIANVM, qui (de morbis chronicis L. II. c. 1. edit. Ammanni. Amſtelaed. 1722. 4. p. 355.) membra paralytica praeter alia calce quoque viua aſperſa fricari iubet, Ill. TISSOT (*Anleitung für das Landvolk, überſ. von* HIRZEL. Zür. 1762. 8. p. 191.) et B. HAEN (ration. medend. P. IV. C. 4. p. 156.) calcem viuam cum melle, poſterior quoque cum unguentis miſtam in coxario morbo efficaciſſimam deprehendit. Calcem viuam cum ſapone commiſtam et aceto acerrimo humectatam inter vſitatiſſima ſui temporis eſcharotica refert SEVERINVS (Trimembris Chirurgia Ed. nouiſſ. Lugd. Bat. 1725. 4. p. 152.); miſturam ex calce et ſapone in verrucis, tuberculis, excreſcentiis, farcomatibus, tumoribus cyſticis, naeuis maternis et ſcirrhis exedendis eximiam habere vim, teſtis locupletiſſimus eſt HEISTERVS (inſtit. Chirurg. Amſtel. 1739. 4. p. 473.) naeuos maternos, in ipſa adeo facie conſpicuos, tuto delere, et poſt 12 horas in eſcharam conuerſos ſubſequente ſuppuratione penitus exſtirpare expertum ſe eſſe aſſeuerat

Z. VO-

Z. VOGEL (*anatomiſche chirurgiſche und mediciniſche Beobachtungen und Unterſuchungen.*. Roſt. 8. 1759. p. 263.) Inter remedia naeuis maternis delendis paria calcem pariter refert M. B. VALENTINI (praxis medicinae. Francof. ad Moen. 1711. 4. p. 7.) Cum farina auenacea et lardo in cataplaſmatis formam ſubactam, et pollicis craſſitie linteo ſuperinductam tum ad maturandos abſceſſus, tum ſi calida imponatur, et ſingulis nycthemeris renouetur, continuato per menſem et vlterius vſu ad ſanandos articulorum fungum aliosque eorum tumores hydropicos potentiſſimam recentius praedicat FALCONER (Practic. diſſertat. on the medical effects of Bathwater. Bath and Lond. 1790. 8. p. 153-155.).

Frequentiori longe, eoque etiam interno vſu venit medicis parata ex hac calce

Aqua calcis, infundendo calci recenter vſtae aquae, melius calidae (qua minus ingratum ſaporem contrahere perhibetur) quam frigidae octo ad decem partes, agitando aliquoties cum hac, temporisque ſpatio elapſo defundendo atque per linteum traiiciendo confecta, quae ſi proba ſit, ſapore ſibi proprio ſubadſtringente facile diſtinguenda, clara et limpida, ad aërem cuticulam (cremorem appellant) in ſuperficie contrahit, a cinerum clauellatorem lixiuio turbatur, et ſali ammoniaco in puluerem contuſo larga ſatis copia ſuperinfuſa aërem (ſiue gas) alcalinum exturbat, odore acri nares ferientem, has vero dotes vna cum virtute ſalutari amittit aliquandiu aſſeruata vel cocta, vel cum corporibus aëre fixo aut vitrioli, phoſphori, acetoſellae,

tartariue acido aut principio adſtringente grauidis combinata; hinc recens ſemper et frigida vel ſaltim tepida a medicis adhibenda, atque euitanda, dum adhibetur, omnia, quae vnum alterumue memoratorum principiorum in ſe continent.

Salibus lixiuioſis affinis acidum domat; hinc in acido primas vias obſidente variisque ex eo fonte promanantibus malis proficit (PRINGLE obſervat. on the diſeaſes of the army in camp and garriſon. Lond. 8. 1752. p. 415.); putredini reſiſtit (V. HALES philoſophical transactions vol. 48. p. 2. for 1754. n. 104. p. 826. et MACBRIDE *durch Erfahrungen erläuterte Verſuche aus dem Engl. überſ. von* CONR. RAHN. Zürich 1766. 8. p. 132 ſqq.); hinc a nonnullis externo vſu in gangraena et ſphacelo commendata; ea forte de cauſſa in vlcere cruris ſcorbutico (GRAHAM medical obſervations and inquiries by a ſociety of phyſicians in Lond. 8. vol. I. p. 23. p. 286.), tum pota per menſes ad tres vsque libras per diem, tum fomentorum ſpecie parti aegrotae adplicata, et (PLATNER ars medendi ſingulis morbis accommodata p. 401. BOERHAAVE elem. chem. 2. p. 316.) in ſcorbuto ipſo, quem vocant, frigido, eiusque ſequelis; in cancro, ſi quidem mane et veſperi ſex vel octo eius vnciae aequali copia aquae cum radice ſaſſaparillae vel ligno guaiaco coctae temperatae potabantur, et ſingulis quatuor vel octo diebus pilulae, quas a Becchero balſamicas nominabant, ſumebantur (R. A. VOGEL diſſ. de curatione cancri occulti et aperti per aquam calcis viuae potam praeſtita. Goett. 1769. 4.) et

in ipſa adeo pertinaciori dyſenteria tertia lactis parte diluta et per octo dies continuos potata (BVRLET mem. de l'Acad. des ſcienc. à Par. 1700. p. 168.) per ſingulos trium hebdomadum continuarum dies ad tres vsque libras hauſta (GRAINGER eſſays and obſervations read before a Society at Edinburgh. 8. vol. 2. 1756. n. 14. p. 262.) aliquando efficax; a NAVIER (Contrepoiſons de l'arſenic, du ſublimé corroſif, du verd de gris et du plomb. à Paris 1777. 8. 1. p. 69.) pariter lacti nupta ad debellandum, ſi corpus ingreſſum ſit, arſenici virus commendata.

Poterat tamen in alui fluxu vi ſua exſiccante ſiue humorem ſugente perinde prodeſſe haec aqua; eo titulo praedicata, in vlceribus tam oſſium, quam partium molliorum tum externarum tum ipſarum internarum (MORTON oper. med. Amſtelaed. 1696. III. c. 14. et Geneu. 1727. 4. p. 148.) oris, ipſis adeo venereis (HECKER *Anweiſung die veneriſchen Krankheiten genau zu erkennen und richtig zu behandeln.* Erfurt 1791. 8.), vteri (DETHARDING de aquae calcis viuae vſu interno ſalutari. Roſtock 1746. §. 11.), ſaſſaparillae decocto iuncta, veſicae vrinariae (MOLINARI nov. act. ac. Caeſ. Natur. Curioſorum. T. III. 1767. et OLLENROT ap. SCHMVCKER *vermiſcht. Schrift.* 2. p. 110.), et pota cum lacte, aut corticis peruuiani decocto atque iniecta ipſorum adeo pulmonum (OLLENROT et DETHARDING ll. cc.) intus ſumta; a QVARINO tamen in eo malo nunc iners, nunc ſi recens ſit, noxia inuenta: An eadem ſit cauſſa efficacitatis, quam iniectae in vrethram, balnei et fotus ſpecie adplicitae aquae calcis

tribuit

tribuit in ſananda gonorrhoea experientia nixus Ill. GIRTANNER (*Abhandl. über die veneriſchen Krankheiten.* Gött. 8. 1788. p. 117. 126. 127.) an ex eo fonte promanet vis eius extrinſecus adhibitae in panaritio, ſaccharo ſaturni foetae (JAEGER *funfzig chirurgiſch practiſche Cautelen für angehende Wundärzte.* Francfurt 1788. 8.), vis in vitiligine et lepra iam ab HIPPOCRATE (Επιδημιων L. 2. Sect. 5. Oper. cura Foeſii editor. Francf. 1624. p. 1046.), in tinea et ſcabie pertinaci aliisque exanthematibus chronicis humidis ab aliis (DETHARDING l. c. theſ. 4. S. 1 - 11. KAEMPF *Abhandlung von einer neuen Methode die hartnäckigſte Krankheiten im Unterleibe zu heilen.* Deſſau und Leipz. 1784. 8. p. 23.) praedicata, in his etiam frequentius epota, et ipſis nutricibus labe eiusmodi infectis, ne in alumnum tranſeat, vel vt tenelli infantes ea iam vexati liberentur, exhibitae, iudicatu difficilius videtur. Ab ea facultate ſiccante deriues quoque felicem huius aquae extrinſecus ſolummodo applicatae in tumoribus hydropicis curandis ſucceſſum, vt FABRITIVS *ab Aquapendente* (Oper. chirurgic. Francof. 1620. 8. p. 234.) ſola ſpongia aqua calcis viuae irrigata totumque abdomen comprehendente et circumligata ſaepius hydropem ſe ſanaſſe, aſſeueret.

Ad hanc vim exſiccantem porro referre liceat, ſi quam exercet, prouti multis videtur, virtutem aquae calcis roborantem, quam in vitiis primarum viarum, a ſola laxitate oriundis, praeſertim ſi cum amaris remediis coniungitur praeter alios vtilem deprehendit MONRO (Treatiſe on medical and pharmacen-

maceutical chymiſtry and the materia medica. Lond. 1788. 8. Vol. I. c. 9. ſect. 1. n. 8.), et lenimen, quod cum tertia parte olei lini ſubacta et parti affectae allita, toties (MONRO l. c.) affert, ipſam forte in verrucis mollioribus et ſuppurantibus delendis vim (BELL ſyſtem of ſurgery. Edinb. 8. Vol. V. 1787.) atque opem, quam in lichenibus tulit (*Idem* treatiſe on the theory and management of ulcers. Edinb. 1778. 8.). Vtrum ab hac natales trahat, an a vi pituitam incidendi virtus eius vermes necandi ab ALSTONIO (diſſert. on Quicklime and Limewater. Edinb. 1784.) obſeruata, decidere nolim.

Incidere certe pituitam ex multis caſibus coniicere licet, ipſa eius lixiuioſae affinis indoles indigitare videtur; ſpiſſos humores reſoluere GABERI (miſcell. Taurinees. 1766. 3.) probant experimenta; ea facultate pars certe efficaciae, quam in cutaneis morbis febribusque intermittentibus toties a praeternaturali lymphae et ſanguinis ſpiſſitudine proficiſcentibus exſerit, nititur, ea potiſſimum virtus in ſcrophulis (MONRO et KAEMPF ll. cc. BOYLE medicin. experiments. Lond. 1692. 8. p. 82.) diſcutiendis, fundendo corio pleuritico (KAEMPF l. c.) reſerandis viſcerum, et glandularum, inprimis meſenterii obſtructionibus vel pertinaciſſimis (KAEMPF l. c.), conterendis adeo in ſanguine ipſo natis polypis (KAEMPF l. c.) celebrata, ea ſolatium, quod largius pota, interdum ſapone grauida, teſtibus ALSTON (l. c.) in febribus rheumaticis et malis podagram retrogradam inſequentibus, et WHYTT (Obſerva-

ſervations on the nature, cauſes and cure of thoſe diſorders, which are commonly called nervous. Lond. 1765. 8. p. 379.) et MACBRIDE (experimental eſſays. London 1764. 8. p. 254.) in malis arthriticis et podagricis attulit, vt adeo nodos arthriticos ea reſolui poſſe ſibi perſuaderet KAEMPF (l. c.), ea denique, vt mihi quidem videtur, auxilium, quod hominibus cum aliis atque aliis viarum vrinae vitiis conflictantibus, nephriticis (KAEMPF l. c.) et praecipue calculoſis (BASIL. VALENTINVS et BORRICHIVS ap. TH. BARTHOLINVM epiſtol. medicinal. cent. 4. n. 76. p. 451. ALSTON l. c. WHYTT eſſay on the virtue of limewater in the cure of ſtones. Edinb. 1756. 12. maj. p. 187. WALPOLE philoſophic. transactions. vol. 47. pro ann. 1751. et 1752. n. 9. p. 43. et n. 77. p. 472. BENNET theatr. theatr. tabid. p. 140.) tulit; calculum enim vrinae potiſſimum ex muco inſpiſſato atque indurato proficiſci, nuperius argumentis veriſimillimis demonſtrare annilus eſt AVSTIN (Treatiſe on the origin and component parts of the ſtone in the urinary bladder. London 1790. 8.)

Soluitur vtique ſedimentum vrinae, particulis ſalinis liberum, (BRVGNATELLI chem. Annal. 1787. 2. p. 111.), ſoluuntur multi in vrinae viis procreati calculi (ALSTON, WHYTT, MACBRIDE ll. cc. SCHEELE Kongl. Svensk. Academ. Handlingar vol. 37. p. 329.) in aquam calcis iniecti; at pota aqua tam multifarias iam in primis viis offendit materias, aëre fixo grauidas, quibus mutatur, ſuamque diſſoluentem vim amittit, (MACBRIDE l. c.)

vt

vt non mirum ſit, intrinſecus modo adhibitam medici (BERGIVS Kongl. Svensk. Vetenſk. Acad. Handl. 1777. trim. 4. art. 3.) ſpem fefelliſſe, et alii aut cum vſu interno iniiciendae in veſicam aquae calcis vſum (WHYTT l. c.) praeciperent, aut in poſteriore hoc vtendi modo, quo purior aqua atque intemerata fere calculum contingit, (LANGRISH phyſical experiments upon brutes etc. Lond. 1756. et W. BVTLER method of cure of the ſtone chiefly by injections. Edinb. 1754. 12. maj.) acquieſcerent: Accedit, quod calculorum in vrina prognatorum non ſemper vna eademque ſit indoles, eadem in iisdem liquoribus ſolubilitas; quare plures iique illuſtres Medici van SWIETEN (Commentar. in aphorism. BOERHAAVII de cognoſcendis et curandis morbis. vol. 5. p. 335.) de HAEN (rat. medend. vol. 1. p. 149. 3. p. 141. 157. 6. p. 181. 13. p. 132.) et aliii, quamuis fateantur, egregium ſpaſmorum ac dolorum his aegrotis tantopere infeſtorum, lenimentum ſubminiſtrare, calculum tamen comminui, aut ſemper excerni negant, ſiue meracam biberent, quae quidem adhibendi forma, niſi palatum aut ventriculus nimium refragetur, optime conducit, ſiue lacte dulciue lactis ſero temperatam, ſiue ſapone praegnantem per menſes aquam calcis viuae.

Caute tamen mercandum eſt cum hac calcis viuae aqua ſiue potus ſpecie exhibita ſiue ano iniecta, ſi motibus febrilibus agitetur aeger, in climatibus calidioribus et hominibus temperamenti ſiccioris et calidioris; praetermittendus plane vſus in emaciatis, febre hectica, congeſtione ſanguinis renes caputue verſus directa, infarctu fixo quaſi lapideo,

pideo, ſpasmisue laborantibus, vitandus in principio dyſenteriae, orgaſmis ſanguinis eiusque profluuiis inde pendentibus, ſanguine ad inflammationem prono, fibra tenſa, nec, niſi ſublata prius, ſi aegrum torqueat, plethora vel alui obſtructione, ſi praeſertim a ſcybalis induratis profecta fuerit, admittendus (DETHARDING l. c. theſ. 5. KAEMPF l. c. p. 241. 243.).

1. *Creta farinacea.* LINN. *Syſt. nat. III. p.* 86.
Lac lunae, Agaricus mineralis; ſalutari efficacia,et, ſi laxiorem longe cohaeſionem exceperis, qua tangentes digitos inquinat, externis quoque dotibus cum creta ſcriptoria conueniens, olim, vt videtur, propter conſiſtentiam recentis vnguinoſam, lacti vel potius eius cremori quodammodo ſimilem inter medicamenta lactifera immerito relata.

2. *Creta ſcriptoria.* LINN. *Syſt. nat. III. p.* 86.
Creta vulgaris, lota atque in puluerem contuſa, alba, labiis humidis adhaerens, humectata argillam ſpirans, fere tota in aqua forti diſſolvenda, ſcriptura inquinans.

Olim frequentius, quam hodie in medicorum formulis, ventriculi acido infringendo deſtinatis, obuia, huic effectui praeſtando vtique par, niſi potiora proſtarent. Nuperius in vlceribus ex ambuſtione natis commendat CLEGHORN (medical facts and obſeruat. Vol. II. Lond. 1792. 8. n. 11.) ita, vt prius impoſito per ſex vel octo horarum ſpatium cataplasmate ex mica panis, lacte et oleo aut butyro compoſito, ac mundata ſuperficie inſpergatur ad

ſaniem

ſaniem abſorbendam creta raſa, omni abſorbta denuo adplicatur cataplaſma, aliquo tempore elapſo denuo inſpergatur e. ſ. p. Conſtituit etiam creta partem remedii antilyſſi in Anglia nomine remedii HILLDOMSKIRK famoſiſſimi, quod pro ſingulis doſitus ex eius vncia dimidia, boli armenae drachmis tribus, radicis enulae drachma vna, aluminis ſcrupulo dimidio et olei aniſi guttis quinque conflatur, et cum aqua lacte temperata mane ieiuno ventriculo per ſex dies ſubſequentes propinatur. (CHAVSSIER ap. FOVRCROY medec. éclair. par les ſcienc. phyſiq. T. III. 1792. p. 174.)

PRAEPARATA.

Species diacretae Mynſichti et Camerarii. In vtroque pharmaco creta cum multis aromatibus, mucilaginoſis, terreſtribus ſaccharo miſta. Obſoleuere.

3. *Helmintholithus iudaicus.* LINN. *Syſt. nat.* *III. p.* 397.

Lapis iudaicus. Echinorum aculei, in lapidem vtplurimum purius calcarium conuerſi, praeter vim acidum abſorbendi, ſi ſubtiliſſime contriti ingeruntur, nullam aliam in corpus humanum exſerunt, quicquid etiam veteres, duce ſignatura, ſomniauerint.

4. *Helmintholithus Belemnites.* LINN. *Syſt. nat.* *III. p.* 413.

Lapis lyncis vel *lyncurius.* Olim multifaria, medicorum quoque, praeter alias amuleti etiam forma commendantium, ſuperſtitione celebris,

 quic-

quicquid vnquam vere ſalutaris efficaciae exercuit, cum frequentiſſime indolem mere calcariam prae ſe ferat, acidum in primis viis obuium abſorbendo praeſtitit. Praeparatus ſiue in pollen tenuiſſimum comminutus aſſeruabatur.

b. IMPVRIORES.

LINN. *Syſt. nat. III. p.* 108 *ſqq.*

1. *Oſteocolla.* LINN. *Syſt. nat. III. p.* 87.

Nunc ſtalactitae calcarii ſpecies forma ſua os fiſtuloſum quodammodo referens, nunc radices arborum, potiſſimum populi, intus carie exeſae et terra calcarea, ſabulo inquinata, refertae (MARCGRAF *chem. Schrift.* 2. n. 11. p. 163 ſqq.). A ſimilitudine, quae illi cum oſſibus intercedit, et nomen et virtus in ſanandis oſſium fracturis apprime efficax ei tributa, at praeter eam, quae omni terrae calcariae, aëre fixo foetae, competit, reapſe nulla.

2. *Gypſum.* LINN. *Syſt. nat. III. p.* 256.

Eiusque variae ſpecies in pollen tenerrimum contritae.

Olim virtute acidum abſorbente celebre, quam tamen, nec crudum neque vſtum, vtpote vitrioli acido iamiam ſaturatum, exercere valet, poſteriori forma propter indolem, qua pollet, cum aqua liquoribusque aquoſis in maſſam ſolidam coeundi, interno vſu potius venenum: Quicquid externo vſu perpetrauit, forſan virtuti eius refrigeranti debetur.

3. *Fluor mineralis viridis.* LINN. *Syſt. nat. III. p.* 128.

Eo quidem nomine nunquam, at pretioſiori ſmaragdi nomine exornatus quondam ſaepius in ſcatulis pharmacopoeorum occurrens, cum ſmaragdo genuina merito exul ex recentiori ſupellectili medica.

C. TALCOSAE.

LINN. *Syſt. nat. III. p.* 68 *ſqq.*

I. PVRAE.

1. *Magneſia alba, Magneſia ſalis, Magneſia nitri, Panacea ſolutiua, vel anglica, vel antihypochondriaca, Puluis Sentinelli, Puluis Comitis de Palma, Laxatiuum polychreſtum, Terra ſalis Sedlizenſis*, eo puritatis gradu, quo medicis inſeruire vſibus poteſt, nullibi in naturae ſinu proſtat, arte potius chemica ex ſale amaro anglico aqua diſſoluto, ope ſalis lixiuioſi affuſi, aut ex lixiuiis ab excoctione ſalis communis nitriue ſuperſtitibus, nunc expulſione humoris caloris ope peracta et ad ſiccitatem vsque deducta, atque inſequente ignis candentis, qui acidum inhaerens diſſipet, actione, nunc facta per lixiuium cinerum vulgarium vel clauellatorum terrae praecipitatione ſecreta: Ineſt enim aquae fontium ſalſorum aeque ac marinae acido eidem iuncta, quod partem ſalis communis conſtituit, creberrime magneſia alba, alias purior, alias terra calcaria inquinata, poſt ſalis ipſius ex-

 coctio-

coctionem diſſoluta adhuc permanens: Similiter inhaeret frequentius eius acido nubens terrae, ex qua nitrum excoquitur, et vna cum hoc ipſo in aquam ingreditur, ex qua pari modo extrahi poteſt.

At, quae in officinis venalis eſt magneſia, mirifice differt (GEHLER progr. de magneſiae officinalis inſigni differentia. Lipſ. 1779.). Sunt, qui eo nomine vendunt terram mere gipſeam (EHRHART ap. BALDINGER *n. Magaz. für Aerzte.* Vol. 4. f. 4. p. 310. et HASSE in *neueſten Entdeckungen in der Chemie* T. III. p. 75.), fraude vix credibili, quum haec cum acidis affuſis neque efferueſcat, neque facile in iis ſoluatur; vendunt alii magneſiam, aut gypſo aut terra calcaria inquinatam, caſu poſteriori tanto frequentiori, quod muriae nitri et ſalis communis, ex quibus ſaepiſſime impetratur haec magneſia, praeter eam vtplurimum quoque continent terram calcariam pariter acido ſolutam, tam frequenti, vt merito inter cauſſas referatur, quae effecerunt, vt diu pro terra calcaria haberetur, donec primus FR. HOFFMANNVS (Obſeruation. phyſico-chymic. ſelectior. Hal. 1736. 4. l. 2. obſ. 2. p. 107 ſqq.) ingens inter vtramque intercedens diſcrimen olfaceret, ſeriori maturiorique ſcrutinio BLACKII (Phyſical and litterary eſſays of the Societ. of Edinb. 2. 1756. n. 8. p. 157.) MARCGRAFII (Memoir. de l'Acad. roy. des ſc. et bell. lett. à Berl. ad ann. 1759. n. 3. p. 119.) MONNETI (traité des eaux minerales. à Paris, 1768. p. 323 ſqq.) BERGMANI (in diſſ. Vpſ. 1775 habita, recuſa in opuſc.

opuſc. phyſ. et chemic. Holm. Upſal. et Aboae. 8. Vol. I. 1779. p. 365 ſqq.) MACQVERI (Hiſtoir. de la Societ. royal. de Medec. à Paris ad ann. 1779. p. 231 ſqq.) aliorumque euidentius comprobatum.

Miſtura vero illa terrae calcariae facile patet; quando ſolutae in ſalis communis acido meraciori magneſiae vitrioli quod vocant oleum, vel acetoſellae ſal per cineres clauellatos in ſalem medium perfectum conuerſus et in aqua diſtillata diſſolutus inſtillatur, pelluciditas eius non turbatur, ſi quidem pura fuerit magneſia; lactis vero colorem et opacitatem ſtatim induit, ſi quid calcariae terrae intermiſtum fuerit, quae quippe vtrique acido nubens ſelenitae parum ſolubilis forma praecipitatur.

Neque difficile detectu eſt gypſum in magneſia latens, vtpote quod connubium cum acidis reſpuens, ſi magneſia ſalis communis, vti quidem audit, ſpiritui iniiciatur, indiſſolutum perſtat: Idem etiam contingit, ſi argillacea terra deprauata ſit, quod quidem aliquando euenire teſtis eſt I. C. G. SCHAEFFER (diſſ. de magneſia. Argent. 1774. 4. §. 8. p. 9.), aut ſi a cineribus clauellatis, qui, prouti vulgo veneunt, rariſſime ea terra carent, ad praecipitandam ex muria aut ſale amaro magneſiam adhibitis, terrae ſiliceae, (HEYER chem. Iourn. 3. p. 69.), aut eo quod minus ſollicite facta fuit terrae praecipitatae elotio, tartari vitriolati, quem appellant, portio in magneſia remanſerit; ab vtroque poſteriori conſortio aſperitatem quandam tactui ſatis ſenſibilem, a puriori magneſia longe alienam, adipiſcitur.

Qui liberalius, quam par eſt, affundunt muriae aut ſalis amari ſolutioni ad ſeparandam hanc terram lixiuium cinerum, aliud non raro, niſi maxime ſollicita elotio accedat, magneſiae inducunt vitium, vt ſcilicet portio ſalis lixiuioſi in illa ſuperſit, quod facile cognoſcitur, ſi talis magneſia cum rhabarbari puluere commiſcetur; huius enim flauedo a magneſia pura non mutatur, ab illa vero, quae memorata labe afficitur, ſtatim exaltatur (KELS *chem. Annal.* 1788. I. p. 513.), aliquando ſapor, qui magneſiae, quemadmodum omni terrae, nullus, ſalem lixiuioſum inhaerentem prodit: ſapore quoque, at longe alio, amaro potius, interdum ferit linguam magneſia ex muria exſiccata atque excandefacta, qui quidem parandi modus olim frequentiſſimus fuiſſe videtur (M. B. VALENTINI diſſ. de magneſia alba ad LEIBNIZIVM, recuſ. prax. medic. infallib. Francof. 1711. 4. p. 711. SLEVOGT diſſ. de magneſia alba. Ien. 1709. 4. I. A. WEDEL prop. inaugur. de magneſia alba compendioſe paranda. Ien. 1732. 4. FR. HOFFMANN l. c. p. 106.) confecta, remanente ſcilicet acidi portione, quod cum terra ſalis amari ſpeciem progenerat, repetita cum aqua coctione et detegendum et ſeparandum.

Eſt autem magneſia, ſi quidem rite parata ſit, niuea, leuiſſima, adeo laxe cohaerens, vt digitos tangentes inquinet, ignis vi nulla in calcem viuam conuertenda; cum acidis vehementer effervefcit, illaque, ſi quidem ea ſaturentur, in ſalia ſaporis amari, aluum ſtimulantia, commutat; cum vitrioli acido in ſalem abit, aqua facilime diſſolvendum.

Quam-

Quamuis primo in Germania per SIBOLDVM, archiatrum Magdeburgenſem (teſte FR. HOFFMANNO l. c. p. 106.) parata fuerit, forſan per amicum eius laborumque ſocium HELWIGIVM, varias poſtea terras peruagantem conficiendi arcano modo in aliis quoque Europae regionibus ad alios perlato, eius tamen fama, demum circa annum 1700, primum Romae increbuit, vbi (teſte BRAVN apud VALENTINI l. c. p. 724.) a Batauo quodam apoſtata in monaſterio quodam praeparabatur, et per archiatrum caeſareum COEFERLE, in Germaniam reducem, Viennam, et inde in reliquas Germaniae partes deferebatur.

Quum acidum abſorberi et obtundi per magneſiam albam tot experimentis extra intraque corpus viuum captis euictum ſit, eximiam opem praeſtat in iis malis, quae ab acido in primis viis dominante, infantes atque adultos, inter hos potiſſimum hypochondriacos toties vexante, natales ducunt, (H. I. RVPERTI diſſ. magneſiae albae alcalinae proprietates ac virtutes proponens. Helmſt. 1772. 4. p. 27.), digeſtione deprauata, ardore ventriculi, vomitu nimio, flatulentia, alui obſtipatione, capitis doloribus, conuulſionibus, epilepſia, eo certe in caſu antepileptici titulo multo magis digna, quam ſesquipedales illae veteribus tritae formulae, ex terris calcariis, praeſertim animalibus, conflatae.

Non enim abſorbet modo acidum in ventriculo atque inteſtinis obuium magneſia, ſed cum eo in ſalem abit, qui aluum blande, tuto, absque omni

 exae-

exaeſtuatione ducit, vt igitur ſaburra aceſcens non infringatur modo, verum eodem remedio quoque euacuetur; eo certe ſolo in caſu (conſentientes habeo FR. HOFFMANN l. c. p. 108. Clariſſ. HAHNEMANN in traductione libri MONROANI *chemiſch - pharmaceutiſche Arzneymittellehre.* Leipzig. 8. Vol. I. 1791. p. 341.) medicaminis laxantis nomen meritura, quam magneſiae virtutem tanquam in terra ipſa et ſola deliteſcentem Veteres (v. inter alios M. B. VALENTINI l. c. p. 729 ſqq.) collaudarunt.

Exhibetur autem magneſia infantibus quinquennibus et minoribus ad grana decem, maioribus vsque ad drachmam dimidiam, adultis a ſcrupulo ad duas vsque drachmas, infantibus ſaccharo, foeniculi ſemine, etiam ſaccharo incruſtato condita, aut emulſionibus adiecta, aut ſi princeps medici finis eo tendat, vt aluum laxet, mercurio dulci vel cinereo, pulueri ialapae vel rhabarbari, aut ſyrupo rhabarbari iuncta.

Continet vero magneſia cruda multum (ex calculo BERGMANI l. c. §. IV. p. 373. quartam ſui ponderis partem) aëris fixi, qui in eius cum acidis conflictu egreſſus indolem elaſticam recuperat, et ſi quidem illud in primis viis contingit, ventriculum atque inteſtina expandit; hinc iam SLEVOGT (l. c.) et FR. HOFFMANN (l. c. p. 112.) conqueſti ſunt, ab vſu eius flatulentias et morſicationes in imo ventre inſecutas fuiſſe, qui effectus vtique expulſione aëris fixi per ignem candentem praeuerti poteſt, ideo

Magne-

Magneſia vſta, *calcinata* ſiue *pura* medicis placet, quae tardius vtique, at ſine efferueſcentia, et, niſi forte (MOENCH *ſyſtematiſche Lehre von den Arzneymitteln.* Marburg 1789. 8. p. 166.) nimium perpeſſa fuerit ignem, perfecte ſoluitur, ita vt dimidio minor portio ſufficiat ſaturando acido, quam crudae; ſufficit ergo dimidio minor terrae vſtae portio laxandae aluo; hinc aegris et infantibus potiſſimum in flatulentiam procliuibus apprime conducit, modo probe caueatur, ne magneſia aut gypſo, aut calce aut ſale lixiuioſo adulterata ſit.

Ineſt praeterea magneſiae huic vſtae vis putredinem arcendi, primo quidem a TH HENRY (Experiments and obſervations on the following ſubjects etc. London. 1773. 8.) in carne atque bile bouina contra putredinem defendenda obſeruata, poſtea a I. CHRN. G. SCHAEFFERO (diſſ. de magneſia. Argentor. 1774. 4. p. 21 ſqq.) experimentis in ſanguine humano captis, et IOH. FR. BILHVBER (diſſ. de magneſia cruda atque calcinata. Tubing. 1779. 4. p. 36 ſq.), aliis in vitello ouorum, carne bileque bouina inſtitutis confirmata; poſterior adeo huius terrae vſtae vſu corpora eadem iam putreſcentia feliciter reſtituit.

2. IMPVRAE.

LINN. *Syſt. nat. III. p.* 68 *ſqq.*

1. *Talcum officinale ſ. cosmeticum.* LINN. *Syſt. nat. III. p.* 69.

Olim tum crudum tum vſtum in pollen tenerrimum comminutum nunc ſolum, nunc

 pigmento

pigmento rubro intertrito tinctum cum aqua aut vnguento odoratis impoſitum inter cosmetica relatum, perinde ac oleum a talco denominatum, cuius vires a ſale lixiuioſo procedunt, in officinis ſuperfluum.

2. *Lapis nephriticus.* LINN. *Syſt. nat. III. p.* 71. Quondam magni habitus lapis omni odore orbus, et neque aqua neque acidis, niſi bulliente aeſtu fotis, ſolubilis. Praecauere morbos, in quos tenelli infantes a nimio terrore incurrunt, modo in cordis formam caeſus iis ante pectus ſuſpendatur, perhibitum; carpo renumue regioni ſi alligetur, aut a drachma dimidia ad integram ingeratur, nephritidi mederi creditum: Merito ex pharmacopoliis hodiernis exul.

3. *Amianthus.* LINN. *Syſt. nat. III. p.* 72. 73. *Alumen plumoſum.*
Vi mechanica irritans; hinc olim extrinſecus in paralyſi adhibitum; hodie a medicis neglectum.

D. TERRAE ARGILLACEAE.

LINN. *Syſt. nat. III. p.* 133 *ſq.*

I. P V R A.

Terra aluminaris, ex alumine in aqua diſſoluto cinerum clauellatorum ope praecipitata, nondum quidem in officinas recepta, ſed medicorum attentione quam maxime digna, (MONRO l. c. *et qui eius libri* in germanorum ſermonem translationem

nem curauit HAHNEMANN I. p. 358.), quum perinde ac magneſia, acidum abſorbeat, eo diſſoluatur, et cum eo ſal conſtituat, non modo ſolubile in copioſo humore aqueo, ſed etiam adſtringente et roborante virtute praeditum.

2. IMPVRAE.

LINN. *Syſt. nat. III. p.* 134 *ſqq.*

1. *Bolus.* LINN. *Syſt. nat. III. p.* 138.

Pinguis attactu, in ore butyri inſtar diffluit, vngue attrita, ſi quidem ſicca ſit, nitorem quendam nanciſcitur, humectata odorem leuem ſpargit, et paſtae formam induit, igne induratur: Singularum terrarum ſpecies ſingulae quondam ſigillis ſibi propriis inſignitae, hinc *terrarum ſigillatarum* nomine celebres. Ob latens acidum putredini reſiſtere, ideo in febribus malignis et venenis conducere, ob terreas particulas acrimoniam inuoluere et demulcere ſibi perſuaſit magnus BOERHAAVE (v. van SWIETEN Comment. in eius aphorismos de cognoſc. et curand. morb. I. §. 88. p. 128.), qui vnciam vnam libra aquae dilutam per cochlearia aegros dyſenteria putrida laborantes ſorbere ſuaſit.

At acrimoniae in primis viis dominanti obuoluendae potentiora proſtant medicamina; alias vires vix expectes a corporibus, nullo, quem in homine viuo offendunt, humore ſoluendis, niſi velis a largiori calcis ferreae inhaerentis copia rubras ſpecies, inter quas bolus, quam vocant, armena eminet, tum interno vſu pauliſper adſtringere et roborare,

tum

tum externo ſanguinem ex vulneribus promanantem ſiſtere poſſe: Ingreditur quoque formulam liquoris ſtyptici, a Celeberr. SCHMVCKERO (*vermiſcht. chirurg. Schrift.* Berl. 8. Vol. I. 1771.) ad ſiſtendum ſanguinem ab euulſo narium polypo largius promanantem laudati; at qui nouit, non ſolui vini ſpiritu, facile perſpiciet, ad potentiam huius liquoris nihil conferre.

2. *Terra lemnia.* LINN. *Syſt. nat. III. p.* 136.
Colore carneo, et magneſiae, quam continet, portione, a bolo praeſertim differt; olim iisdem viribus fictitiis celebris, nunc obſoleta.

E. TERRAE SILICEAE.

LINN. *Syſt. nat. III. p.* 170 *ſqq.*

Nullo liquore, niſi inſigni ignis vi adiuuetur, praeter fluoris acidum quum ſoluantur, odore praeterea priuae, atque igni expoſitae quam maxime fixae, parum ſolatii pollicentur medico, vires ſalutares corporum ex dotibus externis diiudicanti; Omnes fere noſtro tempore obſoletae, neque olim niſi in ſubtiliſſimum pollen comminutae (audiebant *praeparatae*) adhibitae.

1. *Arena.* LINN. *Syſt. nat. III. p.* 191.
Sicca, calida, modo fomenti ad inſtar, modo balnei in modum adhibita Veteribus, inter quos loco omnium nominaſſe ſufficiat CORN. CELSVM (de medicina, cura et ſtudio ab ALMELOVEEN. 8. Amſtelod. 1713. l. 2. c. 17. p. 93. 95.);

95.); qui plura veterum teſtimonia collecta intueri cupit, adeat auct. anonymum (A. D.) libelli de vſu arenae externo in curandis quibusdam morbis, praecipue ad illuſtrandum aliquem SYMMACHI locum L. VIII. Ep. XLV. nonnulla exponentis. Lipſ. 1734. 4.); frequenti erat in vſu, ſi ſudores excitare, exſiccare animus erat; quare CELSVS (l. c. l. 3. c. 21. p. 162.) et ipſe immortalis BOERHAAVE (aphorism. de cognoſc. et cur. morb. 1248.) ipſius commentator van SWIETEN (l. c. IV. p. 221.) inter auxilia hydropicorum retulit.

2. *Quartzum Cryſtallus.*

Cryſtallus montana. LINN. *Syſt. nat. III. p.* 201.

Adſtringere, abſorbere acidum, veneno reſiſtere, lactis copiam augere, calculum comminuere, quondam ſibi perſuadebant medici; ridet has fabulas aniles noſtra aetas.

3. *Quartzum Amethyſtus.*

Amethyſtus. LINN. *Syſt. nat. III. p.* 204.

Mireris lapidem, quamuis elegantem, ratione tamen corporis humani viui certiſſime inertem, apud LINNAEVM adhuc medicamenti nomine proſtare.

4. *Chalcedonius Carneolus.*

Carneolus. LINN. *Syſt. nat. III. p.* 207.

Quum colore ſanguinem eiusue ſerum aliquantum referat, praeconcepta veterum de eius in corde corroborando potentia multum increuit. Aſt vana haec nullisque experimentis ſubnixa ex ſola ſuperficiali ſimilitudine deducta ratiocinia.

5. *La-*

5. *Lazurus orientalis.*
Lapis lazuli. LINN. *Syſt. nat. III. p.* 126.
Ob eximium colorem medicis quoque olim plurimi aeſtimatus, at creberrime loco genuini *lapis armenus*, cupri calce tinctus, eiusque viribus, noxiis potius, quam ſalutaribus pollens; vterque in officinis medicamentariis merx ſuperflua.

Vix opus eſt idem monere de aliis lapidibus inter gemmas (LINN. *Syſt. nat. III. p.* 170.), et olim inter pharmaca numeratis, quales ſunt adamas, rubinus, ſapphirus, ſmaragdus, topaſius, granatus, hyacinthus, qui poſterior nomen, non vires, confectioni dedit, adhucdum in pharmacopoliis venali.

II. SALIA.

LINN. *Syſt. nat. III. p. 259.*

Sapore, ſingula ſibi proprio, linguam feriendo ſe produnt, in aqua penitus ſoluuntur, vtraque dote ab omnibus aliis corporibus facilime dignoſcenda; propter ſuam in aquoſis corporis animalis humoribus ſolubilitatem plurima facilius operantur, quam corpora alterius claſſis, facilius efficaciam, quam exſerunt ingeſta, vltra ſyſtema primarum viarum extendunt, ſanguinem ipſum ſuccosque reliquos ſubeunt, in viſcera remotiora et ſecretionis excretionisque inſtrumenta nunc haec nunc illa agunt. Fibras, quas contingunt, tum nerueam, tum contractilem, vellicant.

Plurima putredini potenter reſiſtunt; multa, quacunque via et ratione applicata, refrigerant, pauciora nimium ſtimulando potius excalefaciunt: Alia humores condenſant et coagulant, alia potius attenuant, et pituitam inprimis incidunt: Alia alui, alia vrinae excretionem iuuant atque augent, vt tamen determinata haec in excretiones efficacia perinde a doſi, modo adhibendi, conſortio, regimine et conditione aegroti atque ipſius morbi pendeat, ac a ſalis ipſius indole.

Diſpeſcuntur ſalia in ſalia ſimpliciora et compoſita; illis vulgo adſcribuntur ſalia acida et alcalina ſiue lixiuioſa.

A. SA-

A. SALIA ACIDA.

Omnia cum ſalibus alcalinis in ſalia neutra coëunt, et ſoluendi terras plures et metalla vel eorum calces facultate gaudent, ſiue humida, ſiue ſicca via eam exerceant: Plurima aërem fixum ex corporibus eo foetis cum efferueſcentia expellunt, plurimos caeruleos colores vegetabiles in rufos commutant, et, modo aqua ſatis temperata fuerint, acido ſapore dignoſcuntur.

Nonnullis, aqua, quantum fieri poteſt, orbatis, acrimonia corrodens, et viuam, quamcunque contigerit, corporis animalis partem extemplo enecans; iisdem aqua dilutis aeque ac aliis vis putredinem potentiſſime arcens, refrigerans, fibram contractilem conſtringens, humores inſpiſſans et coagulans, vrinam mouens, rarius ſtimulans, ſudorem excitans.

1. *Vitrioli acidum*, ſiue quod hodie ex ſulphure potiſſimum elicitur, *Sulphuris acidum*, ea forma, qua medicatis inſeruit vſibus, *ſpiritus vitrioli* vel *ſulphuris*, olim, quoniam ſub campanis ardentis ſulphuris vapor in guttas condenſatus colligebatur, *ſpiritus ſulphuris* per *campanam*, aut, quia nonnulli ſimilem ſpiritum ex alumine quondam parabant, *Spiritus aluminis* dictum.

Fortius acidum, ob ſpiſſitudinem ſuam incongruo *olei* nomine inſignitum, cum aqua et ſale culinari vehementer exaeſtuans, ex poſteriori vaporem ſuffocantem expellens, prunis ardentibus inſtillatum, ſulphuris ardentis flammam et fumum mon-

ſtrans,

ſtrans, ex oleo calcis, quod vocant, aeque ac ex ſolutione terrae ponderoſae in ſalis acido facta limpidiſſimis ſtatim ſedimentum niueum praecipitans, nunc excolor, nunc, et quidem prouti vulgo venit, fuſcum et fumans, coctione, melius deſtillatione colorem ex materia combuſtibili contractum, iterum exuens, alias plumbi calce (GÜNTHER *neueſt. Entdeckung. in der Chemie.* 8. Lipſ. P. II. 1781. p. 63. 64. SCHILLER *chem. Annal.* 1788. P. I. p. 70. MEYER ibid. 1789. P. II. p. 116.), alias ſelenite, variisque aliis ſalibus (GAVBIVS aduerſaria varii argumenti. 4. Leid. 1771. p. 127 ſq.) inquinatum; quae omnia diſtillatione in vaſis retortis vitreis exilibus (GAVBIVS l. m. c. p. 125. WESTRVMB *kleine phyſicaliſch-chemiſche Abhandlungen.* Lipſ. 8. faſc 1. 1785. p. 149.) et detegi optime, et ſegregari accuratiſſime poſſunt.

Fortius vero illud acidum medicis vix, ob ſummam, qua pollet, acrimoniam, niſi externo, eoque rariſſimo venit vſu; vnguenti certe paralytici (The new diſpenſatory. ſecond Edit. Lond. 1765. 8. p. 646.), quod vna cum axungia ſuilla et oleo baccarum lauri conſtituit, quamuis partem tantummodo quintam efficiat, partem conſtituit longe efficaciſſimam, quod membris inſenſibilibus aut immobilibus inunctum aut infricatum cutem rubefacit, et, ſi quid vnquam, neruos obtorpeſcentes excitat.

Adhibetur autem crebro vitrioli acidum iam a CRATONE (Conſil. et epiſt. medicin. edit. a L. SCHOLZ Hanou. 8. 1614. L. IV. p. 433.) commendatum, nunc aqua temperatum, nunc cum vini

C ſpiritu

ſpiritu puriſſimo (vocant alcohol) coniunctum, rarius cum oliuarum oleo in ſaponis ſpeciem coactum.

Princeps eius virtus eſt, vt putredinem arceat; longa per mare itinera ſuſcepturis, vt dulcem aquam a corruptione muniant, tincturam vendidit Comes quidam de BOLO, quae non niſi vitrioli acidum pigmento aliquo vegetabili rubro fucatum fuiſſe videtur (Kongl. Swenſk. Vetenſk. Academ. nya Handling. Vol. II. pro ann. 1781. p. 236.), optimo cum ſucceſſu meracum acidum tentauit FAXE (ibid. p. 235 ſq.), expertus, quatuor iam guttulas acidi fortioris ſufficere aquae congio: Calci extinctae iunxit eodem ſcopo hoc acidum la PEYRE (hiſtoir. de la ſocieté de Medecine à Paris pour 1776. p. 348.). Ipſe Clar. LOWIZ (*Anzeige eines neuen Mittels, Waſſer auf Seereiſen vor dem Verderben zu bewahren, und faules Waſſer wieder trinkbar zu machen.* S. Petersb. 1790. 8. p. 12.), vt carbonum puluere intermiſto aquam iam corruptam penitus reſtitueret, vitrioli acidum in ſubſidium vocauit, et per drachmam carbonum et acidi vitrioli fortioris guttas duas aquae putidae vncias quatuor recentiſſimae ſimilimas reddidit.

Hanc vim putredinem ſimilesque corruptiones inhibendi et praeuertendi medici, qui tamen non niſi diluto vel tenui (*ſpiritus* vulgo audit), id eſt fortiori, quatuor (ita Clariſſ. MOENCH *ſyſtematiſche Lehre von den Arzneymitteln.* Marburg 1789. 8. p. 80. 219.), vel ſex (ita Expertiſſ. MELLIN *practiſche materia medica.* Francf., Leipz. u. Kempt. 8. Edit. alt. 1778. p. 257.), vel (pharmacop.

Edinburg.

Edinburg. Edit. in German. alt. cura BALDINGERI. Bremae 1784. p. 80.) ſeptem aquae partibus temperato vtuntur, in vſum ſuum trahunt.

Externo iam vſu multum prodeſt in vlceribus ſcorbuticis et cancroſis, ipſis venereis (I. CHPH. JAEGER *vermiſcht. chirurg. practiſche Cautelen für angehende Praktiker der Wundarzneykunſt.* Francfurt 8. Vol. II. 1789.), quae diluto adhuc maiori aquae copia acido diligenter et ſollicite eluuntur; quantum valeat ad augendas corticis peruuiani ſiue per os ingeſti, ſiue enematis ſpecie iniecti vires antiſepticas, toties experti ſunt medici; eandem vim quoque exercet in angina gangraenoſa gargarismatibus aut collutionibus inſtillatum, aut (VAN SWIETEN l. c. 2. p. 683.) multa aqua dilutum, et nitro ſambucique rob iunctum ſaepius de die ore contentum; beneficam eius in aphthis vim praedicant HAHNEMANN (ap. MONRO l. c. 1. p. 150.) et SAVVAGES (noſologia methodica. Amſtelod. 8. T. II. P. I. p. 429.) et ante eos RIVERIVS (Oper. med. vniuerſ. Francof. 1669. fol. p. 288.), qui goſſypio illo humectato vlcuſcula contingi, in infantibus vero melle roſarum edulcatum penicilli ope illiniri imperat; potens in his perinde ac in cancro labii inferioris, quem vocat, aquoſo, expertus eſt BRVNNEMANNVS (Verhandelingen van het bataafſche Genootſchap der proefondervindelſe Wysbegeerde te Rotterdam. Rotterd. 4. Vol. I. 1774. nr. 6.); illiniri autem ille iuſſit labio liquorem ex triginta huius acidi guttis, vncia aquae, et vt dulci ſapore gauderet, melle roſarum conflatum; et eodem tem-

 pore

pore ſingulis horis ternis cochleare paruum acidi valde diluti melle edulcati ingeri.

Maiora adhuc praeſtat intus aſſumtum hoc acidum, modo reſpiratio ſit libera, et primae viae ab omnibus ſordibus mundae (SYDENHAM Oper. medic. Geneu. 1736. 4. T. I. p. 358.); obſtat quoque eius vſui tuſſis et alui fluxus, euitandus vſus alcalium, terrarum, et ſalium aceti acido grauidorum, atque abſtinendum aegris, quamdiu hoc acido vtuntur, a lacte cibisque lacteis, ipſisque in infantibus recens natis, quibus eo acido opus eſt, lacti materno ſubſtituendum ſerum lactis (MELLIN l. c. p. 257.): Praecipitur autem in caſibus, quibus conducit, nycthemeri ſpatio, guttarum quindecim ad drachmarum duarum vsque doſin, nunc aqua communi (ad cochleare minus recipit aquae ſesquiunciam MOENCH l. c. p. 219. ad acidi drachmam vnam aut duas aquae vncias quatuor MELLIN l. c. p. 256.) dilutum, et aliquando melle vel ſyrupo quodam e. g. violarum edulcatum, nunc cereuiſiae tenui aut decocto vulnerario ad gratum vsque acorem inſtillatum (SYDENHAM l. c. p. 142. 147. 148. 253. 504.), vel potui alii (*idem* l. c. 244.), vel (TISSOT l. c. p. 519. OFTERDINGER *Anleitung für das Landvolk in Abſicht auf ſeine Geſundheit.* Zürich 1773. 8. p. 683.) decocto hordei additum, vel mellis, aut ſyrupi e. g. rubi idaei, ribeſiorum (MOENCH l. c. p. 219.) violarum (TISSOT l. c. p. 519.), altheae et diacodion (OFTERDINGER l. m. c.) quatuor (MOENCH l. m. c.) aut ſex (TISSOT et OFTERDINGER ll. m. cc.) vnciis conditum: Si quando alui

alui profluuium aut vrinae difficultatem cieat eius vſus, imminuenda paulifper eſt doſis, et poſt ſingula eius praebia exhibendum aegro vaſculum cremoris hordei, aut aliquot cochlearia gummi arabici cum aequali ſacchari copia in puluerem comminuti (OFTERDINGER l. m. c.): Sunt, qui malunt pigmento florum aquilegiae, bellidis, dianthi caryophylli, papaueris rhoeados laete tinctum, et tincturae nomine inſignitum praeſcribere.

Ea ratione adhibitum mirifice prodeſt vitrioli acidum in febribus acutis, potiſſimum putridis ac malignis (SIGLICIVS diſſ. de febre maligna. 1616. 4. ETTMÜLLER collegium practicum. fol. p. 329. RIVERIVS l. c. p. 542.), praeſertim epidemicis (HIRSCHEL *mediciniſche Nebenſtunden.* Berlin 1772. 8. p. 125. MELLIN l. c. p. 257.) et contagioſis (MINDERER medicina militaris. 1634. 12. p. 163.), in ipſa adeo peſte (CRATO a KRAFTHEIM l. c. L. IV. pag. 602. 603. L. VII. pag. 236. Guil. PITHOPOEVS Vincetoxicum. Kempt. 1614. 8. MINDERER de peſtilentia. c. 15. DIEMERBROECK de peſte. Arnhem. 1646. 4. l. 3.), in aliis, comate (SYDENHAM l. c. I. p. 142.), alui fluxu (DVSSAVSSOY diſſert. et obſeruations ſur la gangréne des hôpitaux. à Genev. 1788. 8.), petechiis (SYDENHAM l. c. p. 253. MONRO l. m. c. I. c. 3. ſect. 3. p. 75.) ſtipatis, in ſcarlatina morbilliſque malignis (MELLIN l. m. c.), in variolis confluentibus (SYDENHAM l. m. c. p. 147.), etiam nigris (*idem* l. c. p. 148.) aliiſque malignis.

Ea virtute corruptelam arcendi, iam CRATONI (l. c. L. VII. p. 236.) ſatis ſuperque cognita, niti quoque videtur eiusdem acidi vtilitas in ſcabie a Clar. HELMICH et B. BÜCHNER (diſſ. de vſu interno olei vitrioli diluti in nonnullis ſcabiei ſpeciebus. Hal. 1762. 4.) et nuperius ab Ill. BALDINGERO (Pharmacop. Edinburg. Edit. in Germania alter. p. 359.) et Clar. HAHNEMANNO (apud MONRO l. m. c. p. 76.) praedicata, atque in pertinacioribus et herpeticis, leprae adeo aemulis cutis morbis (SMYTH medical communic. London. 8. Vol. I. 1784. p. 199 ſqq.) confirmata, et auxilium, quod, intus quamuis ingeſtum, dum partes maioris ambitus in pus abeunt, aegrotis praeſtat.

Conſtringendi porro partes molles potentia huic acido ineſt: Hinc ſunt, qui (MELLIN l. c. p. 166.) in haemoptyſi, ſi a reſoluto ſanguine aut vaſorum oſculis relaxatis pendeat, neque aut haemorrhoidum aut menſtruorum vices ſuppleat, feliciter adhibuerunt; laudani liquidi Sydenhami parti dimidiae iunctum in haemoptyſi praedicat Ill. a CRELL (*Sammlung von* HALLER'S *academiſchen Streitſchriften.* Helmſt. 8. Vol. II. 1779. p. 126. 300.) et in haemorrhagia vteri *idem* (l. m. c. p. 126. et in HALLER'S *Beyträgen zur Geſchichte und Heilung der Krankheiten.* Berlin u. Stettin 8. Vol. I. p. 467. 471.) ac Clar. AASKOW (act. ſociet. medic. Haunienſ. Haun. 8. Vol. I. 1777. 8.), in ea potiſſimum, quae grauidas excruciat *Idem* (l. m. c.); in ipſo vomitu mictuque cruento LOEFFLER (*Beyträge zur Arzneygelehrſamkeit und Wundarzneyk.* Leipz. und Alton.

Alton. 8. T.I. p. 179.), in aliis ſanguinis fluxibus a ſcorbutica acrimonia oriundis. FOWLER (ap. DVNCAN medic. comment. for 1789. Vol. IV. 1790.): Opio iunctum in ipſa tuſſi cruenta commendat Celeb. BLOCHIVS, in phthiſeos ex laxitate pulmonum natae, cui tamen Ill. QVARIN ſine fructu oppoſuit, initiis alii. Chartam bibulam vitrioli ſpiritu probe humectatam promanantem ſanguinem ſiſtendi ergo vulneribus applicant Chirurgi (SCHVLZE theſes de materia medica edit. a CHPH. C. STRVMPF. Hal. 1746. 8. p. 39. 40.).

Refrigerat etiam vitrioli acidum pro more aliorum; ideo in febribus, inflammatoriis quoque, e. g. peripneumónia (TISSOT l. c. p. 84.), in febre ardente (*idem* l. c. p. 238.), in variolis benignis (*idem* l. c. p. 222. SYDENHAM l. c. p. 244. 504.) ſitim egregie ſedat, et aeſtui temperat. In ſingultu cochlear liquoris ex aquae vnciis quatuor et ſpiritus huius drachma conflati ſorbendum ſuadet DVNCAN (medic. comment. for 1789. Vol.IV. 1790.).

In morbis ſpasmodicis commendat hunc ſpiritum MELLIN (l. c. p. 257.), in calculo B. HARTMANN (progr. de acidi vitriolici virtute calculum pellente. Francof. ad Viad. 1780.), in phthiſi pituitoſa WINDORF (de acidi vitrioli in morborum medelae vſu et abuſu. Erford. 1793. 4. p. 15.), in aſthmate et hydrope RIVERIVS (l. c. p. 298 et 394.), in arthritide CRATO (l. c. L. VII. p. 826. 827.).

Cum vini ſpiritu puriſſimo combinatum vitrioli oleum ſiſtit *elixir acidum*, iam CRATONI (l. c. L. V. p. 293.), vt videtur, notum. et a I. I. BECCHERO (*närriſche Weisheit und weiſe Narrheit von* I. F. R. 1706. 12. p. 60.) commendatum, ſi HALLERVM (Ill. I. G. ZIMMERMANN *hannöveriſch. Magaz.* 4. ann. 1773. p. 311.) ſequaris, ex aequali vtriusque pondere, eadem ratione in pharmacia rationali medicorum Caſſellanorum (p. 71.) obſeruata, ſi DIPPELII (*Krankheit und Arzney des menſchlichen Lebens.* Francf. und Leipz. 1736. 8.) praecepta teneas, ex ſpiritus vini partibus ſex et vna olei vitrioli, adiectis adhuc croco et granis kermes (*liquoris lithonthriptici* nomine olim quoque notum), ſi B. SCHVLZIVM (diſſert. qua problema, an dentur medicamenta, quae calculum in veſica comminuunt, ſolvitur. Hal. 1734. 4.) audias, optime ex quatuor partibus ſpiritus vini et vna olei vitrioli parandum.

A guttis ſex ad decem et viginti vsque aqua aut aliis liquoribus dilutum, vel ſyrupo quodam, ita vt drachma v. g. addatur ſyrupi ſesquiunciae, edulcatum, in morbis chronicis ad drachmam vsque per diem exhibitum, hoc pariter in connubio putredini aliisque humorum corruptelis reſiſtit hoc acidum, eapropter in febribus bilioſis, putridis, malignis, variolis, morbillis, purpura eiusdem notae (KAEMPF l. c. p. 307. Ill. I. G. ZIMMERMANN l. c.), in ſcorbuto, quem vocant, putrido, purpura chronica, ſcabie, aliisque cutis vitiis chronicis, in pure et ſanie, ex vlceribus, potiſſimum oſſium, reſorbta (Pharmacia rationalis correcta et aucta

aucta edit. PIDERIT. Caſſell. 1782. 8. p. 115.) egregii vſus: Ceterum, quamuis vini ſpiritu temperatum, non omnium aegrorum ventriculus fert hoc acidum, quod potius interdum vomitum et cardialgiam ciet, quibus ſeſe manifeſtantibus effectibus deſiſtere medicus ab vlteriori vſu debet.

Eo connubio non obſtante (certe ſi normam ab HALLERO praeſcriptam ſequaris) calori febrili moderatur, et ſitim ſedat, aliaque ex priori fonte profluentia febrium ſymptomata tollit. Conſtringit porro et roborat fibram contractilem, propterea in morbis a laxitate oriundis, e. gr. pollutionibus (MELLIN l. c. p. 272.), fluore albo (MELLIN l. m. c.), diabete (FERRIAR l. c. p. 115.), in menſtruorum atque haemorrhoidum fluxu nimio, ipſa haemoptyſi, adeo phthiſi, eiusque quidem, modo omnis inflammatio abſit, ſtadio altero (REID an eſſay on the nature and cure of the phthiſis pulmonaris. London 1785. 8.), in aegris, diu ea medicina vtentibus, niueam aliquando dentibus albedinem concilians.

Calculos quidem vſu huius elixir interno conteri, externo nodos podagricos diſcuti ſomniauit olim (l. c.) DIPPELIVS, at dolores a calculis et ſabulo renum excitatos, perinde ac ſimiles arthriticorum et podagricorum aerumnas vſu eius interno ſubleuari, experti quoque ſunt alii.

In morbis denique, neruorum ſyſtema turbantibus, modo non febrilibus, commendauit, praeeunte praeceptore, immortali HALLERO, Ill.

I. G. ZIMMERMANN, qui (l. m. c.) feliciſſimum eius in chorea S. Viti, quemadmodum Ill. WEICKARDVS (obſeruat. medic. Francof. 1775. 8.) in epilepſia pertinaci, et Clariſſ. ALTHOF (*praktiſche Bemerkungen über einige Arzneymittel.* Goetting. 8. Vol. I. 1791.) in tremore manuum, opii vſum inſequente, ſucceſſum annotauit.

Sunt, qui extrinſecus quoque ad leniendos dolores a ſpasmo natos, ad diſcutiendas contuſiones et ſugillationes aqua temperatum hoc elixir applicant (Pharmac. ration. p. 115.).

Quorum ventriculo minus arridet elixir hoc ſimplicius, melius conducit, niſi aeſtus febrilis aut ſanguis nimium commotus obſtet, primo deſcriptum (Theſaurus et armamentarium medico- chymicum ſelectiſſimum. Lubec. 1646. 4.) et poſtea denominatum ab Adr. a MYNSICHT *elixir vitrioli*, variis aromatibus conditum, vtique roborandi, inprimis ventriculum, virtute, ſimpliciori praecellens, hypochondriacis, hyſtericis, languente adhuc poſt febres intermittentes ciborum appetitu laborantibus (BALDINGER l. c. p. 349.) vtile; protracto etiam per menſes et annos vſu, ita vt aegri bis vel ter quotidie viginti et plures adhuc eius guttas ſorberent, in ea phthiſeos inflammatoriae et ſuppuratoriae ſpecie, in qua vniuerſi quaſi cruoris materiem per pulmones ſputorum forma eiici putes, proficuum (DE HAEN l. c. P. XII. 1768. p. 239.)

Arctiori vinculo nectitur acidum cum vini ſpiritu, leni igne ſi diſtillatur liquor: Ita, teſte

BECCHER (l. c. p. 58.) et ASTRVC (de morbis venereis. Paris 4. 1738. L. 4. c. 12. p. 462.) Empiricus quidam RABEL *aquam* RABELII a poſteris dictam, ex oleo vitrioli et triplici portione ſpiritus vini rectificati diſtillatione confici iuſſit, quam ptiſanis aut aliis vehiculis inſtillatam, in gonorrhoea, potiſſimum dyſuria, eam toties comitante, in febribus ardentibus eximie refrigerare, fluxus ſanguinis, etiam internos, niſi inflammatione ſtipatos, ſiſtere perhibet (l. m. c.) ASTRVC.

Vulgo tamen recipitur ſpiritus vini puriſſimus, quem alcohol vocant, quod quidem connubium, quamuis iam BASILIO VALENTINO, ſiue quicunque ſit auctor ſcriptorum hoc nomen in fronte gerentium (*letztes Teſtament.* P. V. p. 867. *Wiederholung des groſſen Steins etc.* p. 84.) cognitum fuiſſe videtur, primus tamen VALERIVS CORDVS (Diſpenſatorium ſiue pharmacorum conficiendorum ratio. Antwerp. 12. 1580. p. 416.) diſtinctam eius laboris mentionem iniicit, et exactam deſcriptionem exhibet.

Non huius eſt loci, numeroſa illa diſcrimina, quae tum rationem vtriusque liquoris adhibiti, tum laboris regimen ipſum ſpectant, fuſius enarrare; ſufficiat potius illi, quem heic nobis praefigimus, ſcopo, commemorare medicamenta, quae operatio iſta ſuggerit.

Aether Frobenii, Aether vitrioli, multis quoque *Naphtha vitrioli* dictus, ponderis ſpecifici exigui, vt ab oleis aethereis longe ſuperetur, et ipſi liquori

anodino

anodino minerali HOFFMANNI innatet, ſumme volatilis, odoris grati, facilime flammam lucidam, candidam capiens, et parum fuliginis ſuppeditando nullumque carbonem relinquendo deflagrans, coloris expers, ſpiritu vini facilime, paulo difficilius (vt tamen decem aquae partes vni aetheris ſufficiant) aqua ſoluendus, quum facilime vaporum ſpeciem ſibi ſumat, partem corporis viui, quam contingit, maxime refrigerat: Ex hoc fonte deriues aetheris facultatem, dolores et ſpasmos ſedandi (CVLLEN lectures on materia medica. Edinb. 4. Vol. 2. Ed. 2. 1789. p. 375.), et flatus pellendi, quam a quinque ad viginti et quadraginta guttas (MORRIS medical obſeruations and inquiries by a Society of phyſicians at London. 8. Vol. 2. Lond. 1762. n. 12. p. 176 ſq. ad drachmas duas vsque ingeſſit), aquae, vino, vtplurimum ſaccharo inſtillatas, in cardialgia (MELLIN l. c. p. 273.), potiſſimum arthritica (LIND apud SIMMONS medical journal of London. Vol. 6. pro anno 1785. P. I. n. 8.), colica flatulenta, et hemicrania ſpasmodica (VICQ D'AZYR an aether hemicraniae neruoſae? Paris. 1778.), in ſpasmis ipſis hyſtericis non raro expertos ſe eſſe teſtantur medici; externo vſu aurium, dentium, rheumaticos ceruicis dolores eius vſu eſſe fugatos refert (l. c.) MORRIS, chronicos capitis interdum MONRO (l. c. c. 2. ſ. 1. n. 3.): Dentibus dolentibus gingiuae in latere affecto poſitae admouetur, ſi carioſi fuerint, goſſypio inſtillatus dentis foueolae excauatae intruditur.

Quum

Quum praeterea partes quas contingit, ſtimulet, celerrimeque in vapores abeundo cito agat, tum linguae aliisque membris paralyticis inunctus, tum hominum, animi deliquium vel aſphyxiam, aut a ſubmerſione in aquam, aut a maligna quadam aëris ſpecie perpeſſorum naribus admotus vel ori infuſus aliquando egregie iuuat.

Quum principium vegetabilium adſtringens aethere ſoluatur, et huic iunctum facilius vaſa ſubeat, et per ſubtiliſſimos eorum ramos permeet, in multis forſan morbis, quibus roborantia in intima viſcerum penetralia deducta conducunt, adhiberi (DE MORVEAV elemens de chymie de l'Académie de Dijon etc. 8. Vol. III. cap. 19. traduct. german. p. 303.) haec ſolutio poſſet.

Quum porro calculos felleos hoc aethere ſolui docuiſſent experimenta, eximie inſeruit in colica aliisque morbis, qui ab his calculis ductum choledochum obturantibus proficiſcuntur; quum tamen nimis cito avolet, vt pauliſper figatur, addidit aequale pondus olei terebinthinae, cuius miſturae (aegrotis, qui eam nimis faſtidiunt, addi quoque poſſunt aliquot guttae olei cuiusdam gratioris) binis aegris quotidie cochleari paruo exhibito, calculos, vt ſibi perſuaſit, diminutos per aluum ſecedentes vidit DVRANDE (Nouv. mémoir. de l'Académ. de Dijon. 1782. 8. p. 199 ſqq.).

Differt ab hoc aethere *naphtha vitrioli* proprie ſic dicta, *oleum vini* ab aliis, *oleum vitrioli dulce*, ab aliis *oleum naphthae* nuncupatum, odore grauiori

minus

minus grato, pondere ſpecifico maiore, ita vt aquae infuſum fundum petat, colore, praeſertim antequam depuratum eſt, rufo, flauo aut viridi, maiore etiam fuliginis, quam flagrando eructat, et carbonis, quem relinquit, copia, PARACELSO (*von den natürlichen Dingen.* L. I. vom Sulphure embryonato. c. 7. vom Vitriol. c. 8.), vti quidem videtur, iamiam cognitum, virtute tamen ſalutari cum aethere proxime conuenit, vt ideo medicis promiſcue cum hoc, infantibus a guttis quatuor ad octo, adultis ad viginti guttas, ſiue ſaccharo inſtillatum, ſiue vaſculo infuſi theae ſuperingeſto dilutum propinatum, et in doloribus dentitionem (MANGOLD *chymiſche Erfahrungen und Vortheile.* Erfurt 1748. 4. §. 18. 37. p. 8. 24.), nephritidem, rheumatiſmi atque arthritidis varias ſpecies concomitantibus, a vermibus inquilinis excitatis, in cardialgia, colica (GVTTORF ſpicilegia ad olei vini praeparationem vſumque. Hal. 1757. 4. p. 31. 32.), ſingultu (DVNCAN l. m. c.), exanthematibus retrogredientibus (FASELIVS de oleo vini atque ſale ſedatiuo Hombergii. Ienae 1763. p. 17.), atque in ſpasmis omnis generis (GVTTORF l. m. c.) ſedandis, in febribus, praeſertim inflammatoriis, ophthalmia (MANGOLD l. m. c.), in morbis paralyticis atque apoplecticis, in ipſa gutta ſerena (LVDOLF *Einleitung in die Chemie.* p. 1054.) ſananda efficax inventum ſit.

Spiritus vitrioli dulcis, *Acidum vitrioli vinoſum*, *Liquor aethereus vitriolatus*, *Spiritus aethereus vitriolatus* (Pharmac. ſuecic. Lipſ. et Alton. 1776. 8. p. 100.).

p. 100.). Gratiſſimi odoris et ſaporis liquor, tum volatilitate, tum pondere ſpecifico exiguo proxime ad vini ſpiritum puriſſimum accedens, ſed virtute, frigoris ſenſum, ſiue ori ingeratur, ſiue aliis partibus inungatur, in partibus contactis excitandi, mirifice ab illo diuerſus, virtute ſalutari propius ad aetherem accedens, quo tamen, quum in hoc ſpiritu multo vini ſpiritu temperatus ſit, paulo debilius agit, vt dupla vel tripla eius portione opus ſit.

Liquor anodinus mineralis, a Celeberr. HOFFMANNO (diſſ. de acido vitrioli vinoſo. Hal. 1732. 4.) appellatus, a pharmacopoeo quodam MARTMEYER (STAHL experimenta, obſeruationes, animaduerſiones CCC. Berolin. 1731. 8. p. 410. et SCHVLZE praelectiones in diſpenſatorium Brandenburgicum. edit. alt.) inuentus, parum differt ab hoc vitrioli ſpiritu dulci, niſi quod aliquot olei vitrioli dulcis (in ℥ij. circiter 12) guttis impraegnatus ſit, gratiſſimum analepticum, refrigerans, dolores et ſpasmos ſedans, putredinem arcens, eo fine ad triginta, quadraginta et plures guttas nunc ſaccharo inſtillatum, nunc aliis liquidis medicinis adiectum, etiam ſalibus mediis iunctum, quae eius vi in partes ſuas (DEHNE apud CRELL *Beyträge zu den chemiſch. Annal.* Helmſt. et Lipſ. 8. Vol. 2. p. 263. et SCHILLER diſſ. de acidorum dulcificatorum agendi modo in ſalia media. Helmſt. 1786. 4.) nequaquam diuelluntur, interno vſu in febribus, potiſſimum exanthematicis et malignis (SMYTH medical communic. London. 8. Vol. 1. 1784. p. 135 ſqq.), in doloribus (FR. HOFFMANN medicin.

cin. ration. ſyſtemat. Hal. Magdeb. 4. T.IV. P. 2. 1736. p. 390.) tum adultorum, tum potiſſimum infantum (*Idem* ibid. ſuppl. 1740. p. 32.) v. gr. a dentitione difficili natis, atrociſſimis viarum vrinariarum a calculo natis (*Idem* ibid. T. IV. P. 2. p. 368. 369.), capitis (*Idem* ibid. p. 77.), lancinantibus ventris, a ſcorbutica acrimonia oriundis (*Idem* ibid. P. 5. 1739. p. 35.), rheumaticis et arthriticis, ſiquidem cum liquoris cornu cerui ſuccinati aequali pondere combinatur, vocatur tunc *liquor arthriticus Elleri* (Ill. BALDINGER l. c. p. 356.), leniendis, poſterioribus tollendis, in ſpasmis et conuulſionibus, ipſa epilepſia (FR. HOFFMANN l. m. c. P. 3. 1737. p. 20.), aliis dentitionem difficilem (*Idem.* ibid. ſuppl. p. 32.), paroxyſmos febrium intermittentium (*Idem* ibid. P. I. 1734. p. 20.) comitantibus, a ſuppreſſis (hic cum eſſentia caſtorei exhibitus) menſtruis oriundis (*Idem* ibid. P. III. p. 71.), in aſthmate conuulſiuo (*Idem* l. m. c. p. 347.), ſingultu (*Idem* l. m. c. p. 430.), vomitu (*Idem* ibid. P. II. p. 234. III. p. 502. 505.), cholera (*Idem* l. m. c. p. 390.), alui fluxibus (*Idem* l. m. c. p. 592.), ipſaque (*Idem* l. m. c. p. 543.) dyſenteria ſedandis, in ſanguinis profluviis v. g. ex vtero, ſi quidem pulueri nitroſo iungatur (*Idem* ibid. P. II. p. 112.), et naribus (*Idem* l. m. c. p. 18.) procedentibus, haemorrhoidibus quoque nimiis (*Idem* l. m. c. p. 92.), pollutionibusque nocturnis (LAVDVN in iournal de medecine, chirurgie et pharmacie T. 74. 1788. Ian.) ſiſtendis tantopere efficax. ad homines animi deliquio correptos reſuſcitandos tam potens remedium.

Neque

Neque extrinſecus adhibitus vi iſta dolores mitigante caret; ita goſſypio inſtillatus et denti carioſo intruſus (HOFFMANN l. m. c. P. II. p. 476.) mirifice interdum prodeſt.

Sunt, qui aliis medicamentis grati modo ſaporis atque odoris ergo, aut eo ſcopo adiiciunt, vt ventriculum, praecipue flatibus diſtentum, in diſſoluendis, quae illi ingeruntur, remediis iuuet.

Vix ſingulari dignus eſt nota liquor, a monacho quodam MANCHINI olim venditus, et eius poſtea nomine inſignitus; non enim eſt, niſi liquor anodinus mineralis HOFFMANNI, ſuperſtite ab huius praeparatione reſina, leni calore adiuuante, tinctus (SPIELMANN inſtitution. chemiae. Argentor. 1753. 8. p. 132.).

Idem vitrioli acidum cum oliuarum oleo in ſaponis ſpeciem abit (ACHARD journal de phyſique. à Paris. 4. Dec. 1780. Ian. et Febr. 1781.), a B. MACQVERO (Memoir. de la Societé de medecine à Paris pour 1776. p. 379 ſq.) CORNETTIO (ibid. pour 1779. p. 188.) CARMINATI (apud BRVGNATELLI biblioteca fiſica d'Europa. Pauia. 8. Vol. VII. 1789. n. 13. et apud CRELL *chemiſch. Annal.* 1790. Vol. I. p. 298.) medicis quoque vſibus commendatam: Quamuis B. MERCKIVS (*Götting. Anzeig. von gelehrten Sachen.* 1787. p. 578.) neque ſanguinis cruſtam phlogiſticam, neque coagulatum hydropicorum ſerum, neque calculos aut felleos aut vrinarios hoc ſapone diſſolutos videret, eumque in morbis diuturnis a pituita natis, in obturatione inte-

 ſtini

ſtini coli ſine fructu ſe adhibuiſſe conqueratur, in caſibus certe, in quibus ſal lixiuum ſaponis vulgaris huius vſui obſtat, medicorum meretur attentionem, in aliis quoque virtute irritante et ſoluente hunc ſuperans, ita vt a CORNETTIO (l. c.) a quatuor ad decem grana bis per diem exhibitus, in nephritide, calculo, ſcirrho mammae, a CARMINATIO (ll. cc.), modo fibrae non nimis irritabiles et ventriculi vires non nimis labefactatae ſint, ad ſcrupulos duos et maiori adhuc pondere aqua ſolutus, et quotidie per longum temporis ſpatium ingeſtus, in febribus intermittentibus pertinaciſſimis, obſtructionibus viſcerum, hydrope, ictero, cachexia, ſuppreſſione fluxus menſtrui, et extrinſecus applicatus in tumoribus pedum eximiam opem praeſtaret.

Ad hunc ſaponem accedunt quodammodo, ita tamen, vt vitrioli fortius acidum praedominans cutem rubefaciendi et rodendi facultatem exſerat, externo vſui dicata quaedam medicamenta, *vnguentum* puta *paralyticum* (New diſpenſatory II. Edit. London. 1765. 8. p. 646.), quo membra morbo hoc afflicta ad ruborem vsque fricantur, ex hoc fortiori acido, oleo baccarum lauri, et adipe porcino, et aliud nuperius denuo a LANGIO (apud MELLIN l. c. p. 365.) laudatum, ex oleo oliuarum, oleo hypericonis et oleo vitrioli conflatum.

2. *Nitri acidum*, aqua magis dilutum, ſub nomine *aquae fortis* artificibus notum, odore ſibi proprio, vaporibus rubris, quos igni expoſitum eructat, ſoluente vi, quam in multa metalla exercet, aëre nitroſo, qui, dum diſſoluuntur, exſur-

exſurgit, aliisque dotibus facile diſtinguendum, medicis rariori vſu venit, adeo vt Clariſſ: HAHNEMANN (in verſione c. operis MONROANI I. p. 77.), experientia, duce, ſerio ab eius in febribus biliofis vſu dehortetur, quamuis tum externo vſu rodente, quam in partes corporis animalis viui exercet, vi, abſumendis verrucis, ac vi putredinem arcendi, ſiſtendae oſſium cariei interdum inſeruiat, tum interno vſu, modo aqua ſatis temperatum, et eadem virtute putredini reſiſtente, et diuretica mirifice proſit: Ita iam FR. HOFFMANNVS (Medicin. ration. ſyſtemat. T. IV. P. I. p. 270.) aqua vel cereuiſia tenui, cuius ſingulis menſuris ſpiritus nitri quinquaginta circiter guttae inſtillatae erant, largius pota, in febre caſtrenſi maligna petechiali, et nuperius Clar. EBERHARD (apud HIRSCHEL l. c. p. 126.) aqua forti potui ordinario inſtillata multos Pomeraniae ruſticos a febre maligna epidemica tum praeſeruatos tum ſanatos vidit; etiam Cl. HAHNEMANN (l. m. c. p. 76.) ſpiritum nitri adeo fortem, vt pondus eius ſpecificum pondere aquae = 1000 poſito, aequaret 1400, quotidie ad decem vel quindecim grana vna cum copioſiſſimo potu aquoſo ingeſtum, in hydrope egregiam tuliſſe opem expertus eſt.

Spiritus nitri fumans, *Spiritus nitri Glauberi*, rutilo colore flammeisque halitibus, quos eructat, facile diſtinguendus, caute applicatus, vel penicilli ope illitus, ad tumores palpebrarum cyſticos, praeſertim cyſtidem relictam, verrucas, excreſcen-

 tias

tias carnoſas, hordeola ſuppurantia, pure expreſſo, exedenda, ſtaphyloma et mala a tumore chronico et induratione interioris tunicae palpebrae nata ſananda commendatus a Guil. ROWLEY (treatiſe on one hundred and eighteen principal diſeaſes of the eyes and eylids. London. 1790. 8.)

Exhibet autem hoc quoque acidum cum puriſſimo vini ſpiritu ſimilem in modum tractatum, quam vitrioli acidum, tam *aetherem* vel *naphtham nitri*, quam *ſpiritum nitri dulcem*, aliis (Pharmacop. Edinburg. p. 81.) *acidum nitri vinoſum*, vel (Pharmac. ſuecic. p. 99.) *Spiritus aethereus nitroſus* appellatum, qui vterque viribus accedit ad aetherem vitrioli et ſpiritum vitrioli dulcem, ſuaui odore, vt multis videtur, antecellit: Poſterior potiſſimum tanquam refrigerans et ſpasmis moderans medicamen a guttis 40 - 120, et duas vsque drachmas, in febris intermittentis tertianae paroxysmo (FR. HOFFMANN l. m. c. T. IV. P. I. p. 20.), ſingultu (*Idem* ibid. P. 3. p. 430.), epilepſiae inſultu (*Idem* l.m.c. p. 20.) aliisque id genus malis cum fructu adhibetur. Ab eiusdem cum aequali ſpiritus vitrioli acidi pondere permiſti, vocat nunc (Pharmac. ſelect. obſeruat. clinic. comprobat. Wezlar 8. Ed. 3. 1792. p. 45.) Cl. VOGLER *Elixir acidum*, guttis decem ad triginta aliquot aquae fontanae vnciis inſtillatis, in morbis ſpaſmodicis, neruorum ſumma debilitate, virium proſtratione febres malignas comitante atque excipiente, variolis malignis vel ob virium vitalium lapſum non erumpentibus aut retrogredientibus, animi deliquio, ſanguinis profluuio ex

ex eiusdem reſolutione oriundo eximios effectus vidit Clar. VOGLER.

3. *Salis communis acidum*, *Acidum muriaticum*, *Spiritus ſalis*, ſingulari pariter eoque ingrato odore nares ferit, aquam fortem ſuo conſortio in aquam regis commutat, caeleſtem cupri in aqua forti diſſoluti colorem in viridem conuertit, argento aqua forti ſoluto lacteam opacitatem inducit, nequaquam vero, modo purum ſit, factam terrae calcariae vel ponderoſae per quodcunque acidum ſolutionem turbat.

Vi putredinem aliasque humorum corruptelas arcendi cum vtroque mox praecedente acido convenit, vt pariter tum interno vſu ad guttas viginti vsque per integrum diem liquori cuidam aquoſo inſtillatum, ſcrophulis (FERRIAR l. c. p. 171.), ſcorbuto, et febribus potiſſimum putridis (HAHNEMANN apud MONRO l. c. I. p. 77.) et malignis, (W. WRIGHT London medic. journ. Vol. 3. P. I. *überſ. in Samml. auserleſen. Abhandl. zum Gebrauch practiſch. Aerzte.* Lipſ. 8. Vol XII. p. 104.), adeo petechialibus ipſique peſti (W. FORDYCE on the virtues of muriatic acid or ſpirit of ſea-ſalt in the cure of putrid diſeaſes. London 1789. 8. *überſ. in Samml. auserleſ. Abhandl.* etc. Vol. XIV. 1791. faſc. 3.) ſanandis, tum externo vſu, gargariſmatibus additum, quae in vlceribus colli interioris gangraenoſis praeſcribuntur, melle temperatum, et (DE MEZA act. ſociet. reg. Haunienſ. Vol. II. 1791. n. 7.) partibus affectis penicilli ope illitum, cancro oris aquoſo fungoque labii ſuperioris (van WY

Verhandeling. van het Maatſchapp. der Vetenſk. te Haarlem. Vol. XIX. P. I.) tollendo, aqua diſtillata (ad drachmam ſpiritus aquae vncias quatuor imperat van SWIETEN (l. c. III. p. 369.) dilutum, et, ſi lenius malum ſit, melle edulcatum, in ſcorbuticis oris vlceribus ſanandis (van SWIETEN l. m. c. p. 803.), in gangraena et ſphacelo, praeſertim gingiuarum, inhibendo (*Idem* l. m. c.), ad gangraenam, potiſſimum teſticulos infeſtantem, ſiſtendam (KIRKLAND enquiry into the preſent ſtate of medical ſurgery. London. 8. Vol. II. 1786.), ad progreſſus ipſius cancri impediendos (van SWIETEN l. m. c. p. 901.), aqua roſarum temperatum, ita vt primo quinque ad decem, ſenſim quinquaginta et ſexaginta guttae aquae vnciae inſtillentur, chemoſi diſſipandae, et fungis palpebrarum ac corneae corrodendis (van WY Verhandlingen van het bataafſch Genootſkap te Rotterdam. D. 5. 1781.), vuulae a ſeri colluuie nimia prolongatae et tumidae (JAEGER *fünfzig chirurgiſch-practiſche Cautelen.* Francf. 1788. 8.) reſtituendae commendatum fuerit.

Sunt, qui eodem acido perniones lauando feliciter (LINNE mater. medic. Ed. sta. cur. SCHREBERI. Erlang. 1787. 8. p. 297. alius ap. VANDERMONDE recueil periodique d'obſervations de médécine, chirurgie, pharmacie etc. T. VII. 1757. Aug. n. 9. p. 154.) ſuſtuliſſe ſe gloriantur; alii qui (W. ROWLEY treatiſe on the regular, irregular, atonic and flying gout. London. 1792. 8.) eo, 128 partibus aquae diluto pedes lauando, podagram ſanaſſe, alii (Gentleman's Magazine. London 8. for.

1752.

1752. p. 579.), qui eius cum terebinthinae oleo miſtura extrinſecus calida applicata arthritidem fixam, tumores calcaria materia refertos aliosque duros diſpuliſſe, paralyſin ipſam ſanaſſe ſe, referunt: Vnguento ex vna eius, vna vnguenti de althaea, et quatuor vnguenti iuniperini partibus parato, et bis quotidie per menſem vnum et dimidium inuncto, tineae pertinaci feliciter medicatus eſt PLENCK (apud MOHRENHEIM *wieneriſche-Beyträge zur practiſchen Arzneykunde.* Deſſau und Leipz. 8. II. 1783.).

Spiritus ſalis dulcis, facto per diſtillationem arctiori cum vini ſpiritu connubio paratus; ad guttas viginti et triginta ingeſtus, non arthriticos modo dolores et tumores, tumoresque oedematoſos, qui febres intermittentes crebro excipiunt, tollere; ſed largiori doſi ad cochleare vnum vel alterum cum cereuiſia ante febris inuaſionem exhibitum febres intermittentes ſanare perhibet LANGE (de remediis Brrunſuicenſium domeſticis. Brunſu. 1769. 8. p. 205 ſq.), extrinſecus cum charta emporetica caute applicato crines exſtirpari poſſe teſtatur ROSENSTEIN (apud LINNÉ mater. medic. p. 297.).

Spiritus arthriticus Pottii, ex diſtillatione ſalis communis cum vitrioli et terebinthinae oleo prodiens, in tumoribus cyſticis durioribus emolliendis efficaciſſimus (ACRELL *chirurgiſche Vorfälle überſ. von* I. A MVRRAY. Goetting. 8. Vol. I. 1777. p. 335.).

4. *Acidum boracis*, *Sal ſedatiuum*, *Sal narcoticum*, *Sal Hombergii*, ſapore debili non acido, facie externa ſquamulas micae margari-

 tarum

tarum inſtar nitentis referente, facili in igne fluxu, difficili in aqua ſolutione, ſatis a praecedentibus diſtinctum, BECCHERO, vti quidem videtur (Phyſicae ſubterraneae. Suppl. 2. 4. Th. 17. n. 190.) iam cognitum, et eo, quod perinde ac HOMBERGIVS, qui primus (Memoir. de l'Académ. royale des ſcienc. à Paris ad ann. 1702. n. 2.) eius parandi modum populari ſermone publice expoſuit, a vitrioli potius acido, quam a borace originem eius deducebat, ab illo Viro *Sal volatile olei vitrioli* appellatum, cuius loco noſtra adhuc aetate in Gallia (DE MORVEAV nouv. memoir. de l'Acad. de Dijon. 1785. ſem. 2. p. 239 ſqq.) mercurius ſublimatus corroſiuus dulci miſtus venditus fuit, omnino facile diſcernendus.

Iam HOMBERGIVS (l. c.) vires huius ſalis leniendis ſpasmis, doloribus, aliis neruorum turbis pares, in febribus malignis delirio ſtipatis, in mania, epilepſia, aliisque eiusmodi morbis efficaces, pronunciauit, ſubſcribentibus huic ſententiae multis ſerioris aetatis iisque magni nominis medicis, inter quos nominaſſe ſufficiat CARTHEVSERVM (*Vermiſchte Schriften aus der Naturwiſſenſchaft, Chymie und Arzneygelahrheit.* Francf. an der Oder 8. n. 3. 1756. p. 180.), HASENEST (Commerc. litterar. noricum ann. 1736. p. 12.) PH. FRID. GMELIN botanic. et chem. ad praxin medicam applicat. Tubing. 1755. §. 11. p. 30.) LIEVTAVD (ſynopſ. prax. medic. 1765. P. II. l. 1. ſ. 2. art 13.) A. CHRN. REVSS (diſſ. de ſale ſedatiuo Hombergii. Tubing. 1778. 4. p. 43.),

43.), qui granorum trium ad decem, et, ſi fluido quodam ſolutum erat, ſcrupuli pondere ingeri iubebant, ea medicina tanto magis gauiſi, quod omni prauo ſapore orba facilius aegrotis, etiam delicatioribus et alia medicamenta faſtidientibus ac pertinaciſſime ſaepe renuentibus, ingeri poterat, neque aegrotos aliorum ſoporiferorum more aut excalefaciebat, aut debilitabat; inter nuperiores tamen Ill. CVLLEN (l. c. P. 2.) multiplici experientia conuictus nullo fundamento niti haec praeconia ſibi perſuaſit.

5. *Sal ſuccini*, *Sal ſuccini volatile*, odore ſibi proprio ad empyreumaticum accedente, minus grato, forma priſmatum triedrorum ſicca, ſolida, ad aërem perſiſtente, magna volatilitate, ipſa ſalium mediorum, quae cum ſalibus lixiuis progignit, indole (STOCKAR DE NEVFORN ſpecimen de ſuccino. Lugd. Batav. 1760. 4. p. 26 ſq.) facile dignoſcendum; ſi quidem purum ſit, totum aqua et vini ſpiritu diſſoluitur, ita vt poſterior haec ſolutio ab aqua non turbetur, et igni expoſitum totum in auras auolat, neque vnquam, cum calce viua tritum, ſalis ammoniaci ſpiritum olet, at frequenter ſuccini ipſius puluere et oleo, cremore tartari, ſale armoniaco eiusque ſale volatili adulteratur.

Sal hic acore ſuo vrinam pellit, vt ab immortali BOERHAAVIO (Elem. Chem. Lugd. Bat. 4. 1732. II. p. 288.) principis diuretici titulo condecoratus fuerit, putredini potenter reſiſtit, quare in ſphacelo ſenum commendatus, et ſtimulat; ideo in

ſumma febrium malignarum debilitate, ac, niſi plenitudo vaſorum obſtet, in paralyſi et apoplexia ipſa proficuus; in amauroſi ſananda, vtique vna cum aliis e. g. radice valerianae, emplaſtris veſicatoriis inter humeros adplicatis efficax (LVXMORE memoirs of the medic. Societ. at London. Vol. III. 1792. app. XXXI.). Oleo firmius infixo virtute refrigerante, plurimis reliquis acidis communi, priuatur, ſed potentius ſudorem mouet, vt in morbis a tranſpiratione ſuppreſſa natis, exanthematibus aut retrogreſſis, aut, ſi critica ſint, ad ſuperficiem exterminandis, arthritide, egregie proſit, et ſpaſmos ſedat; hinc ſiue ſolus, ſiue cum ſpiritu cornu cerui depurato ad ſaturationem vsque permiſtus (*Spiritus cornu cerui ſuccinatus*, *Liquor cornu cerui ſuccinatus*) in malo hyſterico aeque ac aliis morbis ſpaſticis mirae efficaciae. Exhibetur autem a granis duobus ad decem et viginti vsque vel cum aliis in pilulas redactus, vel cum ſaccharo tritus, vel cum vino, aqua diſtillata aut emulſione permiſtus.

B. SALIA ALCALINA.

Cum ſalibus acidis in neutra tranſeunt, cum oleo et pinguedine in ſaponum genus vulgare, ſulphur, ceram, reſinas ſoluunt, ceterum diſſoluendi corpora facultate acidis longe inferiora, quaecunque his ſoluta ſunt, exturbant, colorem caeruleum multorum vegetabilium in viridem, rubrum in violaceum, flauum in rufum conuertunt; modo aqua aut aëre fixo temperata ſatis fuerint, ſapore ſibi proprio, vrinoſum forte dixeris, linguam ferientia,

tia, ceterum vtroque, quantum fieri poteſt, orbata, igneam acrimoniam, quamcunque corporis viui partem contigerint, exercentia.

Si parciora quaedam *alcali vegetabilis*, *Potaſſa* recentioribus quibusdam dicti, in ſalibus quibusdam compoſitis, et *alcali volatilis* ſiue *ammoniaci* in corporibus ex regno animali natales ſuos trahentibus obuia veſtigia excipias, in regno minerali non occurrit, niſi, quod vulgo audit *alcali minerale*, Veteribus *Natrum*, recentioribus Francorum phyſicis et qui eos ſequuntur, *Soda;* vtique ne haec quidem in ſolo hoc naturae regno deprehendenda, vt potius maxima eius pars, quae hodienum medicis vſu venit, ex cineribus plantarum quarundam maritimarum, ſub ſalſolae potiſſimum genere militantium, eliciatur, et, ſatis quidem impurum, ſodae nomine vulgo veneat, quamuis labore non tantopere difficili, et ex ſale mirabili, et maiore adhuc cum fructu ex ſale communi aliis atque aliis modis (CRELL *chem. Journal.* Lemgo. 8. P.I. 1778, p. 101. WIEGLEB *Handbuch der Chemie.* 8. P.II. p. 72. MEYER *chemiſch. Annal.* 1784. Vol.II. p. 126. WESTRVMB *kleine phyſicaliſch-chemiſche Abhandlungen.* Leipz. 8. Faſc. 1. 1785. p. 145. DRIESSEN Natuur- en Scheikundige Waarnemingen etc. te Leyden 8. St. 1. 1791. p. 180 ſqq. CVRAVDAV journ. de phyſique. 1792. Aug. p. 108.) obtineri poſſit, et ſatis purum, aëre tamen fixo, virtuti eius ſalutari non obſtante, ſemper impraegnatum, nunc aqua ſolutum, nunc ſiccum, natura nobis ſiſtit in variis, Europae quoque, terris,

libera-

liberaliori praeſertim manu in Hungaria (RÜCKERT *chemiſch. Annal.* 1792. vol. 1. p. 365.), vt depurati a terra comite ſalis quotannis inſigne pondus vili ſatis pretio veneat.

Stimulant alcalia fibram contractilem et nerveam; ideo euitanda quidem, motu febrili, ſpasmis, conuulſionibus corpus exagitantibus, fibris nimium tenſis, aut irritabilibus, tanto potiora, his languentibus aut torpentibus. Attenuant humores et tenacem praeſertim pituitam incidunt, hinc in obſtructionibus, a nimia humorum ſpiſſitudine proficiſcentibus, in ſcrophulis, in morbis pectoris, capitis, ventriculi, aliarum partium, ab accumulata tenaci pituita natis. Vrinam mouent, ideo hydropicis, et hinc inde nephriticis commendata. Acidum denique ſuo conſortio in ſal medium conuertendo domant, vt igitur noxis a deglutito veneno acido imminentibus, et dominanti ex vitio diaetae aut morbi ſpecie ventriculi acori egregio cum ſucceſſu opponi poſſint.

Antecellit tamen inter haec non virtute quidem, verum ſapore minus ingrato *alcali minerale* ſ. Natrum antiquorum LINN. *Syſt. nat. III. p.* 257. ſiue *carbonas ſodae*, facile in cryſtallos pellucidas ad aërem fatiſcentes abiens, vt ideo a granis quinque ad ſcrupulum vnum, modo aqua diſtillata, iuſculo carnis, aut alio potus genere ſolutum, modo cum cinnamomo et magneſia alba vel cum cinchonae cortice pulueris ſpecie permiſtum, modo cum gummi arabico aut ſyrupo zingiberis in trochiſcos, modo cum gummi arabico et liquiritiae

puluere,

puluere, aut cum conſerua quadam, aut cum extracto quodam amaro, aut cum ſapone albo (TH. BEDDOES obſerv. on the nature and cure of calculus, ſea-ſcurvy, conſumtion, catarrh and fever etc. Lond. 1793. 8.) in pilulas redactum, in debellandis ventriculi acore, ardore, tenaci pituita, ſcrophulis (KIRKLAND l. c. II.), aliisque tumoribus indolentibus et obſtructionibus (MONRO l. c. I. p. 106.), in ipſo calculo vrinae (BEDDOES l. c.) ſoluendis, vlceribus cancroſis ſanandis (LA CHAPELLE ap. DESAVLT journ. de chirurgie à Paris. 8. T. I. 1791.) cum fructu exhibitum ſit: Drachmas duas aquae calcis libris duabus ſolutas quotidie mane per quatuordecim dies continuos aſſumtas ſabulum et calculum mirifice pellere THEDEN (*Unterricht für die Unterwundärzte bey Armeen.* Berlin 1774. 8.) teſtatur.

C. SALIA NEVTRA.

Sapore minus acri gaudent haec ſalia, quamvis omni humore priua, neque efferueſcunt cum acidis aqua dilutis, neque ſatis notabiliter cum alcalibus.

a. SALIA NEVTRA GENVINA

Appellare liceat illa, quae ex acidi cum alcali connubio nata ſunt, eo quod illorum ſolutio per aquam diſtillatam facta ab alcali infuſo non turbatur, facile dignoſcenda.

Ex

Ex hiſce ſalibus illa, quae in officinis proſtant, aluum leniter mouent, parciori praebio ingeſta vrinam, parciori adhuc, verum ſaepius repetita, humores attenuant, et obſtructa per humores nimium ſpiſſos vaſa et viſcera reſerant, diuturno tamen vſu inteſtina debilitant, vt, ſi ſalem ammoniacum exceperis, corpori viuo ea doſi, quam ferre ſine aliis incommodis poteſt, ingeſta, putredinem potius promouere videantur, quam inhibere; cauendum idcirco ab eorum vſu in febribus putridis et alui profluuiis.

Sunt alia horum ſalium perfecta, ex iuſta amborum ſalium ſimplicium, quibus conflantur, proportione ita compoſita, vt neutrum dominetur, ſaporem igitur neque lixiuioſum, neque acidum linguae imprimentia, colores vegetabilium haud mutantia: Huc ſpectant ſal mirabile Glauberi, nitrum, ſal commune, ſal ammoniacum. Alia ſunt imperfecta, ita vt alterutra partium conſtituentium, et heic quidem alcalina dominetur; hinc ſapore pauliſper vrinoſo pollent, quae acidis ſoluta ſunt, terras et metalla praecipitant, colorem caeruleum, quem braſſica rubra aquae impertitur, in viridem, rubrum ligni fernambucani in violaceum, flauum curcumae in rufum conuertunt, et eosdem colores per acida immutatos reſtituunt: Huc pertinent borax, et ſal thermarum Carolinarum.

1. *Sal mirabile Glauberi*, *Alcali minerale vitriolatum*, *Mirabile genuinum* (LINN. *Syſt. nat. III. p.* 265.) *Natrum vitriolatum*, *Soda vitriolata*, *Sulphas ſodae*, ſapore amaricante, ſenſu

ſenſu refrigerii, quem, dum in ſaliua diffluit, per omnes internas oris partes diffundit, cryſtallorum, quarum ſpecie facile comparet, egregia pelluciditate, facilimo in igne et aqueo quaſi fluxu, facili in aqua feruida ſolutione (vt quinque eius partes quatuor tantummodo aquae expoſcant), celeri, ſi aëri praeſertim ſicco aut calido opportunae fuerint, in pollen album fatiſcentia, forma hexaëdro-priſmatica, ita tamen, vt binae facies oppoſitae reliquas latitudine multum ſuperent, ab alcali minerali notis ſalis neutri perfecti, a ſale amaro notis ſalis neutri genuini, a nitro denique cryſtallorum forma et fatiſcentia, detonatione, ſi combuſtilibus miſtum igni candenti exponatur, nulla, et effectu, quem ſolutis per nitri acidum terrae calcareae aut ponderoſae, plumbo, hydrargyro aut argento inſtillata eius ſolutio per aquam peracta gignit, hos ſcilicet liquores limpidiſſimos extemplo turbando, leui opera diſcernendum.

Praeparationis tamen vitio interdum dominatur in hoc ſale acidum, ſapore et reliquis notis facile detegendum; aut inquinatur magneſia vel cupri calce; in vtroque hoc caſu ſolutio eius per aquam diſtillatam facta ab inſtillato ſale alcali ſoluto turbatur, et ſi ſpiritu ſalis ammoniaci tentetur, in poſteriori caſu colorem caeruleum monſtrat.

Siccum paulo rarius ſiſtit natura, vt tamen aliquando et ex muris (v. e. g. *chemiſch. Annal.* 1788. vol. 2. p. 195.) effloreſcat, et ex rupibus montium e. gr. Valeſiae et Heluetiae (MORELL *chemiſch.*

chemiſch. Annal. 1788. 2. p. 54. 222.), et ex parietibus cauernarum v. g. cauernae Hildeſienſis Zwergſhoele (HOFMEISTER *chemiſch. Annal.* 1790. 1. p. 45.), et ex ipſa terrae ſuperficie e. g. paludi Bohemicae Serpina vicinae (REVSS *chemiſch. Annal.* 1791. 2. p. 18 ſqq.), vix vnquam tamen ab omni labe terrea liberum, vt poſterius praeſertim, vtique arte depuratum, ſaepe pro ſale amaro veneat (HOPPE *chemiſch. Annal.* 1788. vol. 2. p. 232.), nonnunquam etiam in fodinis, ex quibus ſal gemmae eruitur, e. g. auſtriacis prope Auſſee (v. BORN *Abhandl. der böhmiſch. Geſellſch.* Vol. 3. p. 187.) occurrens.

Frequentius tamen reperitur aqua ſolutum, ex qua excoqui facili labore poteſt; inhaeret ita v. g. fonti Egrano (GREN *chem. Annal.* 1785. vol. 2. p. 326 ſq.), inhaeret aquae plurimorum, certe Germaniae, fontium ſalſorum, nonnullorum adeo copioſum, vt ex ea, quemadmodum ex aqua fontis cuiusdam Hildburghauſenſis (v. DELIVS *vorläufige Nachricht von dem* Sale aperitiuo Fridericiano *oder eröfnenden Fridrichsſalze.* Hildburghauſ. 8. Edit. 2. 1768.) magno cum fructu elici iſte ſal queat.

Magna tamen ſalis huius in pharmacopoliis venalis pars ex ſale communi conficitur, nunc, quae inuentoris methodus fuit (Oper. omn. Francof. 1658. 4. p. 495.) ex materia poſt expulſum per vitrioli acidum ex ſale communi ſpiritum ſuperſtite, nunc variis modis et diuerſa proportione miſcendo ſal commune cum alumine (NEVMANN medicin. Chymie. 1. p. 282. CONSTANTINI *Chemiſch. Journ.*

P. 6.

P. 6. p. 78. DEHNE *neueſte Entdeckungen in der Chemie.* P. 2. p. 51 ſq. *Anonym. Beytr. zu den chemiſch. Annal.* P. 3. p. 343. FVCHS *chemiſch. Annal.* 1789. vol. 2. p. 46. TVHTEN ibid. 1790. vol. 2. p. 519.), ſale amaro (SCHEELE ibid. 1785. vol. 2. p. 513.), gipſo, poſtquam per adfuſum alcali volatile ſal ammoniacum ſecretum Glauberi iam genitum erat (WENZEL *Lehre von der Verwandſchaft der Körper.* p. 463.), cum tartaro vitriolato (FVCHS l. m. c.) aut ferri vitriolo (NEVMANN l. m. c. et vol. 2. p. 11. 50. F...R *chemiſch. Journal.* P. 6. p. 78. BALLEN *Beytr. zu den chemiſch. Annal.* P. 3 p. 112. PIEPENBRING *chem. Annal.* 1790. vol. 1. p. 510. TVHTEN l. m. c. p. 509. LIEBLEIN ibid. vol. 2. p. 406. et 1792. vol. 2. p. 207 ſqq.).

Exhibetur hoc ſal mirabile nunc cryſtallorum forma, nunc in pollen album dilapſum, qua quidem poſteriori forma, quum fatiſcendo omnem fere aquam ad efficaciam eius perparum facientem et dimidium ſui ponderis amiſerit, longe potentius agit, vt dimidio minori praebio opus ſit; ceterum pro alio atque alio ſcopo modo maiore modo minore; ſi aluum mouere velis, quo quidem fine propter vim ſuam refrigerantem minus ſtimulantem in febribus plurimis reliquis ſalibus neutris praeſtat, cryſtallorum vncia dimidia ad vncias duas, ſi lotium pellere, aut obſtructa vaſa reſerare, ſcrupulo, drachma vna ad vnciam dimidiam opus eſt.

Praeſtat, niſi dilapſum in puluerem ſalem praeſcribas, exhibere aqua ſolutum, quam ſiccum, et quum ſapor eius a quouis acido adiecto multo

gratior fiat, huic iungere; ita v. g. ſoluere potu acidulo ex ſucco malorum citreorum parato, Limonade dicto, et diluere adhuc aqua e cinnamomo diſtillata: Iuuat aliquando mannam, pulpam tamarindorum vel alia eiusmodi admiſcere.

Doſi minori egregie inſeruit ſoluendis viſcerum (TROMSDORF progr. de ſale mirabili Glauberi. Erford. 4. 1771. p. 16.), praeſertim meſenterii glandularum, obſtructionibus, et ſanandae, prouenienti toties ex hoc fonte infantum atrophiae, vt ſint, qui inter medelas huic malo opponendas principem huic ſali ſero lactis ſoluto locum concedant (LANGE miſcellae veritates de rebus medicis. Luneb. 1774. 8.); poſteriori fine melle, extractis amaris, vel ſali quoque ammoniaco iungendus.

Clyſmatibus etiam, quibus canalis inteſtinorum a ſordibus liberatur, addi poteſt; et quum, dum aquam ſubit, ingens excitat frigus in aqua ſolutus, fomentis illis frigidis nuperius ad ſanguinis profluuia ſiſtenda tantopere celebratis, medio etiam aeſtatis feruore materiam praebet eximiam, tanto potiorem, ſi conſortio ſalis ammoniaci ſtipatus ſit.

2. *Nitrum*, (LINN. *Syſt. nat. III. p.* 262.) *Nitrum commune*, *priſmaticum*, *vulgare*, *Alcali vegetabile nitratum*, *Nitras potaſſae*, ſapore amaro, refrigerii ſenſu, quem, in ore diffluens, diffundit, cryſtallorum forma hexaëdro-priſmatica, virtute refrigerante ſali mirabili affine; at ſapor magis acris, tardior ac paulo difficilior in ſaliua perinde ac in aqua diſſolu-

tio,

tio, priſmatis facies aequales iam obiter examinanti diſcrimen indicant; accedit, quod nitrum aëri libero opportunum nunquam dilabatur, neque, modo purum ſit, humeſcat, et quod prunis inſperſum detonet; poſteriori hac nota ab omni alio ſale hactenus medicinali ſatis diſtinctum.

Venale tamen nitrum crebro terreis aliisue ſalibus, ſale praeſertim culinari, inquinatur, quorum ſi penitus expers ſit, eius per aquam diſtillatam facta ſolutio neque per lixiuium ex cineribus clauellatis paratum limpidum, neque per argentum aqua forti ſolutum atque inſtillatum turbatur.

Rarius et hic ſal in naturae ſinu iam purus et perfectus occurrit; proſtant tamen praeter alia diutius cognita in aliis orbis noſtri partibus obuia exempla certiora bina, alterum prope *Molfettam Apuliae* (ZIMMERMANN *in Beytr. zu den chem. Annal.* vol. 4. p. 1 ſq.), alterum Franconiae in cauerna montis, cui caſtellum Homburg ſuperimpoſitum eſt (PICKEL *chem. Annal.* 1791. I. p. 325.): Maxima autem nitri pars artis auxilium requirit; alia ex terris, quas natura iam offert nitro grauidas, aut ex materie murorum, ex quibus effloreſcit, maior longe ex terris cum materiis putreſcentibus vegetabilibus, praeſertim autem animalibus permiſtis, et libero aëris contactui per longum temporis ſpatium opportunis, eruitur.

Nitrum interno potiſſimum vſui deſtinatum generalibus quidem dotibus cum ceteris ſalibus

 neutris

neutris conuenit, at maiorem multo poſcit circumſpectionem, quam vulgo putatur, quum nuperiora infortunia docuerint, immoderatum atque intempeſtium eius vſum necem attuliſſe; ita intra binos dies nitri drachmas ſex cum duabus cremoris tartari commiſtas puero (*allgemeine Litteraturzeitung.* 1788. Dec. p. 796.), ita vnciam vnam aegroto (LA FLIZE Journal de medecine, chirurgie, pharmacie. T. 71. 1787. Jun.); vncias duas in homine cetera ſano et robuſto ventriculi dolores, tormina, vomitum violentum, ſub finem cruentum, valetudinem diu vacillantem FALCONER (memoirs of the med. ſoc. at London Vol. III. 1792. app. n. IX.), vnam cum dimidia nitri meraci feminae lethalem inflammationem et gangraenam concitaſſe refert SOVVILLE (Journal de medecine, chirurgie, pharmacie etc. Vol. 73.): A drachma vna quotidie deglutita natam vidit brachii paralyſin ALSTON (ap. MONRO l. c. Vol. I. c. 5. ſect. 4. p. 159.). Eſt enim nitro ingens vis, partes, quas contingit, relaxandi, ipſas vitae vires debilitandi (ALEXANDER *mediciniſche Verſuche und Erfahrungen überſ.* Leipz. 1773. 8. p. 78 ſqq.), vt ea de cauſſa, ſi potiſſimum largiori paulo manu, aut per longius temporis ſpatium, aut debilibus exhibeatur, digeſtionis officinam mirifice turbet, cardialgiam, oppreſſiones pectoris, vomitum, alui profluuia, alia ſymptomata (ALEXANDER l. c. p. 80. 86. 89.) excitet, et, quamuis extra corpus animale viuum carnibus, ſanguini, aliis humoribus additum (PRINGLE philoſoph. Transact. Lond. 1755. nr. 496. art. 2. p. 525 ſq. et ALEXANDER l. c. p. 14 ſq.) putredinem potentiſſime arceat, eaque

eaque virtute plurima reliqua ſalia neutra genuina vincat, homini tamen viuo ea doſi, quam ferre ſine aliis incommodis valet, ingeſtum, putredini potius faueat, ideoque in febribus putridae et malignae indolis tum ea dote tum aluum nimis ſtimulando et in vlceribus potiſſimum ſenum, niſi (BECCHER apud Ill. RICHTER *chirurgiſche Bibliothek.* Vol. 8. Gött. 1785. 8. p. 103.) ſanguis ſpiſſitudine nimia peccet, noceat.

Eadem eſt cauſa, quare medici hoc nitro vix vnquam vtantur eo ſcopo, vt aluum ducat, frequentius ſcrupuli ſimplicis vel duplicis pondere aliis aluum laxantibus adiiciant: Neque, licet magna ſit eius vis, ſi experimenta extra corpus viuum inſtituta (FR. HOFFMANN diſſ. de ſalium mediorum excellente in medendo virtute in opuſc. medico-practicis. Hal. 4. 1737. Dec. II. n. 1. §. 16. p. 301. Obſeruationes phyſico chemicae ſelectiores. Hal. 1736. 4. L. 2. Obſ. 1. n. 5. p. 103. Medicin. rational. ſyſtemat. T. III. p. 470. I. BOECLER an nitrum ſanguinem reſoluat aut coagulet? Argentor. 1741. 4. §. 7.) conſulas, ſanguinem diſſoluendi, maior, quam plurimis aliis ſalibus neutris, propter memoratas iam dotes, in morbis a nimia humorum ſpiſſitudine proficiſcentibus diuturnis, continuatum medicaminum vſum poſtulantibus, non adhibetur. In pedum tamen vlceribus ſcrupuli, imo ſenſim drachmae vnius et dimidiae pondere ter vel quater de die exhibitum, et aliquot camphorae granis, vel ſpiritus ſalis armoniaci guttis temperatum egregie efficax expertus eſt ROWLEY (eſſay on the

cure of vlcerated legs without veſt. London 8. Ed. 2. 1771.) et SCHNEIDER (apud Ill. RICHTER *chirurgiſche Bibliothek.* Vol. V. p. 543.).

Eximia autem eſt eius virtus refrigerans, fortior, quando vix, antequam ab aegro deglutitur, aqua ſoluitur (ALEXANDER l. c. p. 86.), in febribus, et, quum pulſuum numerum imminuat, et circulo humorum nimis vegeto quaſi extemplo moderetur, egregius eius vſus in febribus inflammatoriis puris et ſimplicibus, ſi ſingulis horis aut ſesquihoris bini eius ſcrupuli cum aqua meraca (ALEXANDER l. c. p. 88.), aut in rheumatiſmo, praecipue acuto (MACBRIDE introduction to the theory and practice of phyſic. London. 4. 1772. vol. 2. p. 497.) viginti quatuor horarum ſpatio drachmae ſex (VAN SWIETEN l. c. vol. 5. p. 679.) aut decem (BROCKLEBY *Beobachtungen zur Verbeſſerung der Kriegslazarethe und der Heilart der Feldkrankheiten überſ. v.* CHR. G. SELLE. Berlin 1772. 8. p. 76. 77.), decocto tepido hordei, auenae, emulſione alioue potu ſolutae propinentur, qua poſteriori cautela adhibita nimia quoque eius vis refrigerans ventriculo, debiliorum potiſſimum, toties nociua, infringi feliciter, et nitrum in medicamen ſudorificum conuerti poteſt; tum eodem ſcopo, tum in morbis pectoris, quibus nitri vſus conducit, ne ad tuſſim irritet, cum ſaccharo aut gummi arabico in puluerem conteri (*Puluis nitroſus*) vel in trochiſcos (*Trochiſci e nitro*) compingi poterit.

Ex hac eius refrigerante virtute fluit ſine dubio altera, quae ſpaſmos ſedat; quare multi

eius

eius vſum in ſpaſmis abdomen eiusque viſcera conſtringentibus, alii in ſanguinis (STAHL opuſc. chymico-phyſico. medic. Hal. 1715. 4. menſ. Mart. p. 572. et DICKSON medical obſeruations and inquiries by a Society of Phyſicians in London. Vol. 4. 8. 1771. n. 16. p. 206.) profluuiis, et haemoptoë praeſertim coërcendis commendarunt, ſiue ſpermate ceti exceptum, ſiue cum octo conſeruae roſarum partibus in electuarii formam redactum, ita vt eius electuarii fruſtulum nucem moſchatam magnitudine aequans quater vel octies per diem ſumerent aegri, ſiue (HARTMANN nou. act. reg. ſcient. ſociet. Vpſal. vol. I. p. 104. BVRY diſſ. de nitri effectibus in corpus humanum. Gieſſ. 1780. 4.) frumenti ſpiritu ardente, ita vt nihil amplius nitri ſoluat, ſolutum, quae quidem poſterior methodus periculo vix caret.

Neque neganda eſt vis nitri lotium pellens; quicquid certe in leucophlegmatia et hydrocele diſſipanda effecit (RICHARD Journal de medecine, chirurgie, pharmacie etc. à Paris. 1768. T. XXIX. Aug. n. 5.) drachma eius aquae menſura ſoluta, continuato per quatuordecim dies vſu, huic tribuas: Multum pariter facere videtur ad eum nitri effectum, quem teſte inter alios LANGIO (de remed. Brunſuicenſium domeſticis p. 166. 167.), praemiſſo ad aluum laxandam mercurio dulci, et data ſimul ſingulis diebus mane terebinthina cruda, nitri ſcrupulus aqua ſolutus atque ante decubitum exhauſtus, in pollutionibus nocturnis, gonorrhoea, penis erectione dolorifica praeſtitit, quamuis maiore

 doſi

doſi v. g. ad drachmas ſex ſero lactis tepido ſolutum et quotidie deglutitum vrinae ardorem ac difficultates, ex cauſa ſiphylitica natas, auxiſſe potius expertus ſit ALEXANDER (l. c. p. 95.), et carere ſe malle aduerſus gonorrhoeam hoc ſale teſtetur Clariſſ. HAHNEMANN (ap. MONRO l. c. p. 159.).

Cum hoc nitro omnibus notis conſpirat, niſi velis ſale communi adhuc inquinatum eſſe (*v. Beytr. zu den chemiſch. Annal.* Vol. III. p. 319. et HECHT *chem. Annal.* 1787. vol. I. p. 526.) ſal a Saxoniae quodam artifice HERMANN *mirifici* titulo condecoratum, et tanquam arcanum et panchreſtum remedium enormi pretio venditum. Neque abludit, niſi iactura aquae cryſtallis nitri earumque pulueri inhaerentis ignis vi diſſipatae, nitrum tabulatum, conſilio immort. BOERHAAVII (*El. chem.* vol. II. p. 389. n. 1. 2.) et Clariſſ. HAGEN (*Lehrbuch der Apothekerkunſt.* Ed. 4. Vol. II. 1792. p. 234.), ſine ſulphuris additamento liquatum, et in rotularum formam redactum.

Externus quoque nitri aqua vel aquoſis humoribus ſoluti vſus tentatus et commendatus a medicis fuit; Ita BROCKLESBY (l. c. p. 78.) militibus rheumatiſmo acuto correptis praeter internum nitri vſum optimo cum euentu ad aluum aperiendam enemata iniici iuſſit, quae ſingula nitri ſeſquivnciam recipiebant; additur quoque refrigerandi et conſtringendi ſcopo gargariſmatis, in tonſillarum relaxatione, et variis anginae ſpeciebus adhibitis, et quum eo praeſertim tempore, quo aquam ſubit, huic frigus ſatis notabile conciliet, fomentorum frigidorum

gidorum aduerſus ſanguinis profluuia efficacitas eius auxilio augeri mirifice poteſt.

PRAEPARATA.

Spiritus nitri, *Aqua fortis*, v. *Acidum nitri*.

Lapis prunellae, *Sal prunellae*; *Cryſtallus mineralis*, vulgo *Nitrum tabulatum*, non eſt niſi nitrum cum octaua ſulphuris parte fuſum, et in rotularum formam redactum, hinc ſi efficaciae ſalutaris rationem habeas, parum a nitro ipſo abludens, quippe cuius exigua tantummodo portio, ſulphuris vel potius acidi, quod ardendo largitur, conſortio in alterius ſalis, tartari vitriolati, indolem tranſit: Angina laborantibus potiſſimum praecipitur eius vſus in gargariſmatibus.

Sal polychreſtus, multis a GLASERO, aliis a BOERHAAVIO (Elem. chem. vol. II. p. 390.), LEMERYO (Cours de chymie. à Bruxell. 1744. 8. p. 440.) aut Pariſienſibus denominatus, HARTMANNO (prax. chymiatr. P. II. C. 205.) *Nitrum fixum* dictus, nitro cum ſulphuris aut aequali, aut ea certe copia, quae catillo iniecta ſine flamma caerulea ardet, deflagrante natus, vulgari certe modo paratus, indole et viribus vix a tartaro vitriolato diſcrepat, tametſi facile largiar, alio procedendi modo ſalem emergere, qui propius ad tartarum vitriolatum volatilem accedit: Humores ſpiſſos, praeſertim pituitam tenacem attenuat, obſtructiones ex eo fonte promanantes tollit, morbos, praecipue chronicos, e. g. febres intermittentes (BOERHAAVE l. m. c. p. 391. 392.), inde oriundas, feliciter ſanat

ſi aſſiduo ſimul ſeri lactis vſu aegris iniuncto drachmae eius duae multa aqua ſolutae, mane per multos dies continuos ingeruntur.

Nitrum fixum, *Nitrum alcaliſatum* vocatur illud ſal, quod a nitro cum carbonum puluere in catillo candente deflagrante ſuperat, verum alcali vegetabile aëre fixo imbutum (*Carbonas potaſſae*) cineribus clauellatis depuratis, ſiue indolis chemicae, ſiue potentiae, quam in corpus animale exercet, rationem habeas, ſimilimum, vt certe praeconia medicorum huic ſali tanquam medicamini diſcutienti, reſoluenti, lotium pellenti praerogatiuam prae aliis ſalibus lixiuis concedentium, aeui genio tribuas, genuinam ſalis indolem praetervidenti.

Liquor nitri fixi, *Alcaheſt* ab aliis *Helmontii*, ab aliis *Glauberi* nomine inſignitum, non eſt niſi nitrum fixum, ad aëris contactum deliqueſcens, ſiue humore ex atmoſphaera attracto diſſolutum, eandem ergo cum lixiuio ex ſale tartari aut cineribus clauellatis parato et indolem et efficaciam, lotium pellentem, pituitam incidentem, in hydrope toties deſideratam, exſerens, quicquid etiam GLAVBERVS (pharmac. ſpagyr. P. 2. Amſtelaed. 1654. 8. p. 45 ſqq.) eiusque aſſeclae obloquantur.

Nitrum cauſticum, (CARTHEVSER elem. chem. Francof. ad Viad. 1766. 8. p. 169.) *Sal reguli antimonii martialis cauſticum* (FR. HOFFMANN obſeruat. phyſic. chemic. ſelectior. L. III. obſ. 5.), *Nitrum per metalla fixatum; Lilium minerale* (NEVMANN lection. public.

public. *vom Salpeter, Schwefel, Spießglas und Eiſen.* Berlin. 1732. 4. p. 356.) Deflagrando cum metallis (DEHNE *Verſuch über die ſcharfe Tinctur des Spießglaskönigs.* Neue Aufl. Helmſt. 1784. 8. p. 193 ſq.), ferro (STAHL materia medica p. 177. §. 52. et *Einleitung zur Chemie.* p. 192. §. 41. 42. ZIMMERMANN apud NEVMANN Chymie. Vol. II. p. 1408. 1409.), ſtanno (STAHL *Einleitung zur Chemie.* §. 41. 42. BAVMÉ chym. experiment. et raiſonnée. à Paris. 8. Vol. II. 1773. p. 497.), cupro (SCHVLZE *chemiſch. Verſuch.* §. 34. 35. p. 22. LVDOLF *Einleit. in die Chemie.* §. 41. 71. p. 351. 584. 585.), zinco (LVDOLF l. m. c. §. 70. BAVMÉ l. c. p. 364.), plumbo (DEHNE l. c. p. 201.), et potiſſimum cum antimonii, quem vocant, regulo martiali (FR. HOFFMANN obſeruat. phyſic. chem. L. III. n. 4 et 5. p. 253 ſqq.), nitrum et alcalinam nanciſcitur, et cauſticam indolem, vt fonticulos celerius (FR. HOFFMANN l. m. c. p. 253.) excitet, quam alia cauſtica, facile nunc etiam ſpiritu vini diſſoluendum, vt efficacem quidem, quatenus ab alcalina indole pendet eius virtus, *tincturam tartari,* efficaciorem ſane, quam ſal tartari vulgare, aëre fixo adhuc onuſtum, praebeat, at metallorum contineat nihil, licet a metallis *tinctura metallorum* (VIGANI medulla chymiae. Norimb. 1718. 8. p. 24.), et praeſertim ab antimonio, cuius regulus in formulam medicamenti vtplurimum receptus fuit, *tinctura antimonii* et quidem ob notabilem ſatis acrimoniam, *acris* (DEHNE l. c. p. 18 ſqq.); vel eo, quod regulus antimonii recipiebatur, *regulina* (Diſpenſatorium Brandenburgicum. Erford. 1758. fol. p. 205.), vel quod

quod prae reliquis indolem alcalinam prae ſe ferebat, *alcalina* (STAHL opuſcul. chymico-phyſico-medic. menſ. Dec. p. 505.), vel quod iam dudum nihil antimonii ſpiritum ſubire olfecerunt, *ſpuria* (CARTHEVSER pharmacolog. Berol. 8. 1745. p. 311.), vel a GLAVBERO (STAHL materia medica. 8. Dresd. 1728. p. 177. §. 52.), FR. HOFFMANNO (Pharmacop. Wirtemberg. Stuttgard. 1771. fol. p. 212.), aut MONKENIO (ZIMMERMANN *allgem. Grundſ. des theoretiſch-practiſchen Chemie.* 4. Dresd. P. I. p. 187.) denominata ſit, ab aliis etiam ob rutilum colorem, quo ad flores lilii bulbiferi accedit, *Lilii* et quidem *Lilii Paracelſi* (A. LIBAVIVS epiſtol. chymic. Francof. 1595. 8. L. I. Ep. 32. p. 283. 284.) titulo condecorata.

Nitrum ſtibiatum, Nitrum antimoniatum, Nitrum anodinum, Anodinum minerale. Deflagrando cum tertia antimonii crudi parte nitrum abit in ſalem, qui aquae feruidae ope extractus, et humore omni per ignis vim iterum expulſo ſuperſtes, ex nitro adhuc integro, (niſi velis, partem eius acidi contactu materiae combuſtibilis igne tortae immutatam eſſe, et cum alcali laxius cohaerere) tartaro vitriolato, et alcali vegetabili, quod portionem antimonii combuſtam diſſolutam in ſe continet, et terendo cum ſale ammoniaco odore alcali volatilis aſſurgente ſeſe manifeſtat, conflatus eſt. Praedicat eximiam eius efficaciam reſoluentem et ſudores pellentem inter recentiores Ill. SELLE (in notis verſioni libri BROCKLESBY ſupra citati adiectis p. 104.) in febribus acutis, praeſertim inflammatoriis, ſi quotidie drachmae eius duae aegro propinentur.

3. *Nitrum flammans* (LINN. *Syſt. nat. III. p.* 263.), *Nitrum ſemiuolatile*, *Nitrum ammoniacale*, *Nitrum regeneratum non fixum*, *Nitrum phlogiſton*, *Sal ammoniacum nitroſum*, *Alcali volatile nitratum*, *Nitras ammoniaci*. Cryſtallorum forma, fluxu in igne facili, detonatione, quando prunis inſpergitur, cum nitro vulgari concordat; at facilius longe ſoluitur aqua, fortius longe vellicat linguam, aëri opportunum humeſcit, prunis inſperſum totum in auras auolat, cum calce tritum alcali volatilis odorem eructat.

FASELIVS (progr. de nitro ſemiuolatili egregio aduerſus febres malignas atque exanthematicas remedio. Ien. 4. 1762. p. 6.) experientia nixus vſum huius ſalis a granis ſex ad ſcrupulum dimidium vsque exhibiti, in febribus exanthematicis, vitae viribus nimis debilitatis et ſiue expellendo exanthemati, ſiue in ſuperficie conſeruando imparibus, perinde ac in malignis ad lotium pellendum commendat.

4. *Sal commune*, *Sal culinare*, *Sal*, *Alcali minerale ſalitum*, *Alcali minerale muriatum*, *Muria* (LINN. *Syſt. nat. III. p.* 260.), *Murias ſodae*, nunc ſolida forma ex terrae ſinu erutum (*Sal gemmae*, *Sal foſſile*, *Sal caeduum*,), nunc ex aqua marina (*Sal marinum*), vel lacuum fontiumque (*Muria fontana*) ſalſorum excoctum, modo purum ſit, ſemper idem, ſaporis proprie ſalſi, aqua facile ſoluendum, et diſſipata ſenſim leni eoque continuo calore aqua in cryſtallos cubicas

cubicas aggregatum delabens, quae prunis inſperſae cum crepitu (*Sal decrepitatum*) in minora fruſtula diſſiliunt, et cum aqua, ad cryſtallorum formam et pelluciditatem faciente, vtriusque huius dotis iacturam faciunt, aëri libero quando exponitùr neque fatiſcens, neque ſi, quod raro occurrit, omnino purum ſit, humeſcens, a vitrioli oleo infuſo vehementer excaleſcens plurimosque vapores ex cinereo albos acerrimos foetidos eructans. Modo purum ſit ſal, eius per aquam diſtillatam facta ſolutio neque ab inſtillato cinerum clauellatorum lixiuio, neque a terra ponderoſa ſalis acido ſoluta turbatur.

Stimulando fibras, atque incidendo tenacem pituitam, ſal commune, vulgatiſſimum noſtrorum ciborum condimentum, digeſtionem alimentorum iuuat, eoque homines, perinde ac animalia domeſtica, quorum pabulo interſpergitur, contra multos morbos munit, ex huius officinae labe ortum ducentes: Quum praeterea carnibus per annos conſeruandis quotidie inſeruiat, magnam ei ineſſe vim putredinem inhibendi facile colligas; refragantur tamen huic ſententiae PRINGLII pericula, qui, (l. c. n. 496. art. 2. et 5.), niſi enormi copia, quam corpus ferre vix valet, ingeſtum, eo gradu hanc virtutem non exercere, vt medicus multum adiumenti ſperare exinde poſſit, minori copia adiecta corruptelam potius arceſſi, expertus eſt, vt valde probabile ſit (I. LIND tr. on the ſcurvy. Edinb. 1753. 8. p. 86 ſqq.), crebrum et quotidianum carnis ſalitae vſum ex praecipuis eſſe cauſſis ſcorbuti, nautis

naûtis toties infeſti, et ſi quando hominem (DIEMERBROECK de peſte Arnh. 1646. 4. L.2.) a peſte tutum praeſtitit, vix facultate putredini aduerſante id perfeciſſe.

Conuenit vero ſal culinare facultate aluum ducendi (Medical transactions publiſhed by the college of phyſicians in London. London. 8. Vol. I. n. 4. p. 54 ſq. GREDING ap. LVDWIG aduerſar. medico-practic. Lipſ. 8. Vol. II. P. 2. 1772. 8. n. 5. p. 314 ſqq.) cum reliquis ſalibus neutris genuinis, vt tamen plurimis reliquis vehementius irritet, aeſtum, ſitim, facilius quoque vomitum, ventriculi ſpaſmos, ardorem etc. cieat, largiori paulo manu ingurgitatum: Praecellit autem aliis dotibus ſal commune; ita ſiue aqua ſolutum, vt tamen vices huius per artem peractae ſolutionis ſupplere etiam poſſit aqua ſalſa natiua ſeu marina ſeu fontium (FR. HOFFMANN medic. ration. ſyſt. ſupplem. 1740. p. 84.) ad decem vsque vncias (GREDING l. c.) et libras adeo duas (Medical transactions l. c.), ſiue ſiccum quotidie, ieiuno adhuc ventriculo (HEBERDEN medical transactions Vol. I. RVSH medical inquiries and obſervations. Philadelph. 1789. 8. art. 11.) commiſſum, exterminandis et necandis tum vermibus tum muſcarum laruis, aliquando in ventriculo nidulantibus, egregie inſeruit: Ipſam adeo epilepſiam forſan ex hac cauſſa natam tribus quotidie per tres menſes continuos ſalis communis cochlearibus deglutitis ſublatam eſſe, teſtimonium exſtat (*Landarzt.* St. 12.). Stimulo praeterea, quem in ventriculum exſerit, nimias

nimias humorum verſus alias partes congeſtiones diuertendo, obſeruante multoties perſpicaciſſimo Americanorum medico RVSH (l. m. c. art. 1.), in haemoptyſeos acceſſu ipſo, ſi cochleare eius aegroto porrigitur, adeo prodeſt, vt deglutito ſale ſanguis profluere deſinat; eadem ratione adhibitum, tum Clar. MICHAELIS, tum. Cl. SCHIPPEN et SCHIELES (apud Ill. RICHTER *chirurg. Bibliothek.* Vol. VII. p. 582 ſqq.) teſtibus, et in hoc, et in aliis ſanguinis fluxibus ſimilis euentus excepit.

Quum pituitam valide incidat, multaeque obſtructiones et viſcerum et glandularum ab accumulata tenaci pituita pendeant, facile explices egregium ſucceſſum, quem B. HIRSCHEL (*Berliniſch. Sammlung zur Beförderung der Arzneywiſſenſch. etc.* Berlin. 8. Vol. IV. 1772. P. III. art. 2. p. 234 ſq.) in diſſipanda lienis obſtructione, male curatam febrem quartanam excipiente, a ſale communi primis ſeptem diebus ad duo, ſubſequentibus ſeptem ad vnum cochleare quotidie ingeſto, expertus eſt, perinde ac illum, quem alii (v. g. *Landarzt* l. c), Angli, teſte Cl. HVNCZOVSKY (*mediciniſch-chirurgiſche Beobachtungen.* Wien 8. 1783.) in ſcrophulis diſſipandis, a cochleari minore per dies exhibito vidiſſe ſe teſtantur; ne dicam, et RONDELETIVM ſuo pulueri contra ſcrophulas adieciſſe ſalem communem, et partem efficaciae, quam alio loco enarrandam tum aethiops vegetabilis, tum ſpongia vſta, tum aqua marina in ſcrophulis ſanandis edit, huic ſali deberi.

In

In lue bouilla, morbis ouium, praeſertim a vermibus aut obſtructionibus oriundis, perinde ac equorum morbis variis vſum huius ſalis commendat RAV (*Abhandl. der churfürſtl. bayeriſch. Academie der Wiſſenſchaften.* München 4. Vol. I. 1763. P. II. art. 2. p. 170 ſqq.).

At externo quoque multiplici vſu medicis inſeruit ſal commune: Homines lipothymia correptos, ſi ori infricetur, aqua ſuffocatos, ſi vniuerſa corporis ſuperficies per integras horas eo perfricetur, aut ſi homines iſti in ſale hoc calefacto cineribus aut arenae miſto ad collum vsque ſepeliantur, aëre vel vaporibus nociuis in aſphyxiam delapſos, aut apoplecticos, ſi enematibus et ſuppoſitoriis drachma eius vna, vel binae adiiciantur, ſtimulo ſuo ſaepe ſuſcitat; ſunt qui vulnera, ab animalibus rabidis inflicta hoc ſale aqua ſoluto lauari iubent; alii (KALM Kongl. Svensk. Academ. Handling. Stockholm. 8. vol. 14. pro anno 1753. trim. 3. art. 3. PORTER et STRONG philoſoph. Transactions. vol. 54. pro anno 1765. art. 27. p. 242 ſqq.) ſale hoc, ſcarificatione praemiſſa, vulneri inſperſo homines a ſerpente crotalophoro ſauciatos ſeruaſſe ſe teſtantur. Soluto in aqua ſale palpebrarum tumores cyſticos diſcuſſos fuiſſe perhibet DESHAIS GENDRON (traité des maladies des yeux et des moyens et operations propres à leur gueriſon. à Paris. 12. I. 1770.), tumorem oedematoſum capitis infantum recens natorum LEVRET (journal de medecine, chirurgie, pharmacie. T. 37. 1772.); vna cum ſapone aqua ſolutum ad cerumen aurium induratum emolliendum

et ſurditatem inde natam tollendam commendatur (Mémoir. ſur les ſujets propoſés pour le prix de l'academie de chirurgie. à Paris. 8. T. IX. 1778.

Idem ſal decrepitatione aqua ſua orbatum aquoſos humores trahit, hinc ſacculis ſaepius renovatis incluſum et calidum ſcroto impoſitum in hydroceles medicatione, aliis partibus oedemate affectis commendatum a BOERHAAVIO (mater. med. p. 211.): Prodeſt porro vi ſua diſcutiente, fomentis additum, in ſuffuſionibus, cum pipere commiſtum vuulae prolongatae, nec deſunt, qui cum oleo permiſtum et infricatum, aut cum oleo roſarum et camphora in cataplaſmatis formam redactum, podagricis membris applicari iubent: Alii ob vim exſiccantem ſulphuri et aquae iunctum in morbis cutaneis, et ſcabie potiſſimum commendarunt. De aqua marina, quae partem ſuae efficaciae huic ſali debet, alio loco dicetur.

PRAEPARATA.

Spiritus ſalis acidus. v. ſupra.
Spiritus ſalis dulcis. v. ſupra.
Alcali minerale. v. ſupra.
Sal mirabile Glauberi. v. ſupra.

5. *Sal ammoniacum*, *Sal armoniacum*, *Alcali volatile ſalitum*, *Muria ammoniaca* (LINN. *Syſt. nat. III. p.* 262.), *Murias ammoniaci.* Sapore acriori, quam qui in reliquis ſalibus neutris genuinis percipitur, perquam ingrato, humorem ex aëre attrahendo, cui per aliquod tempus

tempus exponitur, aquam, etiam frigidam, facilime ſubeundo, et ſi contuſum prunis inſpergatur, ſine vllo ſtrepitu, fumi albi ſpecie totum in auras auolando, cum vitrioli oleo infuſo violenter efferueſcendo et vaporem acerrimum ex cinereo album eructando, ſi cum calce teritur, odorem alcali volatilis emittendo, aquam fortem in aquam regis commutando, leui opera a reliquis ſalibus officinalibus diſtinguitur.

Parciori manu iam perfectum natura nobis ſubminiſtrat hunc ſalem; occurrit tamen in montibus igniuomis, et ſtratis terrae incenſis, quamuis rarius purus, quam aliis ſalibus, ſulphure, ipſa interdum arſenici calce inquinatus: Plurimus arte paratus, olim ab Aegyptiis, quaſi monopolium foret, exercita, adeo vt hodienum multus alieno plane loco confectus, aegyptii nomine ſalutetur, nunc per omnem Europam diuulgata, et in Belgio, Anglia, Gallia, Heluetia, Germania frequenter celebrata, ita vt alii iique quidem pauciores via humida, alii, quemadmodum quondam Aegyptii, via ſicca vel ſublimatione procedant, et more Aegyptiorum ſalem in placentae formam compingant, fuliginis cruſta vtplurimum cinctum.

Peccat tamen hic etiam per artem paratus ſal non raro, nunc ratione partium illum conſtituentium, ita vt modo acidum, modo alcali dominetur, naeuo per notas ſupra memoratas facile detegendo, nunc immixtis variis alienis, ſale communi, qui ſalem igne torquendo, decrepitatione ſe prodit, terreis, et a plumbeis vaſis, in quibus

 in

in nonnullis officinis iſta fabricatio peragitur, ipſa plumbi calce, quae inquinamenta mox ſe manifeſtant, ſalem comminutum inſpergendo cochleari ferreo candenti; genuinus enim ſal totus auolat, impurus partes illas peregrinas relinquit, quae quoque, ſi terreae aut metallicae ſint indolis, remanent, quando ſal iis infectus aqua ſoluitur.

Sal hoc ammoniacum, inter omnia medicata facile princeps, interno aeque ac externo vſu mirifice ſtimulat, humores tenaces ac ſtagnantes egregie diſſoluit, putredinem potentiſſime arcet.

Interno vſu iam dudum inclaruit, propter ſaporem maxime ingratum, et vim humorem attrahendi, quam potiſſimum exercet in ſalia, quorum cryſtalli aqua abundant, v. g. ſal mirabile, tartarum tartariſatum, rarius pulueris forma, et, ſi quidem haec eligatur, nunquam iam dictorum ſalium conſortio porrigendus, melius multo forma ſoluta propinatur, qua etiam ſapor ille aegrotis toties deteſtatus facilius ſine diſpendio virium, v. g. ſucco liquiritiae inſpiſſato mitigari poteſt.

Doſis, qua exhibetur, pro alio atque alio medici ſcopo, aegri ſexu, aetate, conditione, morbi indole alia atque alia, vt a ſcrupulo dimidio ad drachmas duas, interdum ſingulis binis horis deglutiendas adſcendat.

Primo igitur ſuo ſtimulo irritat ventriculum atque inteſtina, vt ſordes inhaerentes tanto felicius exturbent, in ſtomachi ideo vitiis praedicatus praeprimis a FR. HOFFMANNO (Obſeruat. phyſico-

chemic.

chemic. ſelectior. L. II. Obſ. 19. p. 184.), quibus certe medebitur, ſi quidem a torpore, aut accumulata in his partibus pituita tenaci prouenerint.

Inſignis enim eius eſt vis in incidenda eiusmodi pituita, vt in vitiis digeſtionis (FR. HOFFMANN l. m. c.), morbis pectoris et vteri ab hac cauſa procedentibus, in febribus mucoſis, bilioſis, catarrhalibus, arthriticis, in ſuppreſſione fluxus muliebris, in ipſa viſcerum abdominalium, meſenterii praeſertim obſtructione, et diuturnis illis malis, quae hanc toties comitantur aut excipiunt, e. gr. hydrope, chloroſi, morbo hypochondriaco inter palmaria medicamina iure meritoque referatur.

Quum febres intermittentes ex vno alteroue modo memorato fonte promanent, mirum non eſt, hunc ſalem infantibus a quinque ad quindecim grana, adultis a ſcrupulo vno ad drachmam vnam, ſiue ſolum (FR. HOFFMANN l. m. c. IACOBI nou. act. phyſico-medica Acad. Caeſ. Natur. Corioſ. 4. T. I. Norimb. 1757. n. 60. p. 237. BARCHVSEN Chymia. p. 420. LOESECKE mater. medic. Edit. VI. p. 107. TISSOT l. c. p. 275. 531. §. 237.), ſolo forſan potu tepido ſolutum, aut cum rob vel ſyrupo quodam in bolum redactum, ſiue floribus chamomillae, extractis amaris, cortice caſcarillae (IACOBI l. c.), cortice potiſſimum cinchonae (W. W. MVYS diſſ. de ſalis ammoniaci praeclaro ad febres intermittentes vſu. Franequer. 1716. 4. W. I. FELS de ſale ammoniaco eiusdemque vſu medico chymico ac curioſo. Vitemb. 1726. 4. WERLHOF obſeruation de febrib. Hanou. 1745. 4. p. 44. FR. C. MEDICVS *Sammlung von Beob-*

achtungen aus der Arzneywiſſenſchaft. Zürich. 8. vol. I. 1764. p. 233 ſqq.), qui eius conſortio (MONRO l. c. I. p. 170.) multo fit efficacior, aut emetico praegreſſo cortici huic et rhabarbaro ſimul (HIRSCHEL *medic. Nebenſt.* 1772. 8. p. 29. 73.), cremori tartari (MEDICVS l. m. c.) aut laudano liquido SYDENHAMI iunctum (CAVSLAND apud DVNCAN medic. Commentar. for the year 1781. 1782. Vol. VIII. 1783. 8. faſc. 2.), nunc in interuallo lucido, nunc breui ante febris acceſſum tempore e. g. horae ſpatio propinatum, modo ventriculus aegroti ferat, exhibitum, aliquando, fefellit vtique interdum ſpem medici e. g. TISSOTI. (MONROI ll. cc.), febres intermittentes, praeſertim quartanas, vel pertinaciſſimas (V. LOESECKE l. c.) feliciſſime profligaſſe; non enim vomitum modo et aluum mouet, ſed lotium quoque et ſudorem pellit.

Stimulanti quoque et mucum incidenti eius facultati tribuas, quod rhabarbari aut ialapae pulveri iunctum (HIRSCHEL *berliniſch. Mannigfaltigkeiten,* Vol. I.) ad drachmam vnam vel duas exhibitum ſal ipſam taeniam ex inteſtinis propulſare obſeruatum ſit.

Quum ſale armoniaco addito ſanguinem (V. TH. SCHWENCKE haematologia. Hag. Comit. 1743. 8. p. 189.) diſſolui, experimenta extra corpus vivum inſtituta edocuerint, in febribus inflammatoris, nitrum non admittentibus, aliisque opem praeſtolatur; ita ad pleuritidem cum hepatis inflammatione complicatam ſanandam ſalem ammoniacum cum gummi ammoniaco et extracto leontodontis officinalis

ficinalis aqua ſolutum multum feciſſe, teſtis eſt HIRSCHEL (*medic. Nebenſt.* p. 57.). Inter optima referendum eſſe putredini aduerſa remedia, PRINGLII (l. c. n. 495. art. 15. p. 480.) pericula extra corpus viuum capta loquuntur; hinc in febribus quoque putridis et malignis (HIRSCHEL *medic. Nebenſt.* p. 35.), iis potiſſimum, quas alui fluxus nimius, viresque aegroti proſternens comitatur (SCHMID de ſale ammoniaco. Goetting. 1788.), ſine vlla noxa eius vſui cedens, plurimum prodeſt.

Haec de interno ſalis ammoniaci vſu; at externus quoque late patet. Dentibus affricatus hic ſal mucum adhaerentem attenuat et abſtergit, hinc cortice peruuiano iunctus praeſtans dentifricium: Naribus attractus tum ſtimulando neruos, tum mucum incidendo, fartam pituita tenaci membranam narium et faucium interiora veſtientem concutit, et ſternutatione excitata feliciter deplet, hac efficacitate in gangraenae quoque ſpecie multum leuaminis afferens (JEANROI hiſtoir. de la ſocieté de medecine à Paris. ann. 1782. et 1783.): Eodem, irritandi ſcilicet ſcopo, enematibus interdum quoque adiicitur, quibus aſphyctici ſuſcitantur: In necroſi oſſium locis affectis inſperſus, modo partes vicinae molliores contra eius acrimoniam bene muniantur, propter virtutem putredinis progreſſum inhibendi, partium infectarum ab integris ſeparationem iuvando, teſte THEDENIO, eximie prodeſt. Neque minor eſt eius potentia in partibus mollioribus gangraena aut ſphacelo correptis a ſanis ſeparandis, in herniis incarceratis, in quibus metus gangraenae

 aut

aut ſphaceli adeſt, ſi aut cataplaſmatis (BOERHAAVE mater. medic. ſect. 438. 448.) adiiciatur, aut vino cum herbis aromaticis (SCHMVCKER *chirurg. Wahrnehmung.* Berlin und Stettin. 8. Ed. alt. P. II. 1789. p. 505.), aut aqua cum cortice chinae decocta (IDEM l. c. p. 502. 513. 514. 518.) ſolutus fomenti, vt plurimum frigidi, forma applicatur, in furunculis quoque gangraenoſis efficax, ſi cum cortice cinchonae et vnguento digeſtiuo ſubactus adhibeatur (SCHOPPER apud SCHMVCKER l. m. c. P. I.)

Magna porro eſt huius ſalis, quam externo quoque vſu exſerit, vis diſcutiens; ideo gargarismatis et collutionibus toties additur, quas medici in angina pituitoſa, inflammatoria et aliis imperant; ideo nunc mera aqua, nunc aqua et aceto (BELL ſyſtem of ſurgery. Edinb. 8. Vol. V. 1787.), nunc aquae partibus viginti, vini partibus quinque, et aceti partibus duabus cum dimidia (van SWIETEN l. c. I. p. 550. 551.), nunc (SCHMVCKER l. c. append.) vna cum aequali nitri pondere, octoginta aquae, et viginti quatuor aceti partibus ſolutus, vel cum aliis coniunctus, et fomenti ſpecie adplicatus, in ſugillationibus, contuſiones (RICHTER *Anfangsgründe der Wundarzneykunſt.* I. p. 210. IAEGER 50 *chirurgiſch - practiſche Cautelen für angehende Wundärzte.* Francfurt. 1788. 8.), vulnera, ſclopetis inflicta (SCHNEIDER ap. RICHTER *chirurgiſch. Biblioth.* Vol. XI. p. 155.), oſſium fracturas, luxationes toties inſequentibus aut comitantibus, in varicibus grauidarum, in tumoribus frigidis glandularum, artuum, aliis oedematoſis et cyſticis, in tumore et dolore

dolore herniae incarceratae (WILMER practical obſervat. on herniae. London. 1778. 8.) imminuendo, in ſanandis pernionibus et inflammationibus, praecipue oculorum, teſticulorum (WILMER caſes and remarks in ſurgery. London. 1779. 8.) et mammarum tantopere commendatus; ideo cum plumbeis, et aceto coniunctus in fungo articulari (KIRKLAND l. c. II.), aqua communi (tres vnciae in aquae libra dimidia) ſolutus, aliquando cum aequali aquae a regina Hungariae denominatae copia permiſtus, et fomenti calidi ſpecie toti mammae, ſollicite renouando, ſuperimpoſitus, in ſtagnationibus lactis at tumoribus ab eius coagulo natis (JUSTAMOND account of the method purſued in the treatment of cancerous and ſcirrhous diſordres and other indurations. London. 1780. 8.); ideo aceto et vini ſpiritu ſolutus, ſi praeterea punctio ſcroti accedat, modo teſticulus ipſe ſit ſanus, in medicanda hydrocele (KEATE caſes of the hydrocele etc. London. 1789.) tam efficax.

Habet porro ſal armoniacus cum nitro et ſale mirabili communem eam dotem, vt, dum aqua et aquoſis humoribus ſoluitur, magnum iis impertiatur frigoris gradum; hinc ſolutio eius, tanto potentior, quanto recentior, in capitis doloribus, a nimia ſanguinis caput verſus tendente congeſtione oriundis, in apoplexia ſanguinea, phrenitide, mania, capiti, in ophthalmia ſanguinea, temporibus, in ſanguinis ex vtero profluuiis nimiis abdomini applicata multoties cum fauſtiſſimo euentu fuit.

Leni denique, qua pollet acrimonia inſeruit (BELL l. m. c.) verrucis, quibus antea humectatis bis vel ter quotidie affricatur, ſine dolore exedendis, aqua ſolutus, mundandis vlceribus, tollendis (PLENCK mater. med. p. 227.) faciei efflorescentiis, et, ſiue ſoluto in aqua ſale lauentur partes affectae (PLENCK l. m. c.), ſiue (TISSOT l. c. p. 533.) inunguntur vnguento, cuius partem conſtituit ſal armoniacus, ſanandae ſcabiei. Ranulae auferendae magis paria hodienum proſtant medicamina.

PRAEPARATA.

Sal ammoniacus depuratus, multis *Flores ſalis ammoniaci ſimplices.* Eſt ſal, per ſolutionem in aqua a fuligine et reliquis, quae forte inhaerent, quisquiliis liberatus, pro interno vſu praeferendus. Praeſtat certe haec depuratio alteri, quae per ſublimationem fit.

Flores ſalis ammoniaci martiales, *Flores martiales*, vel ſi loco ſcobis ferreae haematites in tenerrimum pollen comminutus cum ſale ammoniaco ſublimatur, *Flores ſalis ammoniaci haematiſati*, nonnullis *Aroma philoſophorum* ſiue *Aroph Paracelſi*, vel ſi colcothar vitrioli eius in locum recipiatur, *Ens veneris* BOYLEO dictum, *Ens martis* potius dicendum, non eſt niſi ſal ammoniacum, frequentius ſublimatione cum ferri ſcobe vel calce natiua aut arte facta, quam coctione ferro impraegnatum, ſale armoniaco meraco, ſi notarum ſuperius enarratarum rationem habeas, ſatis adhuc ſimile, vt tamen color, magis minusue aurantius, ſapor cum acrimonia adſtringens, et gallarum infuſum ab hoc ſale nigre-

nigreſcens ferrum inhaerens luculenter ſatis prodant, vt igitur ex hac iam miſtione vires ſalis ammoniaci coniunctas cum efficacia ferri ſalibus ſoluti iis ineſſe augurari poſſis, et in morbis, in quibus atonia fibrae contractilis cum humorum nimia ſpiſſitudine complicatur, in ſuppreſſione fluxus menſtrui, viſcerum obſtructionibus pertinaciſſimis, multisque inde pendentibus morbis, v. g. chloroſi, fluore albo, cachexia, morbo hyſterico atque hypochondriaco, hydrope, febribus intermittentibus, praeſertim quartanis, in quibus iam commendauit P. SPINDLER (obſerv. medicinal. ed. C. RAYGER Francof. 1691. 4.), multum ab eorum vſu continuato iure tuo ſperes. Ita v. gr. FR. HOFFMANNVS (medicin. ration. et ſyſtematic. T. IV. P. I. p. 367.) in febribus lentis ex viſcerum abdominalium obſtructione proficiſcentibus commendauit; Cl. JUSTAMOND (l. c.) in fluore albo, quemadmodum etiam, qui tamen quaſſiae iungi praecipit, LETTSOM (memoirs of the medical ſociety at London. 8. Vol. I. 1787.) et in ipſo adeo mammae cancro, applicata ſimul extrinſecus tinctura ex aequali pondere ſalis ammoniaci et ſcobis ferreae cum vini ſpiritu rectificato parata, efficaciſſimos comperit hoſce flores.

Exhibentur autem horum florum bis vel ter per diem bina, tria, decem grana, aut forma boli, aut cum gummi arabico (JUSTAMOND l. c.), vel gummireſinis in pilularum ſpeciem redacta, aut, vocatur nunc *tinctura florum martialium*, *tinctura martis aperitiua*, multis nunc demum *Aroph Paracelſi*, flammeo colore conſpicua, vini ſpiritu rectificato ſoluta; propinantur vero huius ſolutionis bis vel ter de die guttae decem ad viginti in aqua. Si

Si flores iſti per ſublimationem parantur, ſupereſt in fundo vaſis, materies, quae aëri opportuna deliqueſcit, et, ſi formam externam ſpectes, olei ſimilitudinem refert, hinc *oleum martis per deliquium*, alias etiam *eſſentia martis per deliquium*, vel *lixiuium martis* nuncupatum, ſi genuinam indolem reſpicias, vera ferri in ſalis culinaris acido fortiſſimo ſolutio, quae cum reliquis ferri et acidorum connubiis virtute ſanguinem ſiſtente concordat, ideo quondam a guttis duabus ad triginta ad ſanguinis profluuia ſiſtenda cum aqua ingeſta; ſaepius tamen aegrorum ſpem fefelliſſe teſtatur RUST (de limitanda laude virtutis ſtipticae balſami rubri vulnerarii Dippelii et olei martis per deliquium. Goett. 1773.).

Sal volatile anglicum ſiccum (Pharmac. rational. ed. a PIDERIT. p. 282.). Mixtura ex cineribus clauellatis et ſale ammoniaco ſollicite aſſervanda ob alcali volatile continue auolans, oleo ſuaveolente inſtillato vt plurimum gratius redditum. Inſeruit ſua hac parte volatili naribus, temporibus admotum hyſtericis et aliis animi deliquio, capitis dolore a pituita accumulata laborantibus. Vulneri profundius inciſo ſaepius inſperſum, et ſimul plurima aqua ſolutum potatum puellam a vipera commorſam ſeruauit (TRUDAINE in journal de medecine, chirurgie, pharmacie etc. T. XXIV. 1766. menſ, Mart. n. X. p. 261.). Membris rheumatiſmo laborantibus aut oedemate dolente affectis, aegri inſuper humoribus ſpiſſis et corruptis, vel ſolidis debilibus, impoſitum, efficax expertus eſt alcali volatile ABILDGAARD (collect. ſoc. med. Havnienſ. Havn. 8.

Vol.

Vol. II. 1775. p. 265.); mixturam ex ſale ammoniaco et dupla portione cinerum clauellatorum in variis tumoribus dolentibus NOSE (Nov. act. Acad. Caeſ. Nat. Curioſ. Vol. VIII. p. 59. 60.).

Spiritus ſalis ammoniaci ſimplex, Spiritus ſalis ammoniaci aquoſus, Spiritus ſalis ammoniaci volatilis vrinoſus, Spiritus ſalis ammoniaci tartariſatus, Spiritus ſalis ammoniaci efferueſcens, Spiritus ſalis ammoniaci aëratus, Carbonas ammoniaci. Odorem ſpirat maxime penetrantem, acrem, minus gratum; aëri libero expoſitus totus in auram auolat, viridem cupri acidis ſoluti tinctum in caeruleum conuertit, cum acidis ſalia gignit, quae prunis inſperſa fumi albi ſpecie aſſurgunt, ab his inſtillatis violenter efferueſcit, ceteroquin cum alcalibus reliquis (p. 58. 59.) conuenit, niſi forte velis, acrimoniam eius eſſe maiorem.

Huius ſpiritus ingens profecto eſt efficacia: Quamuis alcali volatile, ex corporibus putridis impetrandum, olim medicos in eam opinionem induxerit, vt putarent, putredini fauere, PRINGLII l. c. n. 495. p. 485 ſqq. n. 469. p. 525 ſqq.) tamen experimenta euidentiſſime oſtendunt, potentius reſiſtere, quam multa acida: Quamobrem acidis correctum in ipſa febre petechiali, pulſu debili aliisque virium vitalium proſtratarum indiciis iubentibus commendauit MONRO (Account of the diſeaſes moſt frequent in the britiſh military hoſpitals in Germany. London. 1764. 8. p. 1 ſqq.), et MAIAVLT (Recueil d'obſervations de medecine, chirurgie

urgie et pharmacie etc. à Paris. 8. T. V. 1756. n. 2. p. 25.) aura ex miſtura huius ſpiritus cum vini ſpiritu aqua et melle inſpirata anginam tonſillarem gangraenoſam feliciter ſanari comperit: Inter remedia gangraenae aduerſa retulit quoque FR. I. WOHLLEBEN (diſſ. de gangraena generatim, et in ſpecie de illa, quae a decubitu oritur. Vindob. 1777. 8.).

Acidum perinde domat ac alia ſalia alcalina, hinc venenis acida acrimonia infeſtis deglutitis, aut acido praeternaturali in primis viis dominante, niſi febris obſtet, egregium remedium: Sanguinem porro, et pituitam praeprimis valide attenuat, huius excretionem ex pectore et primis viis promouet, ideo in morbis pectoris et chronicis digeſtionis vitiis ab accumulata tenaci pituita natis nullaque febre ſtipatis, efficax, tanto magis, ſi, quod crebro contingit, altera malorum eiusmodi cauſa in torpore fibrae vitalis lateat, quae vt officio ſuo rite perfungatur, tali ſtimulo indiget: Spectat quoque ad remedia efficaciora, ſudorem et lotium pellentia, hinc in rheumatiſmis, et iſchiade praeſertim, aliquando ſalutaris (DU MONCHAU journal de medecine, chirurgie, pharmacie etc. T. XII. 1760. menſ. Maio. n. 14. p. 467 ſqq.), a nonnullis in ipſo febris intermittentis frigore ad aliquot guttas vaſculo theae infuſo repleto inſtillatus, commendatus.

Iniungit tamen ſumma huius ſpiritus acrimonia maximam in vſu eius interno circumſpectionem; optime porriguntur eius guttae triginta ad quinquaginta aqua frigida aut infuſo theae calido temperatae.

Sed

Sed eadem acrimonia, quae bonum quemuis medicum ab vſu huius ſpiritus interno interdicit, vbi fibrae nerueae reliquaeque nimis agitatae, ſanguinis circuitus nimium concitatus, vaſa vltra modum repleta ſunt, eximie prodeſt vſu externo; naribus admotus, infra nares, ad tempora, carpos, ſcrobiculum cordis, ſpinam dorſi frictione adplicatus, in hominibus animi deliquium paſſis, vel vaporibus aërisue generibus nociuis, potiſſimum acidis, proximo mortis periculo expoſitis, membro affecto ſiue ſolus, ſiue cum oleo quodam vnguinoſo (*linimentum volatile* tunc audit), ſiue cum camphora, ſapone et vini ſpiritu ſubactus, aut ſuperimpoſitus, aut frictione adplicatus, in paralyſi, debilitate, rhachitide, arthritide, rheumatiſmo, tumoribus inflammatoriis, lymphaticis, aliisque glandularum, abdominis quoque hydropicis.

Quod a praeparatione huius ſpiritus remanet, largitur, ſi aqua ſolutum, per leuem calorem ſuperfluo primum humore orbatur, tum autem frigori exponitur, cryſtallos ſalis a *Syluio digeſtiui* vel *febrifugi*, ab aliis etiam *ſalis communis regenerati*, vel *ſpiritus ſalis coagulati*, vel *alcali vegetabilis ſaliti*, vel *muriatis potaſſae* nomine inſigniti, quod, vti reliquis dotibus, ita etiam efficacia ſalutari proxime accedit ad ſalem communem, niſi velis, paullo maiori pollere acrimonia, ea tamen non tanta, vt in debellandis febribus prae aliis ſalibus neutris genuinis notabilem mereatur praerogatiuam, et ammoniaco ſit ſuperior.

Spiritus

Spiritus ſalis ammoniaci calcarius, *Spiritus ſalis ammoniaci cum calce viua*, *Spiritus ſalis ammoniaci cauſticus*, *Spiritus ſalis ammoniaci ad extra*, *Alcali volatile purum*, *Alcali volatile cauſticum*, *Alcali volatile fluor*, *Ammoniacum purum.* Plurimis dotibus congruit cum ſpiritu ſalis ammoniaci ſimplici, vt tamen cum acidis inſtillatis non efferueſcat, odore magis penetranti, et generatim maiori longe (igneam fere dixeris) acrimonia polleat, ideo a medicis olim externo tantummodo vſui deſtinatus, quo omnino ſpiritum ſimplicem multum praecellit, et quum cum acidis congrediendo multum eructet aërem, in ſubigendo acido, ventriculum obſidente, modo aqua ſatis temperatus, minori cum moleſtia aegroti adhibetur.

Hic praeſertim ſpiritus, tum vulneribus inſtillatus, et in ſpleniis ſaepius eo humectatis impoſitus, tum ſimul ad duodecim et quadraginta vsque guttas mane vel repetitis vicibus per diem, aqua vel potu calido multum temperatus deglutitus homines ab animalibus rabidis (TRIGUERRE apud SAGE analyſe chymique des trois regnes de la nature. I. p. 283. ENAUX et CHAUSSIER methode de traiter les morſures des animaux enragés et de la vipére etc. Dijon. 1785. 8. HERVET journal de medecine, chirurgie etc. T. LXII. 1784. Decembr. COLOMBIER ibid. T. LXV. 1785. Octobr. LE ROUX memoir. de la ſocieté de medecine à Paris. Vol. II.) aut ſerpentibus venenatis (LEPECHIN *Reiſ.* Vol. II.), bero potiſſimum (ENAUX et CHAUSSIER l. c. MARTIN recueil periodique d'obſervations de medecine etc.

T. IV. 1756. menſ. Iun. n. 2. p. 412. BAJON journal de med. etc. T. XXXIII. 1770. p. 146. SCOPOLI traduzione di dittionario chemico di MACQUER. Venez. l. 8. 1784. p. 265.) quamuis contra vulnera ab hoc inflicta ſine fructu ſpiritu iſto vſum ſe eſſe teſtetur F. FONTANA (opuſc. ſcientific. etc. p. 177. ſq. et *über das Viperngift etc. aus dem Franzöſiſchen überſetzt.* Berlin. 4. 1787. Vol. I. p. 228.) et ipſa naja (WILLIAMS aſiatical reſearches etc. II. p. 323.) morſos ſeruaſſe viſus eſt.

In cancro quoque, vlceribus venereis et aliis malignis externo ſimul et interno vſu a drachmis duabus ad vnciam vsque de die exhibitus, multa tamen aqua dilutus commendatur a VAN WY (Heelkundige Mengelſtoffen. Amſterdam. 8. P. II. faſc. 2. 1786. et nieuwe Manier van Cataract- of Staarſnyding etc. Arnhem. 1792. 8.); vlcus pertinax in regione malleoli ſerpens et crebro rediens eius vſu externo ſanatum vidit POTHONIES (Journal de medecine, chirurgie etc. T. LXII. Octobr. 1784.); ad ſanandum quoque vlcus cancroſum multum contulit (LA CHAPELLE l. c.). Quatuor aquae partibus diluto periculoſa ſanguinis profluuia celerrime et feliciſſime inhibuit LA PIRA (Memoria ſulla forza dell' alcali fluore per fermare l'émorragia de' vaſi arterioſi e venoſi. Neapol. 8. 1793.).

Quum indole magis volatili praeditus ſit, quam quidem ſpiritus ſalis ammoniaci ſimplex, externo vſu huic vtique praecellit, et, quum congrediendo cum acidis, nullum dimittat aërem, in debellando aut veneno aut alio praeternaturali primarum via-

rum acido, his praeſertim vel debilitatis vel dolentibus, modo abundante aqua diluatur, praeſtat.

Quod a praeparatione huius ſpiritus ſupereſt, aqua ſolutum, traiiciendo per chartam griſeam a ſuperflua terra liberatum, et humore ſuperabundante per lenem calorem ſenſim expulſo exhibet cryſtallos ſiue *ſalem*, qui olim *ammoniacus fixus*, hodie *calx ſalita* vel *murias calcis* audit, facile diſtinguendus a ſale ammoniaco, eo quod carbonibus inſperſus neutiquam in fumum abit, cum calce tritus nullum odorem emittit, a ſale communi, quod igni expoſitus non decrepitat, ſed facile liquatur, aëri expoſitus facilime deliqueſcit (vocatur tunc *oleum calcis*), et, ſi ſoluto per aquam puram ſali lixiuium cinerum clauellatorum, aut, vitrioli, quod appellant, oleum inſtilletur, lactis tenuioris faciem aſſumit.

Conuenit hic ſal, ſi extrinſecus applicetur, virtute diſcutiente, ſi enematibus adiiciatur, vel maiori paulo doſi ventriculo ingeratur, facultate aluum laxante, vermes in inteſtinis nidulantes expellente, lotium mouente, cum plurimis ſalibus neutris genuinis; et ſuperat haec, fide Ill. FOUCROY (Hiſtoir. de la ſociet. de medecin. à Paris. T. V. p. 268-274.) virtute pituitam incidente et reſoluente, vt in morbis, ab accumulata tenaci pituita natis, e.g. pectoris, aſthmate humido, ſcrophulis, in quibus grana duo ad ſex infantibus propinata eximiam exercere vim teſtatur quoque SCHRAVD (apud EYEREL *mediciniſche Chronik*. Wien. 8. Vol. II. 1793. faſc. 3. n. 2.), in obſtructionibus meſenterii egre-

gios

gios eius effectus experiretur; cryſtallos ipſas linguae poſt leues apoplexiae inſultus paralyticae impoſitas multo quoque cum fructu tentauit Ill. FOURCROY. Eo tamen ſcopo porrigere nunquam maiori doſi oportet hunc ſalem, quam drachmae vnius, infantibus ſcrupuli medii vel integri pondere, aliquoties tamen per diem repetito; optime exhibetur aqua copioſa diſſolutus, euitando tamen, dum adhibetur, ſollicite vſum omnium tum alcalinorum, tum ſalium neutrorum aut vitrioli aut vegetabile quoddam acidum continentium.

Spiritus ſalis ammoniaci ſulphureus, Spiritus fumans Beguini, Tinctura ſulphuris volatilis, Hepar ſulphuris volatile, Sulphur ammoniaci, non eſt, niſi ſpiritus ſalis ammoniaci calcarius, ſulphure impraegnatus, tinctu flauo, odore tetro, ab inſtillato quocunque acido, quo ſimul eius pelluciditas turbatur, adhuc grauiori, ad foetorem ouorum putridorum accedente, facile ab illo ſimplici diſcernendus.

Hunc ſpiritum tribus partibus ſpiritus vini quam maxime depurati miſtum (vocabat nunc *liquorem antipodagricum*) ad triginta et quadraginta guttas deglutiendum tanquam potentiſſimum medicamen ſudorem mouens, et, addita adhuc camphora, pedibus inungendum tanquam praeſtantiſſimum remedium dolores podagricos mitigans enixe commendauit FR. HOFFMANN (Obſeruat. phyſico-chemic. ſelectior. L. II. obſ. XXXI. p. 228.).

Spiritus ſalis ammoniaci vinoſus, *Spiritus ſalis ammoniaci dulcis*, *Spiritus ſalis ammoniaci*, *Spiritus volatilis vinoſus*. Siue ſola mixtione, ſiue diſtillatione, ſiue cum cineribus clauellatis, ſiue cum calce paratus ſit, acrimonia quidem inferior ſimplici, ſuauitate prior, vini quippe ſpiritu temperatus; ideo in caſibus, qui meracum alcali non poſtulant, vſu interno magis vulgatus; gargarismatibus aut cataplaſmatibus inſtillatus in angina inflammatoria efficaciſſimus (SCHNEIDER l. m. c. p. 157 ſq. SOUQUET journal de medecine, chirurgie, pharmacie etc. T. LXXIV. 1788. Jan.).

Spiritus ſalis ammoniaci ſuccinatus, *Aqua S. Luciae*, *Eau de Luce* ſpiritus ſalis ammoniaci ſuccini oleo impraegnatus, tam virtute ſpasmos ſedante, quam odore huius olei imbutus, et tum eo, tum lactis ſimili facie externa a praegreſſis facili opera dignoſcendus, cum quibus, ſi virium generalium rationem habeas, congruit.

In deuincendis venenis animalibus primariam ſibi famam comparauit hic ſpiritus: Ita Cl. DARLUC (Journal de medecine, chirurgie etc. T. XIV. 1760. menſ. Apr. n. 2. p. 299.) puerum duodecim annorum a veneno rabido morſum, adhibitis ſimul externis remediis, guttis aliquot huius ſpiritus, ſingulis binis horis ingeſtis, ab hydrophobia ſe praemuniuiſſe refert, et tum canes (DEFAY la nature conſiderée dans pluſieurs de ſes operations. Paris. 1783. 8. p. 124, 125. alii Journal de medec. chirurg. etc. T. XXIV. p. 535-537.), tum homines (JUSSIEU hiſtoir. de l'Académ. des ſcienc. à Paris. ad ann. 1747.

1747. obſerv. anat. n. 2. LE BRUN journal de medecine, chirurgie etc. T. XVIII. 1763. menſ. Febr. n. 5. p. 150. TRUDAINE ibid. T. XXIV. menſ. Mart. n. 8. COSTE ibid. T. XXXIII. p. 524. SONINI ibid. 1778. menſ Aug. BERTIN et MORAND ſpecificum viperae morſu antidotum Alcali volatile. Paris. 1744. MARTIN recueil periodique d'obſervat. de medec. etc. T. IV. p. 412 ſq. WRIGHT apud DUNCAN medical commentar. for 1788. Edinb. Dec II. Vol. III. 1789. J. ALEXANDER ibid. for 1789. Vol. IV. 1790.), a ſerpentibus virulentis, bero potiſſimum, ſed ipſo adeo crotalophoro (Journal de medecine, chirurgie, pharmacie etc. T. XXIV. p. 533 — 537.) ſauciatos, guttis duabus ad ſex ſingulis horis aut bihoriis cum aqua aut vino ingeſtis, et vulnere ſimul eodem illito et fomentato, fauſto omine ſe ſeruaſſe, alii: Spem tamen medici fefelliſſe hoc etiam remedium, quo binos ante homines cum ſanitate in gratiam redeuntes viderat, teſtatur BAJON (*Nachrichten zur Geſchichte von Cayenne und dem franzöſiſchen Gujana, aus dem Franzöſ.* 8. Erfurt. P. II. 1784. p. 123 - 125.).

Naribus admoto hoc ſpiritu inſultum tuſſis conuulſiuae propulſatum aſſerit DOUGLAS (Medical obſervat. and inquiries by a Societ. of Phyſicians at London. Vol. VI. 1784. 8.).

Spiritus ſalis ammoniaci foetidus, Spiritus volatilis foetidus, eſt ſpiritus vinoſus ſalis ammoniaci, diſtillatione cum aſſa foetida, huius oleo, foetore, viribus ſpasmos ſedantibus imbutus.

Spiritus ſalis ammoniaci aniſatus, grato aniſi, cuius oleo diſtillatione imbutus eſt, odore a praecedentibus diſcrepans, ceterum ad ſpiritum vinoſum proxime accedens, ideo in morbis pectoris et ventriculi, a muco tenaci oriundis, his anteponendus. Proſtat in nonnullis officinis ſimili modo paratus iisdem viribus pollens

Spiritus ſalis ammoniaci foeniculatus.

Sal volatile oleoſum angelicae eſt ſpiritus ſalis ammoniaci vinoſus repetita diſtillatione oleo in radicibus angelicae habitante impraegnatus.

Sal volatile oleoſum, *Spiritus ſalis ammoniaci aromaticus* non eſt niſi ſpiritus ſalis ammoniaci vinoſus diſtillatione cum pluribus aromatibus peracta eorum oleo aethereo imbutus, inde gratiſſimum quidem odorem nactus, et aegrotis ſiue externo ſiue interno vſu minus faſtiditus, at interno certe multo magis excalefaciens, hinc in multis caſibus extimeſcendus. Eius tamen, ſingulis binis horis ad guttas ſex in ptiſana exhibiti, vſu feminam ſeptuaginta et vnius annorum hemiplegia dextri lateris laborantem ſudore excitato quarto die ſanauit DE LA CHERNE (Journal de medecine, chirurgie, pharmacie. T. XIX. 1763. menſ. Sept. n. 6. p. 260.).

Sal volatile oleoſum Syluii eſt ſpiritus ſalis ammoniaci vinoſus, quo plura olea aetherea a vegetabilibus iamiam ſeparata, diſſoluta ſunt, priori itaque ſimilis.

Spiritus

Spiritus volatilis aromaticus (Pharmacop. Edinb. p. 84.), *Spiritus volatilis oleoſus*, *Spiritus ſalinus aromaticus* eſt ſpiritus ſalis ammoniaci vinoſus ſola commixtione rorismarini et corticum limoniorum oleo aethereo imbutus, mox praegreſſis ergo viribus et gratia ſimilis.

Linimentum volatile ſaponis, ſpecies, ex connubio ſpiritus ſalis ammoniaci cum recenti oliuarum aut amygdalarum oleo nata, ſpiſſitudine linimentum referens, externo vſu, ſiue inungatur, ſiue partes affectae eo fomententur, in tumoribus arthriticis, rheumaticis, inflammatoriis, hydropicis, et aliis, etiam glandularum et viſcerum, angina, pleuritide, colica flatulenta, tympanitide praeſtantiſſimum diſcutiens, cuius vis addita camphora, vel oleo cornu cerui, vel animali Dippelii augeri adhuc poteſt, in paralyſi, ſi quidem, addita forte cantharidum tinctura (MELLIN l. c. p. 315.) membris ea percuſſis illinatur efficaciſſimum ſtimulans.

6. *Borax*, *Borax Tincal* (LINN. ſyſt. nat. III. p. 259.), *Borax depurata*, ſiue vulgatiori artis termino *rafinata* aut *veneta*, ſapore debili, difficiliori paulo in aqua ſolutione, cryſtallorum transverſim ſubtiliter ſtriatarum claritate et determinata figura, facilimo in igne eoque cum ſpuma contingente fluxu, et tardiori paulo, ſi aëri exponatur, fatiſcentia, à reliquis ſalibus, et ab alcali praeſertim minerali, ad quod proxime accedit, a reliquis ſalibus neutris genuinis praedominio alcali diſcrepat, quod varii vegetabilium

G 4 colores

colores ſaturata et calida eius in aqua ſolutione tentati manifeſte produnt.

Olim emmenagogi titulo celebris, et, teſte Clar. STARCKE (*Einrichtung des kliniſchen Inſtituts etc.* Iena. 1782. 4.), qui magneſiae albae et nitri aequali portione temperato et lochia, et fluxum menſtruum pelli, et partus dolores mirifice ſubleuari aſſeuerat, prouti nuper demum (apud Cl. STARCKE *Archiv der Geburtshülfe.* Vol. IV. faſc. 3. 1792. n. 8.) ad promouendos deficientes partus dolores boracis ſcrupulos duos aqua diſſolutos commendauit LOEFLER, efficax ſal, hodie rarius adhibetur: Sunt tamen inter recentiores nonnulli (GOOCH et VERYST. Verhandelingen van het Maatſchappy te Haarlem. P. XXI. et STARCKE *Einrichtung* etc. l. m. c.), qui, praeeunte BISSETO (Eſſay on the medical conſtitution of Great-Britain. 1763. §. 116.), magnam eius in aphthis, praeſertim infantum, aliisque oris interni et linguae, ipſis adeo venereis et ſcorbuticis malis ſanandis vim experti ſunt: Exhibentur autem tunc ſcrupulus aut ſcrupuli bini, vel aqua ſoluti, vel cum quatuor partibus mellis roſarum aut ſyrupi mororum ſubacti. Sedecim aquae roſarum partibus ſoluta borace lotam cutem laeuigari, naeuos et maculas deleri, cum altheae aut ceruſſae vnguento ſubactam refrigerare et ſanare (l. m. c.) aſſerit STARCKE: Eandem ſolutionem partibus affectis illitam et ano ſimul iniectam haemorrhoidum caecarum dolores mirifice lenire; boracem denique cum axungiae porcinae aequali portione ſubactam ſcabiem et lichenes ſine noxa pellere expertum ſe eſſe teſtatur (l. c.) LOEFLER.

7. *Sal*

7. *Sal thermarum Carolinarum* proxime accedit ad ſal mirabile, vt a multis cum eo confundatur, differt tamen leui alcali mineralis praedominio, quo quidem id efficitur, vt ſale mirabili potentius mucum incidat, tenacem reſoluat, obſtructiones ex eo natas reſeret, digeſtionis et reſpirationis vitia ex accumulata pituita prouenientia felicius ſanet (FR. HOFFMANN opuſc. medico-practic. Hal. 4. 1736. Dec. 2. Diſſ. 2. §. 12 ſq. p. 330 ſq. FR. H. BRÜCKMANN *Bemerkungen auf einer Reiſe nach dem Karlsbad.* Braunſchw. 1785. 8. p. 28 ſq. KLAPROTH *Unterſuchung der Mineralquellen zu Carlsbad.* Berlin. 1790. 8. p. 48 ſqq.).

b. SALIA NEVTRA SPVRIA.

Sunt ſalia ex acidi cum terra aut metallo quodam connubio progenita, quorum facta per aquam puriſſimam ſolutio limpida ſaturata ſalis lixiuioſi additamentum perferre ſine pelluciditatis iactura nequaquam poteſt. In aliis igitur terrae, in aliis metallicae cuidam calci iungitur acidum.

a. SALIA NEVTRA TERRENA.

Facile diſtinguuntur a metallicis, quod, modo ab omni aliena labe pura ſint, facta eorum in aqua pura ſolutio ab inſtillato gallarum infuſo vel rite parato ſanguinis lixiuio haud mutatur, et ſedimentum per ſal lixiuioſum ex ea praecipitatum in globulum metallicum conuerti nulla arte poteſt.

1. *Sal amarum*, *Sal anglicum*, *Sal catharticum anglicum*, *Sal ebshamenſe*, *Sal epſonienſe*, *Amarum genuinum* (LINN. *Syſt. nat. III. p.* 265.), *Magneſia vitriolata*, *Sulphas magneſiae*, ex vitrioli acido et magneſia alba conflatum, facili cryſtallorum pellucidarum formatione, earumque, ſi ignis vim experiuntur, liquatione, quodammodo etiam ſapore ad ſal mirabile accedit, faciliori tamen multo in aqua, etiam frigida, ſolutione, ſapore et virtute minus refrigerante, porro ſolutione, quamuis per aquam puriſſimam peracta, ab inſtillato quocunque ſale lixiuioſo turbanda, leui opera diſcernitur, vt mirum ſit, tam diu cum ſale mirabili fuiſſe confuſum, et adhucdum ſubinde confundi.

Si genuinum ſit (neque gypſo inquinatum), totum, et facilime quidem, aquam, etiam frigidam, ſubit, neque, niſi ſale ammoniaco aut magneſia ſalita, quod vtique in venali vulgo ſale anglico ſatis crebro obtingit, contaminatum, aëri externo obuium, deliqueſcit, ſed cum pelluciditatis diſpendio ſenſim in pollinem album fatiſcit.

Etſi plurima pars ſalis ſalutarem in finem adhibiti artis auxilio ex muria ſalis communis et ferri vitriolo parte ſui acidi iam exuto (FR. HOFFMANN obſeruat. phyſico-chemic. ſelectior. L. II. obſ. 18. p. 180. FERBER *neue Beytr. zur Mineralg. verſchied. Länder, nebſt Nachr. von einigen chymiſchen Fabriken. Mietau.* 8. Vol. I. 1778. p. 433.) paratur, proſtat tamen plurimus natiuus tum aqua ſolutus in aqua maris multorumque fontium ſalſorum, potiſſimum

in

in aquis Bohemiae amaris, ex quibus *Sal Sedlizenſe* et *Seidſchüzenſe* excoquitur, quod, ſi genuinum ſit (FR. HOFFMANN opuſc. phyſico-medic. P. II. n. 6. p. 300 ſq. HOPPE *chemiſch. Annal.* 1788. Vol. II. p. 233. FR. A. REVSS ibid. 1791. Vol. II. p. 28 ſq.), vera eſt magneſia vitriolata, tum ex rupibus ſubalpinis v. g. Pedemontii, Sabaudiae, Heluetiae, Rhaetiae, Salisburgi (STORR diſſ. de ſale alpino. Tubing. 1784. 4.) aliisque rupibus et ſaxis v. g. Longobardiae, Croatiae, Bohemiae (F. A. REVSS l. c. 1786. Vol. 2. p. 314.), Thuringiae (GREN *neueſte Entdeck. in der Chemie.* Vol. VI. p. 150.), Angliae (BROWNRIGG philoſ. Transact. Vol. 64. P. II. p. 481.), et Normanniae (MONNET Kongl. Svenſk. Vetenſk. Academ. Handl. Vol. 35. p. 333.), potiſſimum argilloſis e. g. Hetruriae (MASCAGNI dei lagoni del Seneſe e del Volterrano. Siena. 1779. 8.), Hercyniae (ILSEMANN *chemiſch. Annal.* 1789. Vol. 2. p. 199 ſq.), Thuringiae (GOETTLING *neueſte Entdeckungen in der Chemie..* Vol. 6, p. 90.), et Bohemiae (F. A. REVSS *Orographie des böhmiſch. Mittelgeb.* p. 108.), et gypſo e. gr. Hiſpaniae (PROUST *Beytr. zu den chem. Annal.* Vol. III. p. 466.), Pedemontii (LA METHERIE journal de phyſique. 1788. p. 309.), et Thuringiae (FR. HOFFMANN opuſc. medico-pract. Hal. 1736. 4. Dec. II. Diſſ. 1. p. 310. FVCHS *chemiſche Verſuche mit einer grauen ſalzigen Erde, welche bey Iena gefunden wird, und dem daraus ausgelaugten Salze.* Ien. 1788. 8.) efflorefcens.

Eſt autem huic ſali vis leniter aluum ducens, vt vel in iis caſibus, qui alia eiusmodi ſalia non admit-

admittunt, aut quibus non ſufficiunt, tutam omnino efficaciam exſerat, et hypochondriacis, hyſtericis, irritabili nimis fibra, ileo, hernia, praeſertim incarcerata, colica pictonum laborantibus proficiat: Quarta parte cremoris tartari temperatum, et ter per diem ad drachmam vnam exhibitum ipſam taeniam in inteſtinis nidulantem debellaſſe fertur.

Propinatur alias per cochlearia ſalis drachma vna, binae, vncia dimidia, etiam integra, vt plurimum aqua, vel communi, vel ſaporis gratia, aquae menthae piperitae partibus tribus vel integra libra ſoluta, nonnunquam manna et oleo vnguinoſo temperata, vel cum oui vitello et gummi arabico ſubacta.

Quicquid decantatus (B. SEMLER *von ächter hermetiſcher Arzney an* H. Bar. Leop. HIRSCHEN. Lipſ. 1786. 8.) liquor, ſub ſpecioſo tituto *Luftſalzwaſſer* credulis venditus, vnquam ſalutarium virium exſeruit, id eidem ſali amaro potiſſimum debere, ſana chemia (KARSTENS *phyſiſch-chemiſche Abhandl. durch neuere Schriften von hermetiſchen Arbeiten und andere neue Unterſuchungen veranlaßt.* Hal. 8. Faſc. I. 1786. n. 1. I. C. I. MEYER *chemiſch. Annal.* 1787. Vol. I. p. 11.) docuit.

2. *Sal amarum muriaticum* (LINN. *Syſt. nat. III. p.* 265.), *Magneſia ſalita*, *Murias magneſiae*, amaritie et virtute aluum mouendi praecedentem ſalem multum ſuperat (HAHNEMANN ap. MONRO l. c. I. p. 154.), difficulter cryſtallorum formam adſciſcendo, ad aëris contactum facile deli-

deliqueſcendo, ab oleo vitrioli affuſo violenter efferueſcendo, facile diſcernendum, hactenus a medicis vix adhibitum, niſi velis, magneſiae vitriolatae vulgo venali creberrime, aquis quoque amaris aliisque medicatis inhaerere.

3. *Alumen* (LINN. *Syſt. nat. III. p.* 267.), *Argilla vitriolata*, *Sulphas aluminaris*, ex acido vitrioli, et terra aluminari, ſiue, vt alii propter conſtantem eius in argilla praeſentiam appellare geſtiunt, argilla conflatum, ſapore auſtero et ob praedominans acidum manifeſte acido, cryſtallis claris, duris, tardius, ſi aëris contactui exponantur, fatiſcentibus, aqua difficulter ſoluendis, igne primum leni aquae inſtar fluentibus, mox in ſpumam quaſi candidam conuerſis, et maſſam ſpongioſam albam violentiſſimo igne acido omni orbandam, nequaquam iterum liquandam, relinquentibus.

Licet natura iam hinc inde offerat ſatis purum alumen, natiui, aut, quia ſaepius texturam fibroſam oſtendit, *plumoſi* nomine olim a medicis quoque adhibitum, plurima tamen eius pars ex terris, lapidibus, pyritis, quibus aut ipſum, aut partes illud conſtituentes inhaerent, artis auxilio excoquitur, vtplurimum tamen ferri calce magis minusue inquinatum, qua magis liberum *alumen romanum* a tinctoribus praefertur, diluta rubedine ab alio alumine diſcrepans, quod, niſi cobalti calce tinctum, aut bolo illita fucatum ſit, colore omni caret.

Quam

Quamuis paulo difficilius, genuinum tamen alumen totum aqua diſſoluitur, quodſi bulliens cum puluere aqua eius aliquid relinquat, terra quadam peregrina contaminatum eſſe colliges; genuini quoque aluminis cryſtalli per omnem compagem eandem et tincturam et pelluciditatem monſtrant, quum alumen bolo rubens intus omni colore orbum ſit.

Aluminis virtus roborans, conſtringens, humores cogens, putredini aduerſa eius vſum tam externum, quam internum medicis iam dudum commendauit.

Exhibetur vero alumen interne pondere quinque ad viginti vsque granorum, interdum aliquoties per diem repetito praebio, aut pulueris forma, addito, vt ſtimulus, quem excitat, infringatur, ſaccharo, quod ſaporem ſimul minus ingratum reddit, aut gummi arabico, aut ſpermate ceti, vel, ſi dolores vrgeant, opio, vel, ſi febribus intermittentibus opponatur, chamomillae floribus (CRELL ap. BALDINGER *Magazin für Aerzte.* faſc. 7. p. 652.), aut aequali nucis moſchatae (KLAUNIG noſocomium charitatis ſ. hiſtoriarum medicarum obſeruationes. Vratislav. 1718. 4.), aut vna cum nuce moſchata aequali nitri copia (ETTMÜLLER l. c. p. 277. b.), aut praeter nucem moſchatam bolo (BOERHAAVE aphorism. de cognoſc. et curand. morb. §. 768.), aut cinchonae cortice (LIND eſſay on diſeaſes incidental to Europeans in hot climates. London. 1768. 8. p. 304.), aut loco vtriusque myrrha, chamomillae floribus et ſale abſinthii (MEAD oper. omn. L. II. p. 47.), aut canella alba et ſucco catechu, vel, ſi praeſertim ſanguinem ſiſtendi ergo porrigatur,

tur, (*Puluis ſtypticus*) gummi kino (Pharmacop. Edinburg. Ed. cura BALDINGER. alt. p. 115.), aut ſanguinis draconis parte dimidia, aut cum poſteriori (*Alumen tinctum, draconiſatum*) memorata ratione in pilulas redactum (ADR. MYNSICHT theſaurus et armamentarium medico-chymicum. Francof. 1675. p. 29. A. HELVETIUS traité des pertes de ſang de quelqu' eſpece, qu'elles puiſſent être, avec leur remede ſpecifique, et une lettre ſur la guériſon du cancer. Paris. 1691. 12.), aut decocto centaurei minoris (I. HARTMANN praxis chymiatrica. Lipſ. 1633. 4.), aut, addito liquiritiae ſuccos inſpiſſato (B. FR. OSIANDER *Denkwürdigkeiten für die Heilkunde und Geburtshülfe.* Goetting. 8. Vol. 1794. faſc. 2. p. 360.), donec grate acidum ſaporem nacta fuerit, vitrioli ſpiritu, meraca aqua (MÜLLER diſſ. de ſolutione aluminis vitriolata. Gieſſ. 1757. 4.), aut lactis ſero (*Serum lactis aluminoſum*), ita vt librae lactis in aheno bullientis aluminis in puluerem contuſi ſcrupulus ad drachmam vsque iniiciatur, et natum ſic ſerum per linteum traiiciatur (MEAD l. m. c. p. 48.), ſolutum, aut uſtum, vel cum oxymelle ſimplici commiſtum atque aliquot ſpiritus ſalis ammoniaci guttis temperatum (BISSET medical conſtitution of great Britain. p. 255.), vel aceto humectatum et denuo in cryſtallorum ſpeciem redactum (GLASER *chymiſcher Wegweiſer.* p. 262). Cauendum tamen, ne interno vſu aluum conſtipet, qui quidem effectus enematibus iniectis praeuerti poteſt, aut nimis diuturno fibris rigorem inducat.

Tempeſtiuo et moderato vſu prodeſt alumen in omnibus morbis, fibrarum relaxationi, humorum

reſolu-

reſolutioni natales ſuos debentibus: Et primo quidem in debilitate ventriculi atque inteſtinorum, alvique profluuiis, etiam epidemicis, quae aut ex ea oriuntur, aut eam relinquunt, modo, poſteriori in caſu, morbifera materies ſollicite prius euacuata fuerit (P. AEGINETA Oper. cum comment. IO. GVINTERII Andernac. L. 7. p. 464. ZAC. LVSITANVS de prax. medica admirabili. P. II. L. vlt. p. 623. ADR. MYNSICHT l. m. c. D. MONRO account of the diſeaſes of military hoſpitals. p. 256. ADAIR medic. commentar. of a ſociet. of phyſicians at London. for 1783. 1784. n. 2.), interpoſito et praegreſſo prudenti aluum laxantium et anodynorum vſu, in ventriculi ardore (BISSET l. c. p. 255.), in colica flatulenta et pituitoſa (SELLE *neue Beyträge zur Natur- und Arzneywiſſenſchaft.* I. p. 452. 538.) et potiſſimum in colica pictonum (GRASHVIS de colica pictonum. Amſtelaed. 1752. et app. 1755. PERCIVAL medical and experimental eſſays. II. p. 194. ADAIR l. c. QUARIN animadverſion. practicae in diuerſos morbos. Vienn. 1786. 8), ſaccharo, ſpermate ceti vel gummi arabico temperatum, aut opio permiſtum, eximie prodeſt.

Quum autem ventriculi vires imminutae vel corporis relaxatio magis generalis non raro febrium intermittentium ſint prima origo, mirum non eſt, alumen tempeſtiue et cum diſcrimine propinatum, in debellandis febribus intermittentibus (I. HARTMANN, ETTMÜLLER, KLAVNIG, MYNSICHT, BOERHAAVE, MEAD, LIND, CRELL ll. cc. GEOFFROY mater. medic. I. p. 209. ADAIR medic. commentar. collect.

lect. by DUNCAN for 1785. n. 2.), etiam epidemicis (MONRO l. c. MEDICVS *Sammlung von Beobachtungen aus der Arzneywiſſenſchaft.* p. 145.) mirifice aliquando profeciſſe, vt fuerint, qui hunc ſalem (I. FR. FÜRSTENAV de alumine diſſ. Rintel. 1748.), aut eius in aqua ſolutionem inſtillato vitrioli oleo magis acidam redditam (MÜLLER l. m. c.) in domandis his febribus cinchonae cortici parem, praeconio ſane nimis generali, pronunciarent.

Magna porro aluminis eſt efficacitas in debilitate viarum, per quas vrina ex corpore expellitur, potiſſimum colli veſicae (HERZ ap. SELLE l. m. c.), et, quae ſaepius exinde prouenit, vrinae incontinentia et diabete (MEAD l. c. 2. p. 48. BROCKLESBY medical obſerv. and inquir. Vol. III. p. 274. VOGEL de cognoſc et curand. morb. p. 281. B. FR. OSIANDER l. c. p. 363.), perinde ac in debilitate et relaxatione vaſorum ſeminalium, et profluentibus ex hac pollutionibus et gonorrhoea ſecundaria, nec non (AL. THOMSON medicin. *Verſuche und Bemerkungen einer Geſellſchaft in Edinburg, aus dem Engl.* Altenb. 8. Vol. 4. 1751. n. 7. p. 46.) in fluore albo pertinaci.

At princeps, quam interno quoque vſu exercet, aluminis virtus eſt vis, ſanguinis profluuia ſiſtendi (SCRIBONIVS LARGVS compoſitiones medicae cum notis I. RHODII. Patav. 1685. 4. p. 83. cap. 21. et 37. LA FAYE principes de chirurgie. p. 360. HELVETIVS l. c.), ea ſcilicet, quae aut a debilitatis nimium vaſis et dilatatis iuſto magis eorum oſculis, aut a reſoluto nimium ſanguine, quemadmodum in ſcorbuto (FOWLER ap. DUNCAN medical comment. for

1789. Vol. IV. 1790.) proficiſcuntur, aut, quamvis ex aliis cauſſis nata, duratione ſua vires aegroti peſſumdant; hinc pridem iam commendatus aluminis vſus internus in nimiis cruoris fluxibus ex vtero (A. MYNSICHT, CRELL, THOMSON ll. cc. CRANZ mater. medic. 2. p. 295. HUNAULT diſſ. ſur les vapeurs et les pertes de ſang. à Paris. Ed. nouv. 1771. 12. p. 338. MELLIN l. c. p. 167. WITHERS *Bemerkungen über die Fehler, welche bey dem Gebrauche der Arzneymittel begangen werden, aus dem Engliſchen.* p. 354.), ſiue tempore menſtruo (MEAD monita et praecept. medic. cum not. WINTRINGHAM. 2. p. 144. THOMSON l. m. c. R. WHYTT Works. p. 660.), aut grauiditatis (HELVETIVS et WITHERS ll. mm. cc.), ſiue poſt abortum (WITHERS l. m. c.), aut partum (MAISTRAL abrégé de matiére medicale. à Paris. 12. T. I. 1770. p. 400. THOMSON l. m. c. B. FR. OSIANDER l. c. p. 359.), ſiue quocunque alio tempore (CRELL l. m. c.) eueniant, ex aluo (LENTIN obſerv. medic. faſc. 2. p. 68.), ex veſica vrinaria (P. AEGINETA l. c. p. 156. VOGEL de cognoſc. et curand. morbis. p. 228. QUARIN l. m. c.), ventriculo (BISSET l. c. p. 178. MAISTRAL l. m. c. STROHMEYER apud I. L. LINDT diſſ. de aluminis virtute medica. p. 58. §. 21.), naribus (HELVETIVS l. c. VAN LIL *Sammlung auserleſener Abhandlungen zum Gebrauch pract. Aerzte.* Vol. 7. faſc. 3. p. 440.), et pulmonibus (MARCELLVS libr. de medicamentis in collect. ALDINA medic. latin. c. 17. p. 110. HELVETIVS l. c. VOGEL l. c. p. 211. CULLEN *Anfangsgründe der practiſchen Arzneywiſſenſchaft.* 2. p. 150.) procedentibus; narratur adeo (BOISSIER diſſertations ſur les antiſeptiques, qui ont concouru pour le prix

propoſé

propoſé par l'Académie des ſciences de Dijon. ann. 1767. à Dijon. 1769. 8. p. 389 ſq.) exemplum aegri, çui phthiſi pulmonali laboranti alumen pondere granorum ſex quater per diem pilularum forma per tres continuos menſes propinatum ingens auxilium tulit. RIVERIVS (Op. omn. medic. prax. med. l. XIV. c. V. p. 228.) quoque, praemiſſis euacuationibus ac reuulſionibus, renum vlceribus ſanandis parem commendauit internum aluminis vſum.

Quid contra rheumatiſmos (*Berliniſch. Samml. zur Beförderung der Arzneywiſſenſchaft* etc. Berlin. 8. Vol. II. 1768. P. III. p. 272.) praeſtare vi ſibi quaſi propria poſſit, vix patet.

Certior eſt ob acidum praedominans vis aluminis intrinſecus adhibiti (PETIT memoir. de l'Acad. des ſcienc. à Paris pour 1733. p. 39. et PRINGLE l. c.) in putredine coërcenda; hinc in morbis putridis (SELLE l. c.), variolis praeſertim malignis (MEAD Op. omn. P. I. lib. de variol. et morbill. p. 37. SELLE l. c. WENDT *fünfte und ſechſte Nachricht von dem kliniſchen Inſtitut zu Erlangen.* WALL philoſ. transact. nr. 484.), petechiis, haemorrhagia ſtipatis (WALL l. m. c.), egregii vſus.

Neque minor ſane laus debetur alumini extrinſecus adhibito. Et primo quidem ſic quoque exhibitum virtute putredinem inhibendi iuuat; hinc in ſphacelo, parti affectae fomenti ſpecie adplicatum, in angina putrida, decocto ſerpentariae virginianae et rhois coriariae ſolutum (COLDEN medical obſervat. and inquiries. Vol. I. p. 220.), et gan-

graenoſa, primo aceto et hordei decocto, eſcharis vero comparentibus decocto corticis peruuiani vel ſerpentariae virginianae ſolutum (VOGEL l. c. p. 141.), vel iniectum, vel gargariſmatis in modum adplicatum, in vlceribus putreſcentibus, ſorditis (P. AEGINETA l. c. l. 7. p. 458. C. CELSVS l. c. l. 5. c. 20. et 28. LANFRANC chirurgia parua. c. 12. GEOFFROY mater. medic. I. p. 143. NAHVYS *Samml. auserleſener Abhandl. zum Gebrauch practiſcher Aerzte.* Vol. IV. faſc. 1. p. 44. LANGE oper. medic. II. p. 295.), vtique eo ſcopo efficacius, quando leni vſtione aqueus humor difflatus eſt, etiam ſcorbuticis, potiſſimum (RIVERIVS l. c. l. II. p. 93. MONRO account of the diseaſes etc. p. 256.) oris interni, ſiue melle roſarum temperatum illinatur (SSELLE l. c. p. 224.); ſiue aceto (LANGE l. c.), aut decocto quodam adſtringente (PVRMANN chirurg. curioſ. p. 182.), aut vna cum aequali ſalis ammoniaci et camphorae pondere, quatuor ſpiritus cochleariae, et 96 ſpiritus vini gallici partibus (LA FAYE l. c. p. 448.), aut vna cum variis reſinis et herbis aromaticis, vino rubro et ſpiritu vini camphorato (FR. HOFFMANN Oper. omn. phyſico-medic. T. VI. p. 149.) ſoluatur, eaque ſolutione os internum crebro eluatur.

Quodſi per lenem calorem alumen aquam ſuam dimiſit (*Alumen vſtum*), ab acido ſuperſtite nunc fortiore carnes exedendi potentia pollet, tum potiſſimum in vlceribus praua carne luxuriantibus, myrmeciis (C. CELSVS l. c. l. 5. c. 28.), ſandaracae permiſtum, ani puſtulis (G. FALLOPIVS tr. de morbo gallico p. 708.) vna cum mercurio ſublimato corroſiuo

ſiuo aqua diſtillata ſolutum, penis verrucis (G. FALLOPIVS l. m. c. HEISTER inſtit. chirurg. 2. p. 818.) cum ſabinae puluere commixtum, vlceribusque venereis (GORDON medical obſervat. and inquir. 2. p. 82.) vna cum vitriolo albo, camphora, bolo armena et aqua, exedendis, fungo vmbilici in recens natis exſtirpando, ſaccharo permiſtum (HEISTER l. m. c. I. p. 181. 586.), et ouorum teſtis (S. YUES nouv. traité des maladies des yeux. à Amſterd. 1736. 8. p. 150. 171.) delendis oculorum pannis, et, quales v. g. a variolis aliquando relinquuntur, corneae maculis proficuum.

Egregie porro prodeſt alumen, externo quoque vſu, in ſanguine ſiſtendo, ſeu ex vulneribus inflictis ſtillet, ſiue in clauos aut conos formatum (P. BORELLI hiſtor. et obſeruat. medico-phyſic. cent. 4. obſ. 50. DIEMERBROECK oper. obſ. 62.) adplicetur, ſiue, e. g. in vulneribus colli et oris, pulueris ſpecie inſpergatur, ſiue aut ſolum, aut vna cum vitriolo caeruleo aqua ſolutum et addito vitrioli oleo adhuc fortius redditum (R. DE HAVTESIERK recueil des obſervat. de medecine des hôpitaux militair. T. I. p. 50.) fotus ſpecie inſeruiat, ſeu, cauſis in corpore ipſo latentibus, ex naribus promanet, nunc pulueris ſpecie (SCRIBONIVS LARGVS l. c. p. 37. HELVETIVS l. c. VOGEL l. c. p. 203.) inſperſum, nunc (BOERHAAVE mat. med. p. 94. VOGEL l. m. c.) forma ſoluta inſtillatum turundis, quae narium cauo intruduntur, vel ex ore gingiuisque, vel ex ano, quo quidem in caſu ſuppoſitorii (HELVETIVS l. c.) oleo intincti, aut clyſmatis (P. AEGINETA l. c. p. 173.)

ſpecies optime conducit, vel ex vtero, cui, aut decoctis adſtringentibus (RIVERIVS l. c. 2. p. 245.), aut aqua (LEAKE practical obſervations on the Child-bed-fever and the acute diſeaſes moſt fatal to women during the pregnancy. 2. p. 13.) ſolutum iniicitur, vel balnei (A. MYNSICHT l. c. p. 413), vel epithematis (P. AEGINETA l. c. libr. 7. c. 24.) inſtar adhibetur, vel ſpongiae infuſum vaginae immittitur (SMELLIE Collect. of praeternatural caſes and obſervations in ſurgery. London. 1786. 8.), vel pulveris forma (FABRICIVS HILDANVS epiſtolar. centur. epiſt. 39. in obſeruat. et curation. cent. 4. Baſil. 1619. 4. p. 987.) peſſario ex lino confecto vaginae intrudendo inſpergitur.

Roborando et conſtringendo relaxatis praeter naturam partibus egregie medetur alumen; ita in vteri vaginaeue prolapſu peſſarium, vel melius adhuc ſpongia eam in formam configurata, et alumine, decocto aut infuſo quodam adſtringente aquoſo vel vinoſo (DIONIS cours d'operations de chirurgie p. 310.) ſoluto imbuta, vel alumen vna cum vitriolo albo aqua ſolutum (*Aqua aluminoſa Bateana*) et vaginae iniectum (LEAKE l. c. 2. p. 13.) egregiam opem tulit; ita fotus, quos alumen ſolutum intrat, perinaeo imponendos ad partes genitales nimio veneris vſu debilitatas roborandas commendat SEYDLER (diſſ. de alumine eiusque vſu medico. Lipſ. 1774. 4. §. VIII. p. 26.); ita, praemiſſis praemittendis, in fluore albo et gonorrhoea ſecundaria aut aqua meraca ſolutum balneique ſpecie adhibitum (ZACVT. LVSITANVS l. c. 2. p. 73.), aut vna cum vitriolo albo

aqua

aqua ſolutum (THOMSON l. c. et MEAD l. c. 2. p. 147.), aut cum terebinthina et oui vitello ſubactum, et in vaginam iniectum; ita clyſmata et ſuppoſitoria alumen recipientia, aut, ſi poſterior forma arriſerit, ex alumine oleo intincto fabrefacta, in ani prolapſu; ita pulueres (RIVERIVS l. c. libr. 6. p. 92.) et gargariſmata alumine imbuta, in uvulae et tonſillarum prolongatione, ex relaxatione nata; ita in ſtaphylomate (RICHTER obſerv. chirurg. faſc. II. p. 104.), ſiue a praeternaturali tunicae corneae ſcleroticaeue expanſione ac tumore (modo non nimis inueteratum ſit malum), ſiue ab iridis prolapſu natales trahat; ita in tunicae coniunctiuae relaxatione praeternaturali grauiores inflammationes interdum inſequente (LINDT l. c. p. 26.) alumen vſtum aequali ſacchari ponderi miſtum, et in tenuiſſimum pollen contritum; ita in gingiuarum laxitate et ſubſequente hanc dentium vacillatione nunc aceto et melli permiſtum (DIOSCORIDES *περι ὑλης ἰατρικης* l. 5. c. 72. SCRIBONIVS LARGVS l. c. p. 41.), nunc pulueris forma ſolum (PAVL. AEGINET l. c. p. 41.), aut cum biſtortae radice et coralliis albis permiſtum (RIVERIVS l. c. 2. p. 89.) gingiuis adſperſum vel affricatum, nunc aqua (RIVERIVS l. m. c.), aut vna cum duabus ſalis communis partibus vino (PAVL. AEGINET l. m. c.) ſolutum, ad roboranda poſt luxationes ligamenta alii.

Sunt, qui eadem valida aluminis relaxatas partes conſtringente vi in herniis incarceratis (aceto tunc ſoluunt), ad roborandas flaccidas et aquoſo humore turgentes vlcerum oras (KRAVSE in not.

ad Chirurg. PLATNERI p. 472.), pulueris forma inſpergendo vtuntur; ſunt alii, qui, fomenti formam praeferentes, aluminis ſoluti efficaciam in ſcrophulis incipientibus, tumoribus cyſticis gangliisque naſcentibus diſſipandis, articulorum fungo et hydrope (PVRMANN l. c. 3. p. 48. 619. HEISTER l. c. I. p. 344.), hydrocele (PVRMANN l. m. c.), oedematibus (HEISTER l. c. I. p. 342.), praecipue pedum (LANGE op. med. 1. p. 295.), in ipſo adeo abdominis hydrope (RIVERIVS l. c. l. 11. c. 6. p. 197.), ratione tamen cauſſarum habita, neque neglecto internorum medicaminum vſu feliciter tentarunt.

Eadem conſtringente et roborante vi niti quoque videtur efficacia, quam alumen, ſoluta potiſſimum forma, in tumoribus ſpongioſis atque inflammationibus diſcutiendis toties exſeruit; non enim procliues modo in anginam catarrhalem ori immiſſum, vt in ſaliua diffluat; contra acceſſum huius mali tuetur (MELLIN l. c. p. 335.), ſed etiam, tum in leuiori illa inflammationis ſpecie, quae anginam catarrhalem comitatur (C. CELSVS l. c. p. 407. 413.), nunc ſolum, nunc aliis roborantibus et adſtringentibus miſtum, iam pulueris forma (PAVL. AEGINETA l. c. p. 128. SCRIBONIVS LARGVS l. c. p. 43, RIVERIVS l. c. T. II. l. 6. p. 92.), qui poſtea fluidis abluitur (MEAD pharmacia Meadiana p. 14.), iam ſolutum (HEISTER l. c. 2. p. 703.) gargariſmatis ſpecie, tum in grauiori proprie ſic dicta inflammatoria angina (DIOSCORIDES l. c. ARETAEVS de curatione morborum acutorum l. 1. c. 7 — 9. p. 87 ſqq. PAVL AEGINETA l. c. l. 7. p. 442. AL. TRALLIANVS de morbis.

l. 2.

l. 2. c. 9. p. 560.), nondum in ſuppurationem vergente, aut pulueris, quo continguntur partes inflammatae, forma (VAN SWIETEN l. c. T. 2. §. 809.), aut aqua quadam diſtillata (VOGEL l. c. p. 140.) decoctoue adſtringente (SYDENHAM Oper. omn. ſect. 6. cap. 7. p. 358. GEOFFROY mater. med. 1. p. 206.) ſolutum, aliquando melle aut ſyrupo edulcatum, gargariſmatis in modum (MYNSICHT l. c. et LANGE l. c. I. p. 245.) a medicis praecipitur.

Ingens quoque eſt eius virtus in oculi inflammatione (PAVL. AEGINET. l. c. l. 7. p. 449.), quae vaſorum nimia dilatatione et debilitate nititur, ſiue cum ouorum albumine in linimenti ſpeciem (*Coagulum aluminoſum*) ſubactum (RIVER. l. m. c. PRINGLE l. c. p. 141.) et linteo illitum tepide oculis admoveatur, ſiue, quae vtique potior videtur, eo quod albumen, dum exſiccatur, nimium irritat, facta eius per aquam diſtillatam ſolutione aegrotans oculus fomentetur et lauetur.

Quum alumen patula vaſorum oſcula, quae contingit, conſtringat atque obſeret, dubium vix ſupereſt, quin, cuti inſperſum, ſudorem aut nimis profuſum, aut foetore ſuo incommodum reprimere poſſit; fuere idcirco inter veteres medicos plures (DIOSCORIDES l. c. PAVL. AEGINETA l. c. p. 142. ZACVT. LVSITANVS l. c. l. vlt. p. 616.), qui eo ſcopo commendarunt; at caueant medici, ne leuiori huic malo medicaturi grauius ſuſcitent: Tutius adhibetur in vlceribus exſiccantia admittentibus ac poſcentibus, ſiue cutem defoedauerint, v. g. herpete, niſi ex interno fomite nato, variis aliis intermiſtum, aut

pulueris forma (SCRIBONIVS LARGVS l. c. p. 122 ſq.) adſperſum, aut aqua (PVRMANN l. c. p. 122. 128.) ſuccoue quodam vegetabili diſſolutum (ZACVT. LVSITANVS prax. hiſtor. 2. p. 101.), linteo carpto exceptum atque impoſitum, ſiue oris partes internas, quemadmodum aphthae, quae, niſi criticae ſint, alumine, melle (C. CELSVS l. c. l. 6. c. 11.), ſyrupo, mucilagine quadam temperato, aqua ſuccisue vegetabilibus (RIVERIVS l. c. l. 6. c. 5. p. 91.) ſoluto, obliniri poſſunt, et aliis foetidis (DIOSCORIDES l. c. CELSVS l. c. l. 6. c. 2. SCRIBONIVS LARGVS l. c. p. 43. PLATNER inſtit. chirurg. p. 42.), ſcorbuticis (LIND l. c. MYNSICHT l. c. p. 46. LANGE l. c. p. 182. RIVERIVS l. c. l. 11. p. 93. MONRO account of the diseaſes of military hoſpitals. p. 256. NAHVYS *Sammlung. auserleſener Abhandl. zum Gebrauch pract. Aerzte.* Vol. IV. faſc. 1. p. 44.), et ipſis venereis (AL. TRAIANVS PETRONIVS de morbo gallico omnia quae exſtant. Venet. 1566. l. 7. p. 162.) vlceribus, ſiue denique oculos affecerint.

PRAEPARATA.

Alumen vſtum, v. ſupra. Acrimonia ſuperat crudum, ſpumoſum, fragile, album, opacum.

Spiritus vel *phlegma aluminis* indole et virtute ſalutari neutiquam a ſpiritu vitrioli diſcrepat, ſimiliter violento igne ex alumine extortum.

Serum lactis aluminoſum, v. ſupra.

Coagulum aluminoſum, multis a RIVERIO denominatum, v. ſupra.

Puluis ſtipticus Heluetii, v. ſupra.

Alumen

Alumen tinctum ſ. *Alumen draconiſatum*, v. ſupra.

Aqua aluminoſa Bateana ſ. *Aqua aluminoſa compoſita*, v. ſupra.

Aqua magiſtralis Fallopii ex aequali pondere aluminis et mercurii ſublimati corroſiui albi, cuius ſingulae drachmae in duobus aquae plantaginis et ſex aquae roſarum libris diſſoluuntur, parata, in mundandis et ſanandis vlceribus vſitata.

Alumen ſaccharatum ex alumine, ſaccharo et ceruſſa conflatum, et in oculorum inflammationibus frequenter adhibitum.

Puluis antilyſſus Hillii ex aluminis ſcrupulo dimidio, cretae vncia dimidia, boli armenae drachmis tribus, radicis helenii drachma vna, et olei aniſi guttis ſex conflatus, ab HEYSHAMO (medical and philoſoph. Commentar. by a ſociety in Edinb. Vol. V. P. 1. London. 1777. 8.) ad hydrophobiam praecauendam commendatus.

Lapis ſalutis ſiue *Lapis medicamentoſus*, a multis CROLLII nomine inſignitus, qui (Baſilica chymica. Lipſ. 1634. 4. p. 466.) vel ex alumine, vitriolo viridi et albo, felle vitri, ſale tartari et variis ſalibus herbarum, vel ex alumine, vitriolo, nitro, ceruſſa, bolo armena, et ſale ammoniaco, vel addendo modo dictis vitriolum album, tartarum, boracem, maſticha et thus cum aceto parari iubet. Aqua diſtillata ſolutus in oculi affectibus potiſſimum adhibetur.

Lapis diuinus, a celeberrimo ophthalmiatro S. YVES (l. c. p. 148.) primum commendatus, ex alumine, nitro et vitriolo cum pauca camphora conflatus; ad pauca grana collyriis addlitus oculis inflammatis egregie prodeſt.

b. SALIA NEVTRA METALLICA ſ. VITRIOLA.

Dignoſcuntur haec ſalia a reliquis guſtu magis minusue acerbo, potiſſimum vero ea nota, quod facta eorum per aquam diſtillatam ſolutio non affuſis modo lixiuiis alcalinis, ſed inſtillato quoque aut ſanguinis lixiuio, aut aqua viniue ſpiritu gallarum principio adſtringente ſaturato turbetur, et cum hepate ſulphuris ſoluto vel cum aëre hepatico confuſa ſedimentum obſcuri coloris dimittat.

1. *Vitriolum album*, *Vitriolum zinci* (LINN. *Syſt. nat. III. p.* 271.), *Zincum vitriolatum*, *Sulfas zinci*, ex vitrioli acido et zinco conflatum, colore albo, facie, quale quidem venale proſtat, non cryſtallina, compagis ſuae maiore tenacitate, ſapore mitiore, denique ea nota a reliquis officinalibus vitrioli ſpeciebus recedens, quod ſolutio eius per aquam facta ſiue lixiuio cinerum clavellatorum ſiue lixiuio ſanguinis inſtillato tentata ſedimentum album dimittat.

Verum enim vero quod in officinis illis ex mineris pſeudogalena praegnantibus excoquitur, et vulgo venale proſtat, vitriolum album, crebro plumbi, ferri, cupri calce contaminatum eſt; ſi prima,

prima, vix totum, niſi copioſiſſima eaque calida aqua ſoluitur; ſi altera, a gallarum infuſo vel tinctura inſtillata nigreſcit eius ſolutio; ſi tertia, ab adfuſo paulo largius ſalis ammoniaci ſpiritu amoeniſſimo caeruleo tinctu perfunditur.

Intus ſumtum, quo quidem in caſu, ne violentius iuſto agat, niſi vomitum largiorem ciere animus ſit (STOLTE diſſ. de vitriolo albo. Goetting. 1787. p. 22.), depurari prius a peregrinis illis metallis, iniecta in tepidam eius ſolutionem zinci ſcobe debet, vomitum excitat, eumque quidem effectum cito praeſtat, eoque praeſtito ventriculum roborat; in iis igitur caſibus aliis emeticis praeferendum, qui periculum proximum minantur v. g. in venenis deglutitis, potiſſimum iis, quae ventriculi irritabilitatem imminuunt aut delent, qualia ſunt venena narcotica, fungi (BOERHAAVE praelect. academ. in propr. inſtitut. ed. HALLERI. T. VI. §. 1136. 1138.), non perinde in iis, quae ſua ipſorum indole vomitus atrociſſimos cient, vel acrimonia ſua et longiori mora inflammationes et gangraenam ventriculi inteſtinorumque excitarunt; in ſanguine ex cauo rarium dormientis delabente et deglutito atque animi deliquium excitante (STARK medical caſes with occaſional remarks. Bath. 1784. p. 35.), in iis quoque digeſtionis vitiis praeſtantioris efficaciae, quae non emeticum modo poſtulant, ſed ventriculi quoque laxitate ſtipata ſunt; in apoplexiae inſultibus a colluuie primarum viarum et nimia ventriculi repletione natis (QVERCETANVS tetrad. capit. affect. p. 153. IVNCKER conſpect. therap. ſpec. p. 911. FOTHERGILL medical obſervat. and inquir. Vol. VI.

p.

p. 84.); in ipſis adeo febribus bilioſis vomitum conſuetorum emeticorum vſu non obtinendum poſtulantibus (FISCHER apud STOLTE l. c. p. 48.); a dimidio ad duo grana quaſſiae decocto ſolutum in debilitate hyſterica eximiae efficaciae (LETTSOM memoirs of the medical ſociety at London. 8. Vol. I. 1787.). Vomitum ciendi ſcopo alias exhibetur grani medii, duorum, quinque, quin drachmae dimidiae, imo integrae pondere adhibitum fuit, aqua ſolutum.

More aliorum emeticorum hoc quoque vitriolum exiguo pondere propinatum ſpasmos egregie ſedat; hinc vnius, duorum, trium granorum pondere in aſthmate ſpaſmodico et conuulſiuo a nonnullis commendatum, cum opio iunctum a LEE PERKINS (Memoirs of the medical ſociety at London. Vol. III. 1792. app. n. XXIX.); granorum quinque, pedetentim duodecim pondere bis quotidie exhibito absque moleſtia ſuperatam epilepſiam iam per tres annos ſingulis quatuordecim diebus infeſtantem, et efficaciſſimis aliis remediis reſiſtentem teſtatur JOHNSON (medical and philoſoph. Comment. of Edinburg. V. p. 311.), cordis palpitationem CRELL (apud MARTINI diſſ. de zinco medico recentius obſeruata ſiſt. Helmſt. 1780. p. 30.), et inueteratam adeo, LETTSOM (medical memoirs of the general diſpenſary, verſ. german. p. 271.) ſublatam, morbum hypochondriacum feliciſſime oppugnatum pilulis granorum duorum ex hoc vitriolo et duabus extracti amari partibus confectis WIEL (obſeruat. de vſu interno nucis vomicae et vitrioli albi in pertina-

cibus

cibus morbis curandis conſpicuo. Vitemberg. 1771. 4. p. 35.) et (l. m. c.) CRELL.

Multum vtique ad poſteriorem hunc effectum facere videtur vis vitrioli albi roborans, conſtringentis indiuidua comes, qua in diabete et fluore albo, teſte LEVISON (*Beſchreibung der londoniſchen mediciniſchen Prax.* Berlin. 1782. P. I. p. 244. et II. p. 98.), qui eo ſcopo ſcrupulum eius cum dimidio florum chamomillae, ſex rhabarbari totidemque zingiberis granis commiſtum bis quotidie pulueris forma praeſcripſit, in diarrhoeis pertinacibus, teſte JOHNSON (l. c.), in ipſa dyſenteria, quando quidem conſtringentia admittit, teſtibus medicis *Monſpelienſibus* (*Chemiſche Lehrſätze der hohen Schule zu Montpellier.* p. 175.), in colica ſaturnina, teſte CRELL (l. m. c.), in ipſis febribus intermittentibus, teſte Cl. BLANE (Obſervat. on the diſeaſ. accident to ſeamen. Lond. 1785. P. III. c. 1. p. 420.), qui, perinde ac Cl. TELFORD (ibid.) in interuallo lucido ſingulis quatuor horis eius grana quinque aegris exhibuit, in ipſis morbis rheumaticis et arthriticis, adeo haereditariis, teſtibus WIEL (l. c. p. 15 ſqq. 28 ſqq.) et CRELL (l. m. c.), qui ſingulis quatuor horis eo ſcopo pilularum memoratarum tres vel quatuor deglutiendas imperarunt, in ſedimento vrinae calcario et tenaci pituitoſo bonum iam omen praevidentes, fauſto cum euentu exhibitum fuit hoc vitriolum.

Neque praetermittenda eſt vis huius vitrioli putredinem arcens, quam quoque extra corpus viuum periculis a Cl. WIEL (l. c. p. 19. 20.) captis compro-

comprobauit, hinc, eo teſte (l. c. p. 7 ſqq.), aliis vtique coniunctum multum contulit, continuato diu et per menſes vſu, ad ſanandos homines, vlceribus inueteratis, cancroſis, ſcorbuticis, venereis, herpetibus laborantes, doſi primum parciori granorum quinque, ſenſim maiori ſcrupulorum duorum per diem praecepta; eximiam pariter monſtrauit efficaciam in aphthis (HERZ ap. SELLE *Beyträge zur Natur- und Arzneywiſſenſchaft.* Vol. I. p. 134.), in febribus putridis et malignis (WIEL l. c. p. 19 ſq. 27.), et variolis, praeſertim malignis (IDEM l. c. p. 20 ſq.); exhibuit autem Cl. WIEL vel ſoluti in aqua florum chamomillae vitrioli albi, ita vt grana decem vel quindecim vnciis aquae diſtillatae ſex ſolverentur et vncia ſyrupi cuiusdam edulcarentur (l. c. p. 26.) ſingulis tribus aut quatuor horis cochlear, vel pulueris, dupla magneſiae albae portione temperati principio quidem non niſi vnum ad decem grana, vt tamen ſenſim ad integrum, imo duos ſcrupulos adſcenderet (l. c. p. 8 - 10.).

Latius tamen, quam internus, externus vitrioli albi vſus a longis retro temporibus patet. Et, primo quidem exſiccante, pictoribus quoque nota, ac conſtringente ſua virtute multiplicibus modis medico et chirurgo prodeſt; hinc in ſcabie (Ill. WICHMANN *Aetiologie der Krätze.* Hannov. 1786.) aliisque cutis morbis eiusmodi medicationem admittentibus egregie efficax, vt pars certe non vltima laudis vnguentis a TIMAEO (quod teſte IVNGKEN corp. pharmac. chymic. medicum vniuerſal. p. 1202. praeter tres eius partes, corticis lauri octo, ſulphuris citrini totidem,

dem, enulae quatuor, et ſtyracis liquidae tantum, quantum ſufficit ad ſpiſſitudinem vnguenti miſturae conciliandam, recipit) et IASSERO denominatis in ſananda ſcabie tributae huic debeatur vitriolo. Vtrum ex hac exſiccante, an potius ex illa facultate, qua corruptioni cuicunque aduerſatur, proficiſcantur effectus, quos in vlceribus venereis pertinaciſſimis, ſi quidem calcinatum vna cum aequali copia vitrioli romani calcinati, et aluminis vſti, cum media parte boli armenae, et paulo minori camphorae octo aquae bullientis partibus ſolutum adplicetur, GORDON (medical obſervations and inquiries. Vol. II. p. 82.), in vlceribus penis et faucium, ſi cum octaua parte ſalis armoniaci, quarta ceruſſae et boli armenae permiſtum, cum aceti quatuor partibus coctum in *lapidem* a *Crollio medicamentoſi* titulo inſignitum compactum fuerit, (WEDEL exercitation. pathologico-therapeutic. p. 118.), in aliis vlceribus dyſepuloticis, eadem forma indutum VAN HAEN (praelect. in BOERHAAVII inſtitut. patholog. T. III. p. 393.), in oris interni praeſertim vlceribus, quae facta huius vitrioli per 384 aquae partes ſolutione crebro eluuntur, ARMSTRONG (Account of the diſeaſes moſt incident to children. p. 25.), et aphthis praeſertim, quae aut linteolo eadem ſolutione madido lauantur (ARMSTRONG l. m. c. ROSENSTEIN l. c. p. 61.), aut ſolutione melle roſarum edulcata, partim ſyringis ope, abluuntur (HERZ l. c.), edidit, diiudicare equidem nolim.

Ad hanc virtutem exſiccantem maiori forte iure referas auxilium, quod idem vitriolum album lip-

pientibus (ARMSTRONG l. c. p. 108. RICHTER et STROHMEYER apud STOLTE l. c. p. 29.) toties tulit, ſiue facta eius per aquam roſarum aut aliam diſtillatam (partes 96) (RIVERIVS l. c. p. 252.) pluuiam, aut communem, (ſi ſpiritus vitrioli totidem guttae, quot grana vitrioli albi, addantur, Medicis Edinburgenſibus pharmacop. Edinb. p. 97. *Aqua vitriolica* dicta), vel oui, cui ad duritiem vsque cocto includitur eius puluis, in deliquium abiens albumen (IVNCKER therap. ſpec. p. 208.) ſolutio, cui alii (MALOUIN Chymie medicinale. T. II. p. 396.) odoris gratia radicem ireos florentinae, alii (VAN HAEN l. m. c.) ſalis communis aequalem copiam, alii (SELLE medic. clinic. Ed. 3. p. 436. 578.) extractum ſaturni et ſpiritum vini camphoratum addiderunt, oculo inſtillata, ſiue vnguentum ex eius ſubtiliſſime comminuti cum butyro inſulſo miſtura (SCHVLZE mater. medic. Hal. 1746. p. 35. FR. HOFFMANN oper. omn. T. I. p 453.) natum, et oculo, praecipue eius cantho interno illitum, ſiue (L. HEISTER *Wahrnehmungen.* Vol. I. p. 355. II. p. 70. 486. 595.) puluis tenuiſſimus ex eius cum 20 partibus oſſium ſepiae, et 45 ſacchari albi combinatione paratus, oculis inſperſus.

Ita etiam eiusdem vitrioli ſolutio palpebrarum margini adplicata pruritui et ardori palpebrarum (RICHTER *Anfangsgr. der Wundarzneyk.* Vol. II. §. 564.), puluis cum maſtiche permiſtus palpebrae debilis interiori ſuperficiei mane et veſpere admotus, in lapſu palpebrae ſuperioris a relaxatione vel a cauſſa mechanica diſtendente oriundo (F. CHRPH. OE-

TINGER

TINGER diſſ. de lapſu palpebrae ſuperioris. Tubing. 1771. 4. §. LXVII. p. 40.) egregie prodeſt.

Inter palmaria certe remedia ocularia ſiue collyria ſuo iam tempore retulit hoc vitriolum album CROLLIVS (Baſilic. chym. p. 271.) cuius lapidis medicamentoſi partem principem conſtituit; hic enim oculorum lacrymas fundentium, rubentium, dolentiem, occaecatorum angulos externos ſolutione eius plumae intinctae ope irrorari iubet; inflammationi oculorum mederi experti ſunt BONET (theſaur. medico pract. P. II. p. 944. RIVERIVS, IVNKER, SCHVLZE, MALOUIN ll. cc.); nebulas ab inflammatione in cornea ſuperſtites eiusdem vitrioli ad vnum vel duo grana in aqua quadam diſtillata ſoluti vſu feliciter diſſipauit Ill. RICHTER (ap. STOLTE l. c. p. 31.), maculas corneae eadem ſolutione Ill. THEDEN (*Unterr. für Unterwundärzte* et ap. MARTINI l. c. §. XV. p. XXVII.), eodem vitriolo cum alumine vſto et ſaccharo albo commiſto et pulueris ſpecie inſperſo, vel cum vnguento roſato atque aerugine ſubacto L. HEISTER (Inſtit. chirurg. I. p. 619.), lapide medicamentoſo aqua diſtillata diſſoluto VAN HAEN (l. c.); ipſam fiſtulam lacrymalem, a depoſitione materiae morboſae incognitae natam ſanari vitrioli huius ope poſſe Ill. RICHTER (*Anfangsgründe der Wundarzneykunſt.* Vol. II. §. 535.), linimento ex albumine oui cum vitrioli granis quindecim ad drachmam dimidiam vsque ſubacto confecto et ter vel ſexies per diem penicilli ope corneae illito, ſuppurationem, quae inflammationem corneae excepit, huic pelluciditate reddita, feliciter coercitam teſtatur IDEM (ap. STOLTE l. c. p. 30.).

Potentiam autem, quam conſtringendo et roborando exercet vitriolum album, in cruoris quoque fluxibus non exiguam monſtrat, cauitati ſanguinem fundenti ſiue naturali ſiue praeternaturali vel ſyringis ope iniecta, vel turundae aut compreſſorii auxilio adplicata eius per aquam facta ſolutio, cuius in locum (LEAKE practical obſervations on the childbed fever and the acute diſeaſes moſt fatal to women. Vol. II. p. 286.) ſubſtitui etiam *aqua Bateana* poteſt, praeter hoc vitriolum aluminis aequale pondus recipiens: Ita RIVERIVS (l. c. p. 278.) ſanguinem ex naribus, Ill. RICHTER (*Anfangsgründe der Wundarzneyk.* Vol. II. p. 42.) ex eodem cauo poſt euulſum polypum ruentem, LEAKE (l. m. c.) ex vtero, Clar. STROHMEYER (ap. STOLTE l. c. p. 37.) etiam grauidarum promanantem, et abortum minitantem, feliciter ſiſti comperit.

Ita etiam vaginae poſt vteri prolapſi repoſitionem adhucdum relaxatae robur reddidit (l. m. c.) iniecta vitrioli albi et aluminis ſolutione LEAKE; alii in fluore albo, alii ſiue meracam (MONRO *Arzneymittellehre.* I. p. 325.), ſiue camphora et ſaccharo ſaturni auctam in gonorrhoea ſecundaria efficacem experti ſunt.

Leniter irritante et mucum incidente vi, quam extrinſecus admotum quoque exſerit, non aliis tantum errhinis additum eorum potentiam auget, ſed meraca communi (NENTER fundament. medic. P. III. p. 138.), aut diſtillata maioranae (FR. HOFFMANN l. m. c. p. 442. IVNCKER conſpect. therap. general. p. 219. ROSENSTEIN l. c. p. 40.), aut roſarum (MEL-

LIN

LIN l. c. p. 319.), additis, ſi ſtimulo vehementiori opus eſt, elaterii aliquot granis (ROSENSTEIN l. m. c.) ſolutum, et ſiue naribus (FR. HOFFMANN et MELLIN ll cc.), prius lactis calidi vapore fotis, attractum, ſiue plumae ope (WEDEL miſcellan Acad. Caeſar. Nat. Curioſ. ann. 3. p. 215.) illitum, ſiue linteoli eo imbuti ope intruſum (ROSENSTEIN l. c.), pituitam nares, praecipue infantum, catarrho laborantium, interdum obturantem, et ipſum pus, in ſinu frontali haerens (MELLIN l. c. p. 319. 320.) egregie incidit atque euacuat, et tum ſpirandi ſugendique difficultatem, tum capitis dolores inde natos (MELLIN l. c.) tollit.

Similem effectum edit vitriolum album in angina, quam catarrhalem vulgo vocant, ſiue collutionis ſpecie (HERZ l. c.) adhibeatur, ſiue ruſticorum Seelandiae more (VAN SWIETEN l. c. II. p. 677.) puluere ex eo, alumine crudo et ſale armoniaco conflato, contingantur partes affectae.

Quod globulus vitrioli albi foueae dentis dolentis intruſus aliis remediis ad auferendos illos dolores praedicatis antecellat, vix credibile.

2. *Vitriolum caeruleum*, *Vitriolum cupri* (LINN. *Syſt. nat. III. p.* 271.), *Vitriolum veneris*, *Vitriolum cyprium*, *Cuprum vitriolatum*, *Sulfas cupri*, ex vitrioli acido et cupro conflatum, diaphanum, colore laete caeruleo, ſi diu aëri exponatur, in ſuperficie ſenſim in flaueſcentem transeunte, ſapore nauſeoſo acri, cortice cupreo, quo ferrum politum et humectatum, cui affricatur, obducit, ſolutione per aquam facta a ferro

 iniecto

iniecto puluerem cupri metallico nitore conſpicuum ab aqua vel vini ſpiritu cum gallis digeſto ſedimentum flaueſcens, a ſanguinis lixivio, flauicans, exſiccatione nigreſcens, a ſulphuris, quod appellant, hepate obſcure rubrum, a lixiuio cinerum clauellatorum vel ſpiritu ſalis ammoniaci infuſo dilute viride dimittente, quod tamen, ſi maior poſterioris copia additur, liquorem denuo ſubit, tinctu amoeniſſime coeruleo inde notatum, facile diſtinguendum.

Omne fere hoc vitriolum artis opera progignitur, ſiue ex cupri mineris ſulphure grauidis vſtulatis, ſiue, quod quidem rarius contingit, ex cupri cuſi tabulis per ſulphuris, cum quo per ſtrata diſpoſitae ignis violentiae exponuntur, vapores corroſis, aquae adiumento excoctum.

Ob ingentem, quam ſapor iam ſatis ſuperque prodit, acrimoniam hoc vitriolum extrinſecus ſolummodo vſitatum fuit, exedendis mariſcis carnique vlcerum luxurianti (L. HEISTER inſtit. chirurg. P. I. p. 19.) vtile; olim quoque in ſiſtendis ſanguinis ex vulneribus profluuiis (L. HEISTER l. m. c. p. 437. 496. 499.) celebre, cui tamen fini, cum facile ſoluatur humoribus, ſeque per omne vulnus diffundat, et nervos fibrasque violenter vellicando praua ſymptomata creet, et cruſta, quam vulneri inducit, delabente, facile recrudeſcat malum, ſimiliter ac abſumendis glandis virilis cancris venereis (PLENCK mater. chirurg. Vienn. 1771. p. 220.), minus reſpondet. Aqua (granum in vncia media) ſoluto, et per nares attracto inſecta in ſinubus frontalibus nidulantia, dolores ſaevos et vertiginem moleſtiſſimam creantia, enecta atque

expulſa

expulſa vidit V. SWIETEN (l. c. T. IV. p. 733.): Similiter aqua (grana aliquot in libra) communi vel diſtillata ſolutum, et linteoli interuentu applicatum, oculorum vaſis nimium relaxatis roborandis, inflammationi et lippitudini exinde ortae, vlcuſculis corneae et coniunctiuae tunicae ſanandis egregie conducit (C. G. WEITZENBREYER diſſ. de cupro medicato. Erf. 4. 1783. §. VI p. 21.), tenuiſſimi pulueris ſpecie, leucomata et pterygia delendi fine, in oculos quoque inflatum.

Vitriolum hoc intus ſumtum aeque ac alia cuprea vomitus excitat; ideo a multis caute et non niſi aliquot granorum pondere ingeſtum, a nonnullis (V. ALSTON lectures on materia medica. Vol. II.) inter emetica laudabilia, nullam ventriculi debilitatem poſt ſe relinquentia, commemoratum, alias nauſeam et vomendi conatus excitans (HAHNEMANN apud MONRO l. c. I. p. 195.); parciſſima doſi, praemiſſo largo aquae hauſtu, ipſis phthiſicis (S. F. SIMONS practical obſervations on the treatment of conſumtions. London. 1780. 8.), ab aliis (MARYATT) ad augendam aliorum emeticorum, et ipſius tartari ſtibiati efficaciam, commendatum: Adhibetur autem vel pulueris forma, iuſculo pingui inſuper hauſto (FR. HOFFMANN medic. rational. et ſyſtemat. T. II. C. VIII. p. 290.), vel aqua ſolutum, ita vt vncia aquae vnum circiter eius granum contineat (L. CHALMERS account of the weather and diseaſes of South Carolina. Vol. II. London. 8. 1776.), aut tres vnciae ſcrupulum (ADAIR apud DUNCAN medical. commentar. for the Year 1783. 1784. Vol. IX. 1785.), ſingulis binis horis cochlear vnum vel duo

 prae-

praecipiendo, donec vomitus aut alui ſolutio ſequatur, vel (grana eius ſex) cum canella alba (vncia) et ſyrupo in octoginta (ADAIR l. m. c. Dec. II. n. 1. art. 2.), vel (grana quatuor) cum extracto corticis cinchonae (granis triginta duobus) et ſyrupo (MONRO *Arzeymittellehre.* I. p. 198.) in ſedecim pilulas ſubactum. Ita pulueris granis ſex febrem intermittentem quartanam pertinacem FR. HOFFMANN (l. m. c.), ſolutione aquoſa colicam ſiccam, malum hypochondriacum et hyſtericum, ipſum hydropem debellatum, ſanguinis profluuia inhibita CHALMERS (l. c.), alternis diebus exhibita eadem vlcera pertinacia, alui fluxus mitiores, febres remittentes et intermittentes ſanatas refert ADAIR (l. c. Vol. IX.), et alii medici (apud MONRO l. m. c. p. 198.), vt tamen poſteriores felicius et conſtantius ſuperarent ADAIR (l. c Dec. II.) et MONRO (l. m. c.) pilulis ſuis, quarum ille in interuallo lucido ter vel quater tres ad ſex, hic quater quotidie vnicam deglutiendam imperauit.

Quicquid in epilepſia infantum grani vnius vel alterius aqua ſoluti pondere praeſtitiſſe fertur (I. H. SCHVLZE theſes de mater. medica. Hal. 1746. 8. §. 120. p. 33.), virtuti emeticae, et quam cum aliis emeticis parciſſima doſi ingeſtis, forte communem habet, facultati ſpasmis ſedanti debere videtur.

PRAEPATATA.

Aqua ſtyptica, in ſiſtendis narium haemorrhagiis commendata, ſecundum nonnullorum ſententiam ex hoc vitriolo et alumine aqua ſolutis conflatur, SYDENHAMVS tamen (proceſſ. integr. Oper.

Vol. II.

Vol. II. p. 524.) vngaricum praecipit, et liberum praeterea vitrioli acidum addi iubet.

Cuprum ammoniacum, Sal ammoniacum cupriferum, Sal antepilepticum Weismanni, ſal ex caeruleo laete vireſcens, aqua facilime ſolubile, ex ſale ammoniaco vitriolico et cupro conflatum, et ex hoc cupri vitriolo et ſpiritu ſalis ammoniaci confectum, cui denuo ſuperinfuſo tinctum ſuauiſſime caeruleum impertitur, tanquam princeps, ad epilepſiam, praeſertim habitualem, profligandam ab inuentore ipſo (Nov. act. phyſico-medic. Acad. Caeſar. Nat. Curioſ. 4. Norimb. T. I. 1757. art. 67. p. 276.) commendatum, adſtipulante ipſi aliorum quoque, praeſertim Britannorum, medicorum, CULLEN (lectures on mater. medica. p. 186.), WITHERS (l. c. p. 365.), WILLAN (medical journal. 1786. 2. n. 13.), WALKER (ap. DUNCAN medical commentar. for 1785. Vol. X. 1786. n. 5.), CAUSLAND (ibid. for 1781. 1782. Vol. VIII. 1785.), BAUMES Journ. de med. chirurgie etc. T. LXX. 1787. Febr.), experientia, nauſea tamen et vomitibus, quos ciet, aegris magnopere moleſtum (CAUSLAND l. c.), tanto magis, quod per plures ſeptimanas continuari eius vſus debet, et tunc aliquando inanis (LA CHANDELIER journal de medecine, chirurgie etc. T. XI. p. 45.), iis aegris maxime conueniens, qui debilitate, relaxatione, nimia irritabilitate laborant, non perinde plethoricis, niſi per euacuantia, vitae genus accommodatum, et refrigerantia obſtaculum iſtud ſublatum ſit.

Verum non in epilepſia ſolum prodeſt hoc cuprum ammoniacum, ſed in chorea quoque S. Viti (WALKER l. c.), et tuſſi, quae nulla irritabilitate praeter naturam aucta ſtipata erat (BELL ibid. Dec. II. Vol. 4. n. 8.) ſananda, in vermibus necandis, et hydrope, per lotium, quod mirifice pellit, euacuando (WILLAN l. c.) egregiam exſerit efficaciam.

Exhibetur autem eius principio grani pars quarta, ſenſim ad medium, ad vnum, ad tria, ad quatuor grana adſcendendo, donec aegrotus primos vomitus prodromos experiatur, ſiue aqua ſimplici ſolutum, ſiue cum quinque partibus micae panis et ſpiritu ſalis ammoniaci, quantum ſcilicet opus eſt, vt formam illam adipiſcatur, in pilulas redactum, quae a colore laete caeruleo *pilularum caerulearum* (Pharmacop. Edinburg. p. 118.) nomine medicis Edinburgenſibus veniunt.

Tinctura veneris Heluetii (ADR. HELVETIUS traité des maladies les plus fréquentes et des remedes ſpécifiques pour les guérir avec la methode pour s'en ſervir. Paris. 1704. 12. I. FR. CARTHEVSER pharmacologia theoretico-practic. 8. Edit. 2da. Berolin. 1770. p. 301.). Cupro ammoniaco ſatis ſimilis medicina, ſecundum praeſcriptas ab inuentore leges tamen ſemper liquida, amoene caerulea ex ſpiritu ſalis ammoniaci et hoc vitriolo cum duabus ſalis armoniaci partibus leni igne prius liquato et in puluerem contuſo parata, ab HELVETIO, remediorum iſtius generis amantiſſimo, epilepſiae, vermibus, atrophiae, rhachitidi, cachexiae, fluxus muliebris turbis oppoſita, a guttis tribus ad

decem

decem vsque praeſcripta. Non multum abludit ab hoc remedio

Tinctura cupri Stiſſeri (I. A. STISSER actor. laborator. chemic. in Academ. Iulia editorum ſpecim. primum. Helmſt. 1690. 4. Cap. 4.), ſiue viridis, ſiue inſtillatis aliquot ſpiritus ſalis ammoniaci cauſtici guttis caerulea, ex ſpiritu vini rectificato a ſublimato cum ſale communi ſale armoniaco per diſtillationem abſtracto et vitriolo cupri contuſo parata, metallici ſaporis, quam, a duabus ad ſex vel ſeptem guttas cum vino maluatico ſorbtam, in epilepſia, vermibus, infantes infeſtantibus, rhachitide, ictero, hydrope, gonorrhoea, fluxu muliebri ſuppreſſo mira praeſtitiſſe, gloriatur auctor.

3. *Vitriolum viride, romanum, hungaricum, anglicum, Vitriolum ferri* (LINN. *Syſt. nat. T. IV. p.* 272.), *Vitriolum martis, Sal martis, Sal chalybis, Ferrum vitriolatum, Sulfas ferri*, ex vitrioli acido et ferro conflatum, colore, quem nomen iam indigitat, laete viridi, dum fatiſcit, fatiſcit autem facile cum pelluciditatis, formae et cohaeſionis iactura, in ochraceum, ſi igne liquatur, quo ſatis modico opus eſt, primo in album, vlteriori igne in flauum, extrema ignis vi, qua omnis fere aqua expellitur, per varias flauedinis et rubedinis tincturas in profunde rubrum tranſeunte, ſapore atramentoſo, cryſtallorum faciebus rhombeis, facili in aqua ſolutione, nigredine, quam aqua ſolutum ab inſtillata gallarum tinctura induit, ſedimento caeruleo, quod lixiuium ſanguinis, ſordide vireſcente,

reſcente, ſenſim luteſcente, quod ſalia lixiuioſa ex eodem praecipitant, ochraceo, quod ſponte ſua paulatim dimittit, ſingulis, ſi oleum lini vel ſeuum ſuper iis deflagrauerit, a magnete attractis, facilime a reliquis vitriolis diſcernendum.

Quamuis non admodum rarum occurrat in naturae ſinu perfectum iam hoc vitriolum, tanta tamen eius copia non ſuppetit, quae multiplici artificum et medicorum vſui ſatisfacere poſſet; plurimum ideo arte paratur ex terris et ſchiſtis eo ſale impraegnatis, potiſſimum vero ex pyritis fatiſcentibus atque vſtulatis, qui cum praeter ferrum ſulphuri iunctum frequentiſſime cupri quoque pauxillum contineant, mirum ſane non eſt, conſueta operandi ratione huius etiam veſtigium in vitriolum ex illis excoctum transire, et vitriolum ferri vulgo venale, niſi ahenis, in quibus coquitur, vel ſolutioni impuri aqua tepida ſoluti, ferri fruſta immiſſa fuerint, cupri labe eſſe contaminatum, quae, niſi aliis artificibus, certiſſime tamen medico valde ingrata eſſe debet, quum pauxillum cupri ſperatum ab hoc vitriolo ingeſto, praeſertim in tenellis infantibus et delicatioribus feminis, effectum inuertat et deſtruat.

Neque tamen perquam difficile eſt, illud vitium agnoſcere; vitrioli enim eo infecti color magis in caeruleum vergit, ſapor primo quidem atramentum refert, poſtmodum tamen acris, ſolutio per aquam tepidam facta ab inſtillato ſalis armoniaci ſpiritu turbatur quidem, ſed largius infuſo caeruleo comparet colore, aliquando laminae ferri politae immiſſae corticem rubrum inducit, qui etiam ſe mani-

manifeſtat, adfricato madefactae laminae vitriolo ſolido.

Neque multum difficultatis creat, hunc naeuum corrigere; ſi enim factae per aquam tepidam vitrioli eiusmodi ſolutioni ſcobem ferri puriſſimam largius immergas, ſecundum attractionis leges, quae inter vtrumque metallum et acidum obtinent, ſenſim delabetur inhaerens hactenus cuprum, ferro in eius locum acidum ſubeunte, et liquor a ſedimento defuſus coctione largietur vitriolum ferri puriſſimum.

Quum tamen cupri vitium tam frequens in hoc vitriolo occurrat, praeceperunt medici, vt pharmacopaei hunc ſalem in hunc finem ipſi parent, ſal *chalybis* vel *martis* nuncupantes, ſpe tamen purioris vitrioli impetrandi penitus excidentes, niſi pharmacopoeus religioſiſſime ferri ſcobem eligat, ab omni cupro et aurichalco, aeque ac ab omni rubigine immunem, eamque ſcobem larga manu, donec eius portio haud diſſoluta in fundo ſuperſit, in vitrioli acidum dilutum ingerat, quod ſi non fiat, vitriolum aut pallore ſuo et acri ſapore acidum iuſto minus ſaturatum prodet, medicato ſcopo impar, aut notis iam enarratis, cuprum ineſſe teſtabitur.

Illud etiam ferri vitriolum, quod natura hinc inde ſiſtit, noxia cupri labe vtplurimum infectum eſt.

Princeps vitrioli huius virtus, quam ſapor iam indicat, eſt virtus adſtringens et ſanguinem coagulans, praecipuus ideo vſus in profluuiis ſanguinis ſiſtendis.

Adhibe-

Adhibetur autem eo fine tum extrinſecus partibus ſanguinem fundentibus ipſis, tum interne.

Extrinſecus ad ſanguinem ex vulneribus profluentem ſiſtendum vitriolo hoc praeſertim vtuntur chirurgi; alii fruſta vitrioli vulneri admouent, alii puluerem adſpergunt, alii, et quidem rectius, quum vterque prior adhibendi modus duram cruſtam in vulnere relinquat, difficulter emolliendam, lintea ſoluto per aquam paucam vitriolo frequentius madefacta applicant: In profluuiis quoque ex interna cauſſa natis, vitae propinquum periculum intentantibus, magnam exſerit potentiam: Sunt qui ad ſanguinem ex ano profuſum prohibendum eo vtuntur; eodem vitriolo, ad ſolis radios dilapſo (*pulueris ſympathetici* titulo nunc inſignito) cum aqua in nares immiſſo periculoſum ex naribus profluuium feliciter cohibuit G. HARTMANN (apud KENELM DIGBY *außerleſene ſeltſame philoſophiſche Geheimniſſe und chymiſche Experimente, aus dem Engl. überſ.* Hamb. 1684. 8. p. 255.), adhibito tamen ſimul interno eiusdem remedii vſu.

Eodem igitur etiam interno vſu, tam in iisdem morbis prodeſt, quam in multis aliis; notandum tamen, id commune eſſe huic medicamini cum aliis ex ferro paratis, quod aluus inde nigra ſecedat, eamque cautelam requirere, ſi plenam ſuam efficaciam edere debeat, ne in ventriculo aut terram aut ſal lixiuioſae indolis offendat, quo quippe ferrum ex acido calcis forma praecipitaretur, neque igitur exhibendum eſſe vna cum terreis medicamentis, praeſertim calcareis, neque ventriculo ſaburra putrida

trida obruto, quae ſi adſit, eliminari prius alio medicamento debet.

Propinatur autem optime pulueris forma, granorum duorum ad ſcrupuli dimidii vsque pondus infantibus, adultis ſcrupuli, drachmae dimidiae, imo interdum integrae pondere, ſaccharo praecipue intertritum; ſunt qui ſolutum in aqua et ſyrupo quodam edulcatum (v. DOEVEREN diſſ. de vermib. inteſt. Lugd. Bat. 1753. 4.), aut pilularum formam praeferunt.

Mira primo praeſtat, paucorum quamuis granorum pondere deglutitum in ſanguinis fluxibus, praeſertim iis, qui a relaxatione vaſorum proficiſcuntur (I. G. et PH. FR. GMELIN diſſ. de probato tutoque vſu interno vitrioli ferri factitii aduerſus haemorrhagias ſpontaneas largiores. Tubing. 1763. 4. p. 6. 7.), in mictu cruento (PH. FR. GMELIN l. m. c. p. 7.), et ſanguinis ex vtero ſeceſſu, praeſertim periculoſiſſimo illo, qui partus violentos, abortus, molae excretiones ſequitur (PH. FR. GMELIN l. m. c. p. 7.).

At in aliis etiam morbis a nimia partium relaxatione oriundis, v. g. in pollutionibus cum nocturnis tum diurnis (PH. FR. GMELIN l. m. c. p. 7.), in diabete (*Gött. gel. Anz.* 1794. p. 126.), in chloroſi, in rhachitide (VEIRAC van de Kinkhoeſt p. 191.) egregiam opem tulit.

Principem denique hoc vitriolum interno vſu obtinet locum inter vermifuga; ſi aqua plurima ſolutum (drachma in aquae libra vna), et, ſi velis, edulcatum, ieiuno ventriculo ſorbetur, non lumbricos (aſcarides lumbricoides) modo necat (BOERHAAVE elem.

elem. chem. 2. p. 439.), et, vomitu vtplurimum (VAN SWIETEN Comment. in BOERHAAV. aphoriſm. de cognoſc. et curand. morb. T. IV. §. 1371. p. 733.) expellit, ſed ipſam taeniam (teſte BOERHAAVE apud VAN DOEVEREN l. m. c.) expugnat.

PRAEPARATA.

Oleum vitrioli, v. ſupra.

Spiritus vitrioli, v. ſupra.

Colcothar vitrioli, *Caput mortuum vitrioli*, multis, praecipue poſt ſollicitam elutionem *croci martis adſtringentis* aut *Terrae vitrioli dulcis* nomine veniens, eſt vitriolum eo labore, quo oleum et ſpiritus vitrioli extorquetur, et aqua ſua et plurima acidi parte orbatum, ita tamen, vt acidi fortiſſimi particula ſuperſit, quae cum calcis ferreae praedominantis portione coniuncta ſalis adhuc indolem prae ſe fert, eiusque potentiſſime adſtringentis, externo interdum vſu veniens; ita feminam nimio ſanguinis ex vtero profluuio ad incita vitae redactam linteo carpto, colcothare hoc aqua ſoluto humectato, aut peſſarii more in altiſſimam ſinus partem, quam aſſequi poterat, intruſo, feliciter ſaluauit FR. HOFFMANN (*Medicin. rational. ſyſtem.* T. IV. P. 2. p. 120. 121.).

Tinctura martis adſtringens, *Tinctura ferri vitriolata*, paratur ex ſpiritu vini, qui colcothari ſuperfuſus ſuperſtitis ſalis aliquid extrahendo, et aureum tinctum, et virtutem roborantem acquiſiuit; quodſi paretur cum ſpiritu vini gallico, principio adſtringente ligni querni foeto, exſurgit tinctura nigra (*Tinctura martis ſtiptica*).

Tinctura

Tinctura martis e vitriolo Zwoelfferi, ex vitriolo ferri et terra foliata tartari, aqua cinnamomi et ſpiritu vini ſolutis, parata, notis et virtutibus reliquarum martis tincturarum gaudens.

Tinctura martis aperitiua tartariſata Ludovici, ex vitriolo ferri et cremore tartari, aqua cinnamomi et ſpiritu vini ſolutis, confecta, ad praecedentem accedens.

Tinctura martis helleborata, ex mox praecedente, octaua extracti hellebori nigri parte impraegnata, nata, a I. A. WEDEL (diſſ. praeſ. E. H. WEDEL de tinctura martis helleborata. Ienae. 1695. 4.), in turbato et ſuppreſſo fluxu muliebri, malo hypochondriaco, melancholia, febribus intermittentibus quartanis commendata, doſi guttarum quadraginta ad ſexaginta eo fine exhibita.

Sal colcotharis, *Sal vitrioli*, *Sal vitrioli vomitorium*, *Gilla Theophraſti*, *Gilla Paracelſi*, *Gilla vitrioli*, ſal album, vel flaueſcens, acre, acidulum, auſterum, aquae ope ex colcothare vitrioli extractum, neque tamen ex mero ferri cum vitrioli acido connubio natum, ſed, quum parando vitrioli oleo minus purum vulgo adhibeatur acidum, terrae aluminoſae, zinci et potiſſimum cupri particulis contaminatum, hinc vomitum excitandi virtute pollens, eaque fere ſola apud Medicos iam dudum (PENOT Theophraſt. Vademecum. Magdeb. 1607. p. 118. ANGELVM SALAM oper. medico-chym. Francof. 1647. p. 498. POTERIVM opera cum annotat. FR. HOFFMANNI Francof. 1698. p. 540.) celebre, et

 in

in apoplexiae (QVERCETANVS tetrad. capit. affect. p. 153. PLATNER ars medendi §. 385.) ac catarrhi ſuffocatiui (PLATNER l. c. §. 433. 700. SCHVLZE praelect. in diſpenſat. Brandeburgic. p. 169.) acceſſibus, qui velox auxilium poſtulant, in comate et ſopore, pueros interdum a ventriculo nimis obruto afficiente (RIVERIVS Oper. Francof. 1674. p. 203. PLATNER l. c. §. 375.), a ſcrupulo dimidio ad drachmam dimidiam vsque cum ſucceſſu exhibitum, licet ob inconſtantem partium, quibus componitur, proportionem, minus fidum ſit medicamentum: Ab ANGELO SALA (l. c. p. 498.), QVERCETANO (l. c. p. 153.), et PENOTO (l. c. p. 118.) in debellanda quoque epilepſia adhibitum.

Pilulae benedictae Fulleri, ex aloë, ſenna, aſſa foetida, galbano, myrrha, vitriolo, croco, macere, oleo ſuccini, et ſyrupo de artemiſia conflatae, in vteri infarctibus et menſium obſtructione inueterata potentiſſimae (HERSANT journal de medecine, chirurgie, pharmacie. à Paris. T. LXVI. 1786. Jan.).

III.

III. CORPORA INFLAMMABILIA MINERALIA.

Inſipida haec, aqua non ſoluuntur, quae conſueto atmoſphaerae calore ſolida ſunt, ignis vi facile funduntur, pondus ſpecificum, ſi cum aliis mineralibus, potiſſimum metallicis, corporibus compares, exiguum prae ſe ferunt, facilime flammam capiunt, et fumum alia ſuaueolentem, alia graueolentem, aut nocentiſſimum eructant, carbones aut cineres alia, alia liquorem acidum deflagrando relinquunt. Plurima oleis praeſertim vnguinoſis facile ſoluuntur.

1. *Ambra*, *Ambra griſea*, *Ambra maritima* (LINN. *Syſt. nat. III. p.* 283.), ſi modo ad hoc naturae regnum ſpectat, neque potius (v. SCHWEDIAUER philoſoph. Tranſact. Vol. LXXIII. for 1783. P. I. et DONADEI Medecine eclairée par la phyſique ſq. II. n. 3. p. 75.) pro excrementis aluinis phyſeteris aegrotantis haberi debet, ſi genuina et bona ſit, ex cinereo nigra frequentibusque punctis albis variegata, odoris ambroſiaci, fortiſſimi et tenaciſſimi, linguae ſenſationem imprimens nullam, niſi velis eam, quam olea vnguinoſa excitant, fragilis quidem, dum friget, at manu calida tractata cerae inſtar tenax, acu candente pertuſa ſuccum quaſi fundens, aquae bullienti ſuperfuſa olei inſtar ſuperficiem eius tegens, et facilime in flammam exardeſcens, crebro oſſibus praeſertim ſepiae, lignorum teſtaceorumque

 fragmen-

fragmentis, lapillis, arena contaminata, oryzae farina, ſuccino, reſinis vegetabilibus, benzoë, ladano, ſtyrace, ipſa cera et pice adulterata, aut ex reſinis ſuaueolentibus per artem compoſita, eo in caſu ſpiritu vini ſoluenda, qui genuina, niſi intercedat ſal cauſticum, vix tingitur, nedum diſſoluere eam valet, quamuis calore bulliente adiutus: Genuina etiam ambra pauciſſimos poſt ſe relinquit cineres, multos adulterata. Optima ambra ad littus inſularum, in oceano aethiopico et indico ſitarum, praeſertim Madagaſcar et Sumatra, rarius in Oceano ſeptentrionali occurrit; ob frequentiſſimas eius adulterationes, inſigne, quo venit, pretium, et vires viribus moſchi ſimiles, vix tamen pares, hodie minoris aeſtimata, quam olim (I. F KLOBII hiſtoria ambrae. Vitemb. 1666. 4. G. W. WEDEL de ambra. Ienae. 1698. 4.).

Etſi fido experimento comprobari tributa quondam huic ambrae virtus vitam prolongandi (FR. BACON hiſtoire de la vie et de la mort trad. par I. BAUDOIN. à Paris. 1647. 8. p. 229.), et vis aphrodiſiaca (KAEMPFER amoenit. exotic. Lemgov. 1712. 4. faſc. 3. p. 618.) vix poſſit, quae praeter ſuauem multis odorem veteres permouit, vt pluribus eam medicamentis compoſitis ipſique ſuccoladae adiicerent, non tamen omnis in vnguentis puluerib usque odoratis, potiſſimum cypriis, conſumitur; extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, ab eius vſu interno (ſi quidem drachmae dimidiae pondere deglutiatur) arteriarum pulſum pleniorem, celeriorem, fortiorem

per

per horae ſpatium reddi, et, conſpirante etiam aliorum medicorum experientia, neruos excitari torpidos, BOSWEL (apud CRANTZ mater. medic. et chirog. Viennae auſtr. 8. I. 1762. p. 146.), turbulentos atque agitatotos pacari, alii obſeruarunt; putredini aduerſari, PRINGLE (philoſ. Transact. l. c.); ita vel pulueris forma granorum trium quatuorue pondere ſaccharo permiſtum, vel eſſentia cum vini ſpiritu (FR. HOFFMANN obſerv. phyſico-chemic. ſelectior. I. p. 60.) ex ea parata, ad guttas decem vel viginti propinata in paralyſi, inſultibus apoplexiae atque epilepſiae (FR. HOFFMANN medic. ration. ſyſtem. IV. 3. p. 21.), palpitatione cordis (FR. HOFFMANN l. m. c. p. 294.), in ſingultu, vomituque nimis violento (ZACVTVS LVSITANVS opera. Lugdb. 1649. fol.), tuſſi, inprimis rheumatica (FR. HOFFMANN l. m. c. p. 386. CRATO DE KRAFTHEIM conſilior. et epiſtolar. medicinal. Francof. 1591. 8. l. 37. p. 1039.), qui tamen poſterior decocto paſſularum addi praecipit, atque eandem (*Ordnung oder Präſervation, wie man ſich zur Zeit der Peſt verwahren, wie die rechte Peſt erkennt und curiert werden ſoll.* Breslau. 1555. 4.) peſti imminenti confidenter opponit, opem tulit.

2. *Succinum, Succinum flauum, Succinum electricum* (LINN. *Syſt. nat. III. p.* 282.), *Electrum, Carabe*, licet prima eius ex ſucco vegetabili origo hodienum negari vix amplius poſſit, diuturna tamen in ſinu telluris mora et continuo cum variis ſuccis mineralibus contactu adeo immutatum eſt, vt haud parum ab indole reſinae abludat; difficilime enim ſoluitur vini ſpiritu,

 diffici-

difficilius liquatur igne atque in flammam exardeſcit, quam reſina, cum qua ceterum facili cum oleis praeſertim vnguinoſis connubio, tenacitatis gradu, indole aquae vim diſſoluentem eludente, oleoſi acidique principii igne extricandi abundantia concordat.

Eſt autem vtplurimum flaui (*Carabe citrinum*) coloris, nunc magis in fuſcum, nunc magis in rubrum, nunc magis in album (*Succinum album*) vergentis (neque certe intereſt, cuius coloris ſuccinum pro vſu medico eligas), rarius pellucidum, quam diaphanum, ſemipellucidum, ſubopacum vel opacum, interdum nubeculoſum, ſola iam frictione et maximopere electricum redditur, et gratiſſimum odorem ſpirat, prunis inſperſum fumum eiusdem odoris, verum longe fortioris eructat, et vaſis clauſis igne tortum praeter magnam olei colore et tenacitate diuerſi ſpiritum vini renuentis graueolentis copiam (*Oleum ſuccini*), ſalem exhibet ſiccum albidum cryſtallorum forma indutum (*Sal ſuccini*), acidum ſui generis. Quamuis in multis Aſiae et noſtrae potiſſimum Europae oris occurrat, copioſius tamen reperitur in Sicilia atque ad maris Baltici, copioſiſſimum a multis retro ſeculis ad Boruſſiae littora.

Succinum ipſum, quamuis olim feminis hyſtericis et obſtructione fluxus menſtrui laborantibus ſummopere commendatum, quum neque vllo corporis noſtri humore ſoluatur, neque in vllam excretionem manifeſte agat, vix aliquid perpetrat; neque multum equidem exſpecto ab eius tinctura, ſiue coquatur cum lixiuio cauſtico (FR. HOFFMANN obſerv. phyſico-

phyſico-chemic. l. 2. p. 202. 203.), ſiue digeratur cum ſpiritu vitrioli dulci (*Eſſentia ſuccini* G. pharmacop. Wirtemberg. Stuttg. 1754. II. p. 83.), ſiue aut cum meraco vini ſpiritu puriſſimo (*Eſſentia ſuccini ordinaria*, Pharmac. Wirtemb. II. p. 84.), aut intercedente ſale tartari et praegrediente digeſtioni diſtillatione (FR. HOFFMANN l.m. c. 1. p. 60.), paretur quamuis inficias ire nolim, ſuccini aliquid, et vires humoris diſſoluentis illi ineſſe.

At ignis vi in varia corpora diuulſum, quae, dum implicata alia aliis erant, exercere vires ſuas non poterant, inter efficacia remedia locum meretur: Ita fumus, ex ſuccino prunis inſperſo aſſurgens, princeps materia ſuffumigiorum, quibus et nares noſtras titillamus, et grauem corruptae conclauium atmoſphaerae odorem (nequaquam malignam indolem) corrigimus: Idem fumus, pannis laneis exceptus, quibus partes aegrotantes leniter fricantur, diſcutiendo, in doloribus rheumaticis egregie prodeſt. Potentius adhuc agunt deſtillatione ſicca ex ſuccino impetrata ſal atque oleum; illud repetita ſublimatione ab adhaerentis olei parte potiori, hoc iterata diſtillatione a craſſiori picea parte depuratum, vtrumque irritans, interno vſu maximopere excalefaciens, ſudorem atque vrinam pellens.

PRAEPARATA.

Succinum praeparatum eſt Succinum terendo in tenerrimum pollen comminutum.

Sal ſuccini, v. ſupra.

Spiritus vel *Liquor cornu cerui ſuccinatus*, v. ſupra.

Oleum ſuccini externo potiſſimum vſu venit, tum hyſtericarum ac parturientium animi deliquium patientium naribus admotum, quarum neruos potenter reſuſcitat, tum membris paralyticis, et diſcutiendi ſcopo tumoribus frigidis illitum: Sunt qui internum guttarum quinque ad quindecim vſum in tetano commendant; efficax in hoc morbo debellando deprehendit RUSH (memoir. of the medic. ſociet. of London. Lond. 8. Vol. I. 1787.), ſiue homines infeſtet ſiue equos.

Tinctura ſuccini, v. ſupra. Vires ſuas liquori potius debere videtur, quo ſuccinum ſolutum eſt.

3. *Aſphaltum* (LINN. *Syſt. nat. III. p.*279.), *Bitumen iudaicum*, opacum, nigrum, excalefactum aut prunis iniectum ingratum odorem ſpargit, cum ſpiritu nitri fumante affuſo efferueſcit, ſpiritum vini pauliſper tingit (THOREY *chemiſches Journal*. 6. p. 56.), nec niſi pice aliisque reſinis vegetabilibus adulteratum ſoluitur, Aegyptiis ad condienda cadauera vſitatum, in montibus ſecundáriis venularum, nidulorum, guttarum ſpecie, ad Wolgae littora magnis interdum fruſtis obuium.

Pulueris forma ad grana quindecim exhibitum, ſiue ſolum, ſiue cum ſaccharo lactis permiſtum in ſanandis pulmonum vlceribus multum praeſtitiſſe, expertum ſe eſſe teſtatur MELLIN (l. c. p. 155.) ſed frequentius adhibetur

PRAE-

PRAEPARATVM.

Oleum aſphalti, deſtillatione ſicca ex hoc bitumine extortum, atque iterata diſtillatione depuratum, odore ſuo ad petroleum accedens, ſapore perinde ingrato, connubium cum vini ſpiritu inire renuens, ad guttas decem vel quindecim ſaccharo inſtillatum, matutino et veſpertino tempore ingeſtum ad ſananda interna viſcerum, praeprimis pulmonum vlcera (Journal de medecine, chirurgie, pharmacie etc. T. XXIII. 1765. Octobr. n. 8. p. 369. DE COURCELLES Verhandeling. van de Hollandſche Maatſchappye de Weetenſchappen te Haarlem. P. 8. 1765. faſc. 1. n. 14. p. 475. et P. 9. 1766. faſc. 1. n. 9. p. 603 ſq. et P. XIV. 1773. hiſt. n. 8. TH. HEALDE on the uſe of oleum aſphalti in ulcers of the inteſtines, lungs and other viſcers. Lond. 1769. 8. THEDEN *neue Bemerkungen und Erfahrungen.* Vol. II. 1782. L. FR. B. LENTIN memorabilia circa aërem, vitae genus, ſanitatem et morbos Clausthalenſium annorum 1774 — 1777. Goetting. 1779.) commendatum, et niſi inflammatio obſtaret, tum in hoc morbo, tum in febre variolarum ſuppuratoria (COURÇELLES l. m. c.) cum fructu propinatum.

4. *Petroleum* (LINN. *Syſt. nat. III. p.* 278.), *Petreolum*, *Oleum petrae*, *Oleum gabianum*, indole inflammabili et connubium aquae renuente cum oleis vegetabilibus, tenacitate et repellente quaſi, quam in vini ſpiritum exercet, vi, cum vnguinoſis, volatilitate, penetrante eoque, niſi per repetitas diſtillationes depuratum fuerit, graui et tetro odore, et ſapore perinde ingrato cum oleis em-

pyreumaticis conuenit, a vitrioli oleo infuſo neque nigreſcit, neque calefit, neque cum eo coit; rarius excolor (*naphtham* tunc vulgo appellant, in Perſiae prouincia, Veterum Media, obuiam), quam ſaturatius dilutiusue colore flauo, rubro, nigro infectum in Italia ſuperiori, praeſertim monte Chiaro, et Gallia Narbonenſi (prope Gabian) frequentius, interdum terebinthinae aut vnguinoſo quodam oleo adulteratum; priorem fraudem prodit, ſi calefiat petroleum, odor terebinthinae proprius, et efficacia ſpiritus vini, qui tunc partem petrolei ſoluit; poſteriorem augurari poſſis, ſi ab infuſa aequali olei vitrioli copia nigreſcit, inſpiſſatur, turbatur, et ſulphur olet.

Inſeruit autem petroleum medicis tam externo, quam interno vſu: Et primo quidem partes frigori quam maxime expoſitas, e. gr. naſi apicem, manuum, pedumque digitos illo oblitos, contra frigus, quamuis rigidiſſimum, tuetur, in vulgatiſſimo quoque frigoris effectu, pernionibus diſpellendis, ſi duabus ſpiritus ſalis ammoniaci partibus permiſto partes affectae fricando inungantur (MOENCH *ſyſtematiſche Lehre von den Arzneymitteln.* Marburg. 1789. 8. p. 237.), ad membra gelu laeſa reſtituenda, flavicans eius ſpecies ſimili modo adhibita (HAHNEMANN ap. MONRO l. c. 2. p. 61.), potentiſſimum ſubſidium: Dentium dolores ſedari petroleo, genis fricando applicato, teſtatur PLENCK (Materia chirurgica. Vienn. 1771. 8.), praeeunte iam DIOSCORIDE (l. c. l. 1. c. 85.); neque minus efficax eſt, externo iam vſu, ſiue ſolum, ſiue (NAEVIVS ap. I. WITTICH

conſilia,

conſilia, obſeruationes atque epiſtolae medicae nobiliſſimorum Germaniae medicorum. Lipſ. 1604. 4.) cum cera recente [$\frac{3}{8}$] in vnguenti ſpeciem redactum, ſiue (ROSENSTEIN l. c.) cum allio recenti contuſo ſubactum, dolenti praeſertim abdominis regioni illinatur, ad vermes necandos doloresque, quos excitant, ſopiendos.

Eodem ſcopo, vermes ſcilicet, ipſamque taeniam (MELLIN l. c. p. 55.) debellandi, tum ab aegyptiorum (HASSELQUIST it. palaeſt.) tum ab Europae medicis commendatus internus eius vſus fuit, etſi negari non queat, ſummam eius vim calefacientem crebro obſtare, et hominibus plethoricis, aut in ſanguinis profluuia procliuibus non poſſe non nocere: Exhibetur autem guttarum decem, viginti, vel triginta pondere, interdum bis vel ter de die repetito, vel cum aqua, vel ſyrupo quodam edulcatum, vel cum camphora [$\frac{3}{8}$] et aequali olei terebinthinae copia (MELLIN l. c.) commiſtum: Si quid vnquam contra epilepſiam praeſtitit (DIOSCORIDES l. m. c.), ea fuit huius morbi ſpecies, quae a vermibus naſcitur (G. W. WEDEL de epilepſia. Ienae. 1676. 4.). Petroleum barbadenſe a duobus ad ſex cochlearia, ſiue ſolum ſiue cum ſpiritu ardente ſacchari, ſiue cum vitrioli acido exhibitum, in lepra aliisque morbis cutaneis pertinacibus aeque ac in cancro occulto interno vſu eximie profeciſſe nuper fertur (PEIRCE ap. DUNCAN medic. commentar. for 1791. Dec. II. Vol. VI.).

5. *Sulphur* (LINN. *Syſt. nat. III. p.* 286.) Odoris, niſi fricetur vel igni exponatur, et ſaporis, modo

purum

purum ſit, expers, coloris pallide flaui, quem leni igne liqueſcendo in hepaticum conuertit, refrigeratum et denuo conſolideſcens recuperat; accedente ſimul aëre igni expoſitum in flammam caeruleam exardeſcit, vaporem eructans acidum, colores vegetabilium et animalium plurimos delentem, ſuffocantem, ſibi proprii odoris, penetrantiſſimum, vt primum corpus quoddam frigidum contingit in guttas confluentem liquoris acidi, vitrioli acidum referentis; clauſis vaſis igne tortum integrum atque intemeratum vaporis ſpeciem induens; qui refrigeratus in verum denuo ſulphur (vocant *Flores ſulphuris*), ceterum puluerulentum, redit, cum plurimis metallis, igne adiuuante, coiens, vt tamen ductilitatem et nitoris partem amittant, et, quae difficilius alias liquantur, tam metalla, quam alia corpora eius conſortio facilius liquentur; aquae et ſpiritus vini, plurimorumque acidorum, niſi ſingularia adhibeantur artificia, connubium reſpuens, tanto facilius in oleis, praeſertim vnguinoſis, et ſalibus lixiuioſis, inprimis fixis, diſſoluendum, cum his ſaponis ſpeciem, ſiue *ſulphuris*, quod audit, *hepar* efficiens, quod tum aquam tum vini ſpiritum ſubit, et acido adfuſo aërem ſiue gas hepaticum dictum, foetidiſſimum, inflammabile, in aqua tamen ſoluendum, emittens.

Huic quoque vulgatiſſimo corpori non raro vitium ineſt ab immixtis materiis peregrinis metallicis, ferri praeſertim et arſenici particulis, illae ſublimando leni igne ſulphuris eiusmodi portionem

vaſis

vaſis clauſis ſuperſtites, colorem magis minusue griſeum, hae ſummopere noxiae intenſius flauum, vel, ſi maiori paulo copia inhaereant, flammeum ſulphuri affricant, fumo quoque, dum ſulphur comburitur, flammam circumſepiente et arſenici nidorem ſpirante, cognoſcendae.

Licet haud exiguam ſulphuris copiam (vocatur *natiuum, nudum, virgineum*) paratam iam ſiſtat natura, in montibus praeſertim igniuomis atque ex gypſo conflatis, perinde ac in thermis, illud tamen neque ſemper ſatis purum eſt, vt interne adhiberi ſine periculo poſſit, neque, ſi eſſet, omnibus illis, quibus opus eſt, ſufficeret laboribus; plurima igitur ſulphuris pars, quemadmodum in Italiae variis partibus, ex terris eo foetis, in reliqua Europa ex pyritis et variorum metallorum mineris ſulphure grauidis ſublimatione, vſtulatione, diſtillatione aliis aliisue modis elicitur, et altera vtplurimum fuſione a particulis terreis et metallicis ſubſidentibus liberata, in baculorum (*magdaleones* audiunt) vel panis placentaeue formam compingitur.

Medici tamen hac forma induto ſulphure rarius vtuntur, niſi velis, B. KAEMPFIVM (l. c.) baculos illos abdomini applicatos in obſtructis abdominis viſceribus tanquam efficax commendaſſe auxilium; frequentius altera ſublimatione magis adhuc depurato, qua peracta pulueris ſpecie adparet, et *florum ſulphuris* nomine inſignitur; hi tamen flores ab aëre, dum labor iſte perficitur, non ſatis ſollicite excluſo, liberum vtplurimum acidum, linguae iam ſcrutinio teſtante, vehunt, fini ſalutari crebro aduerſum; quare

quare iterato adfuſa aqua lauari, et hi *loti ſulphuris flores* ſoli pro interno vſu praecipi a medicis debent.

Et primo quidem externo vſui inſeruit ſulphur: Nolo diu morari in vſu ſulphuris accenſi, ab HALESIO quoque ad arcendum peſtis contagium commendati (Gentleman's Magaz. Vol. 24. for 1754. Dec. p. 543.), et quos emittit, vaporum, ad aërem putridis effluuiis foetidum, corrigendum, in quo adhibendo, ob indolem eius halitu attracti lethalem, ea cautela opus eſt, vt eo tempore, quo templa, domus, conclauia hoc fumo perfunduntur, feneſtris foribusque clauſis, omnes homines exulent, neque iterum ingrediantur, priusquam ianuis feneſtrisque apertis cum tetro odore omnis ſulphuris vapor exierit.

Sed ſulphur etiam integrum, cum pinguedine quadam in vnguenti formam redactum, tum haemorrhoidibus dolentibus, tum praeſertim ſcabioſis invngitur, eo fine iam ab ORTOLPHO VON BAYERLAND (*Arzneybuch ze teudſch.* Nürnb. 1477. fol.), nuperius ab aliis apprime commendatum, tanto efficacius, ſi eodem tempore interne propinantur flores ſulphuris. Poterit autem ſulphur aut cum quatuor partibus vnguenti ſimplicis, et, quo minus odor nimis offendat, exili portione olei citri (*vnguentum e ſulphure* New Diſpenſatory Lond. 1765. p. 642.), aut cum axungiae porci duabus partibus, addita praeterea, quemadmodum in Galliae noſodochiis, quarta parte ſalis ammoniaci (HVNCZOWSKY *medic. chirurg. Beobacht.* Wien. 1783. 8.), vel radicis veratri albi (*Vnguentum ad pſoram* New diſpenſatory l. c.), aut cum aequali copia baccarum lauri et vitrioli albi, et cum viginti

duabus

duabus axungiae porci recens elotae (*Vnguentum ad ſcabiem Iaſſeri*), aut cum aequali vitrioli albi copia, et axungiae porci recentis et lotae partibus quatuordecim (*Vnguentum pſoricum* VOGLER pharmac. ſelect. Ed. 3ia. Wezlar. 1792. p. 198.) ſubigi, quo vnguento vel ſemel de die quarta corporis pars, vel bis terue fruſtulo (MELLIN l. c. p. 238.) nuci auellanae aequali, genua volaeque manuum (VOGLER l. c. p. 199.), donec omnis ſcabies euanuerit, et continuato interdum adhuc diutius vſu, inunguntur. Idem vnguentum in capitis tinea et lichenibus adeo opem tuliſſe auctor eſt (l. m. c.) Ill. VOGLER: Etiam nodulo, cui incluſum eſt ſulphur, oleo feruido prius intincto, fricari poſſunt partes ſcabie infeſtatae (WATON journ. de medec. chirurg. et pharmac. T. 87. 1791. Maj.): Aqua (℔ij), cum floribus ſulphuris (℥ij) et aequali arſenici albi copia cocta, et ſollicite decantata, per octo et plures dies continuos pedes, brachia et dorſum lauari et fricari iubet TRECOURT (memoir. et obſervations de chirurgie. à Bouillon et Paris. 1769. 8.).

Interno quoque vſu medicis acceptiſſimi ſunt ſulphuris flores loti, non tamen perinde aegris, quum non alui modo excrementa (VAN SWIETEN l. c. IV. p. 728.), ſed ſudor quoque, et ipſa perſpiratio inſenſibilis (BALDINGER ap. REISIG de ſulphuris crudi vſu interno. Lipſ. 1768. p. 27. 28.), ſingularem inde adipiſcantur foetorem, multis incommodum, atque effluuiis ſuis argentum aeque ac alia metalla denigret, et nitore ſuo depriuet: Verum idem effectus luculenter oſtendit, ſulphur, quamuis aquam

humores-

humoreſque aquoſos non ſubeat, tranſire in humores, et tranſire quidem integra ſua natura, et, ſubtiliſſimas etiam, ſecretionum excretionumque officinas, peruagari.

Exhibetur autem ſulphur ſcrupuli dimidii, integri, interdum drachmae dimidiae, imo integrae pondere, rarius pilularum, rotularum, trochiſcorum, quam pulueris forma, optime cum ſaccharo aliiſue indicationi reſpondentibus permiſtum, vt tamen, ſaburra primas vias obſidente, aut nihil efficiat, aut noceat, atque ob vim irritantem et pauliſper excalefacientem multa nonnunquam in eius vſu circumſpectione opus ſit.

Promouet autem interno vſu tranſpirationem inſenſibilem, muci ex pectore, aluique ipſam excretionem, vermes necandi (VAN SWIETEN l. c. p. 727. LANGGVTH diſſ. de ſcabie viua. Vitemb. 1767. p. 32. TISSOT l. c. p. 375. VAN DOEVEREN l. c.) potentia quoque gaudens.

Prodeſt igitur in morbis, a tranſpiratione ſuppreſſa natis, v. g. in rheumatiſmis, et ipſa arthritide vaga, aut cum rob ſambuci, aut cum antimonio et gummi guaiaco in pilulas formatum (QVARIN animaduerſ. practic. in diuerſos morbos. Vienn. auſtr. 1786. 8. c. 15. p. 283 ſq.), aut exigua granorum quinque doſi cum ſalibus mediis exhibitum (MÖNCH l. c. p. 360.); ipſam arthritidem et podagram praecaueri, ſi quotidie ieiuno ventriculo drachma ſulphuris dimidia cum lacte ingeratur, ſibi perſuaſit CHEYNE (eſſay on the true nature and the true method of curating the gout. Lond. 1722. 8.).

Neque

Neque minor eſt eius efficacia in morbis cutaneis, ipſis acutis, et adeo peſte (DIEMERBROECK de peſte. Arnhem. 1640. 4. l. 3. CRATO A KRAFTHEIM conſil. et epiſtol. medicinal. ed. a L. SCHOLZ. Hanov. 8. L. IV. 1614. conſ. 24. p. 171. et 594.), ipſique ſimilibus febribus, vt DETHARDINGIVS (diſſ. de ſulphure vt praeſtantiſſimo bezoardico. Roſtoch. 1746.) ſaluatos fuiſſe, qui peſte hungarica laborantes ſulphure vſi ſint, mortuos, qui non; et H. CARDILVCIVS in ſulphure cum aceto propinato (*von der Peſtilenz.* Nürnb. 1679. 12.) ſingularem pene pro auertenda peſte fiduciam poneret; princeps in chronicis tum ſanandis, quemadmodum ſcabie, ipſorum infantum vbera adhuc ſugentium, ſi mater vel nutrix eius tantum quantum cultri apex capit, deglutiat (ROSENSTEIN *von Kinderkrankheiten, überſ. von* MVRRAY. 1766. p. 66.), tum ſi retrogreſſum fuerit exanthema, illud denuo ad cutis ſuperficiem expellendo (FR. HOFFMANN medic. ration. ſyſtemat. T. IV. P. 5. p. 216. IVNCKER conſp. therap. ſpecial. 1750. 4. p. 745.), et morbis ex hac retroceſſione natis e. gr. epilepſiae infantum (ROSENSTEIN l. m. c.) aſthmati (IVNCKER l. c. p. 285.) et aliis medendo. Quicquid ad duas drachmas cum vini ſpiritu gallico hora ante ingruens frigus propinatum (GRAINGER hiſtoria febris anomalae batauae. Altenb. 1770. 8.) in febribus intermittentibus debellandis effeciſſe perhibetur, hac eius tranſpirationem promouente virtute videtur niti.

Eadem certe virtus pectori amicum reddit ſulphur, cuius quippe morbi multi a tranſpiratione ſup-

L preſſa,

preſſa, alii ab exanthemate retrograediente natales ducunt; accedit, quod pituitam tenacem pulmones infarcientem, alteram eamque fertiliſſimam morborum pectoris originem, potenter incidat, atque euacuet; quare iam a DIOSCORIDIS (l. c. l. 4. c. 73.) inde tempore, in aſthmate, praeſertim humido commendatum, aſſentientibus et multiplici ſua experientia comprobantibus praeter alios CRATONE A KRAFTHEIN (l. m. c. L. II. Conſ. 7. p. 43. L. III. Conſ. 8. p. 71.), vt tamen alio loco L. VII. ep. 4. p. 781. 804. 805.) reiiciat, I. HEVRNIO (de morbis pectoris liber. ab OTH HEVRNIO edit. Leid. 1602. 4.), CARDILVCIO (*Neue Stadt- und Landapotheck.* Francf. und Leipz. 1670. 8. p. 508.), TH. WILLIS (pharmaceutica rationalis. Oxon. 4. P. II. 1675), FR. HOFFMANN (l. c. P. 3. p. 382. 385.), V. WOLTTER (*patriotiſcher Landbader.* 1777. 8.): An in vlceribus pectoris (CRATO A KRAFTHEIM l. c. L. VII. ep. XV. p. 809.) profit, vel in tuſſi quoque conuulſiua vnicum potens ſit remedium (FR. IOS. GVIL. SCHROEDER diſſ. quaedam ad febrium doctrinam proponens. Marburg. 1766.) dubitare adhuc liceat.

Ex qua virtute, haemorrhoidum caecarum (WERLHOFF obſerv. de febribus. Hannov. 1745. p. 95. LIPP enchirid. botanicum. Vienn. 1765. p. 69.) dolores aluumque duram eas creberrime comitantem leniat, decidere equidem nolim; monendum tamen eſt, multa hic circumſpectione opus eſſe.

Suo porro conſortio argenti viui in glandulas ſaliuales, antimonii metallici in ventriculum atque inteſtina effectum, ipſamque nocentiſſimam arſenici

potentiam

potentiam mitigat; hinc non ſolum remediis, ex his metallis paratis, crebro adiicitur, ſed interdum etiam, alia tamen forma indutum, eo ſcopo adhibetur, vt virulentos eorum metallorum effectus praeuertat. Ita Cl. HECKER (l. c.) cum ſcobe ferri et camphora mixtum iis ingerendum praecipit, quibus intempeſtiuus ſaliuae fluxus obortus fuit. Similiter in homine, qui viride aëris deglutierat, egregio cum euentu vſus eſt, floribus ſulphuris NAVIER (contrepoiſons de l'arſenic, du ſublimé corroſif, et du plomb. à Paris. 8. I. 1777.).

PRAEPARATA.

Spiritus ſulphuris per campanam, ex ſulphuris infra campanas vitreas flagrantis vapore in guttas condenſato collectus, ſpiritui vitrioli parum abſimilis, vt huius plurima pars, ſupellectili quamuis valde diuerſa, ex ſulphure obtineatur, virtute refrigerante, putredini aduerſa, leuiter conſtringente, in febribus, praeſertim putridis et malignis, atque aphthis perinde vtilis.

Hepar ſulphuris calcareum, *Sulphur calcis*, optime ex teſtis oſtrearum cum ſulphure vſtis paratur, et vaſis clauſis facillime ſeruari ſiccum atque intemeratum poteſt; ceterum id ipſi commune eſt cum reliquis ſpeciebus hepatis ſulphuris, quod aqua facile diſſoluatur, et adfuſo acido dilutiori aërem ſiue gas emittat hepaticum, inflammabile, aqua denuo diſſoluendum, et teterrimum ouorum putridorum foetorem ſpirans. Egregie certe conducit hoc hepar in iis malis, quae nimium argenti viui

et remediorum ex eo paratorum vſum excipiunt, niſi inueterata nimis fuerint (HAHNEMANN apud MONRO l. c. 2. p. 54.).

Hepar ſulphuris arſenicale, *Liquor auripigmenti*, *Atramentum ſympatheticum*, *Liquor vini probatorius Zelleri*, ex auripigmento cum calce et aqua cocto paratus, non medicamenti quidem loco inſeruiens, ſed eo, quod metalla plurima ſoluta, ſi quidem rite et recens paratus ſit, obſcuro colore praecipitet, detegendae in vino, butyro, oleis labi plumbeae adhibitus (ZELLER docimaſa, ſigna, cauſſae et noxae vini lithargyrio mangoniſati. Tubing. 1757. GAUBIUS Verhandeling. van het Maatſchappy der Weetenſkapen te Haarlem. I. p. 112 ſq. CARTHEVSER progr. 1 — 3. de quibusdam vinorum adulterationibus. Gieſſ. 1779. 8.), quo ſcilicet inſtillato materiae illae, ſi quidem ſuſpicio plumbi inhaerentis iuſta fuerit, ſubito colorem fuſcum vel nigrum adipiſcuntur, et ſimile ſenſim ſedimentum dimittunt, vt tamen idem ſit experimenti iſtius euentus, ſiue caſu fortuito ferrum, cuprum, aurichalcum, ſtannum aliudue metallum ſubierit vinum, ſiue conſulto adiectum fuerit plumbum, lithargyrium aut ceruſſa.

Hepar ſulphuris vulgare, *Hepar ſulphuris ſalinum*, *Sulphur potaſſae*, *Sapo ſulphureus*, ex ſulphure et cineribus clauellatis, igne, quo ſulphur liqueſcere incipit, adiuuante, paratum, aqua et vini ſpiritu facile ſoluendum, vt tamen ſolutio quamuis limpidiſſima, aëris libero acceſſui expoſita, breui, et citius adhuc ab acidi vel debiliſſimi guttulis nonnullis

nullis inſtillatis lacteſcat; aqua ſolutum tanquam potens arſenici, mercurii ſublimati corroſiui, viridis aeris deglutiti, ipſiusque plumbi antidoton praedicatur a Cl. NAVIER (l. c. p. 25. 213. 312. 2. p. 13.), qui tamen experimentis potius extra corpus humanum inſtitutis nititur, quam periculis in corpore viuo captis, idemque remedium in aliis quoque, praeſertim pectoris morbis chronicis (an variis chronicis variae hepatis ſulphurei ſpecies? Paris. 1778.) commendat. Ita Clar. HECKER (l. m. c.), vt intempeſtiuum ſaliuae fluxum, ab argenti viui vſu excitatum, ſiſtat, vnciam ſulphuris tribus vnciis lixiuii cauſtici ſolui, ſolutionem per colum traiectam octo partibus aquae corticis aurantiorem dilui, et ſingulis horis cochleare eius recipi ſuadet.

Tinctura ſulphuris, Solutio hepatis ſulphuris ſpirituoſa, ex hepate ſulphuris vulgari et vini ſpiritu parata, ſi quidem recens ſit, rutila, et a ſulphure contento ſudorem atque inſenſibilem tranſpirationem potenter mouens, ideo in morbis rheumaticis, arthriticis, cutaneis chronicis ſalutaris, ad 40, 60 et plures guttas exhibita, in pectoris morbis dubiae efficaciae; at aliquandiu aſſeruata plurimum ſulphuris, cui colorem et virtutem illam debet, dimittens, et ab acido quocunque inſtillato cum foetore lactis opacitatem induens.

Syrupus ſulphuris, Arcanum becchicum Williſii (*Pharm. Wirtemb.* 2. p. 201.), eſt hepar ſulphuris vulgare aqua diſtillata ſolutum et cum ſaccharo ad ſyrupi ſpiſſitudinem coctum, TH. WILLISIO in morbis pectoris chronicis, ipſa adeo phthiſi de-

 cantatum,

cantatum, et ab vncia dimidia ad integram vsque exhibitum, ob praedominantis ſalis lixiuioſi acrimoniam irritantem in phthiſi nunquam, et vix niſi in iis pectoris malis admittendum, quae ab infarciente tenaci pituita, et torpore ac relaxatione ſolidarum organi reſpirationis partium naſcitur.

Lac ſulphuris, Magiſterium ſulphuris, Praecipitatum ſulphuris, Cremor ſulphuris, Butyrum ſulphuris, eſt ſulphur attenuatum albidum, ex hepate ſulphuris vulgari aqua ſoluto per acidum liquorem praecipitatum, elotum atque exſiccatum, flores ſulphuris lotos efficacia vix ſuperans, quamuis praeter alios a WERLHOFIO (l. c.) in aſthmate, alui obſtructione ab haemorrhoidibus nata, colica, cardialgia, hydrope ſcarlatinam excipiente, a drachma dimidia ad integram, et a Cl. MELLIN (l. c. p. 238.) in morbis cutaneis a dimidio ad integrum ſcrupulum, infantibus adeo propinatum, multam opem tulerit.

Hepar ſulphuris ceratum, eſt hepar ſulphuris vulgare, cui, in aqua diſtillata ſoluto, in vaſe terreo vitreo cortice intus obducto tantum ſenſim iniicitur cerae albae, vt ſaponis ſpiſſitudinem nanciſcatur; commendatum tanquam remedium valde efficax contra effectus venenorum arſenicalium et mercurialium a Cl. SINGER (*mediciniſch-chemiſche Abhandlung über ein ſicheres Gegengift aller Mercurialgifte etc. Wien.* 1786.).

Hepar ſulphuris martiale, miſtura ex aequali ſulphuris et ſalis tartari, et dimidia ſcobis ferreae parte per fuſionem facta, aqua ſoluta, ex ſententia

NAVIER

NAVIER potentiſſimum (Contrepoiſons etc. I. p. 104.) arſenici, (l. m. c. p. 221. 222.), mercurii ſublimati corroſiui albi (l. m. c. p. 321.), viridis aeris, et (l. c. 2. p. 8.) plumbi plumbeorumque adeo antidoton.

Sapo veneris, maſſa griſea ex fuſo cum duodecima cupri raſi parte hepate ſulphuris vulgari, lixiuio cauſtico ſoluto, et agitatione continua intermiſto papaueris albi oleo in ſaponis ſpeciem redacto, nata, exigua iam doſi vrinam valide mouens, et ſiue tinctura rhabarbari ſoluta, ſiue cum extractis in pilulas ſubacta, in hydrope vtilis (BVCHOLZ diſſ. de ſaponibus quibusdam mineralibus. Ienae. 1763. 4. §. XXVI. p. 25. §. XXXII. p. 30.).

Sapo lunae, niger, ſimili modo, quo ſapo veneris, ex argento, hepate ſulphuris, lixiuio cauſtico, et oleo papaueris confectus, teſte multiplici Ill. BVCHOLZII (l. c. §. XXV. p. 24. §. XXXI. p. 29.) experientia, aluum et vrinam et muliebrem fluxum pellens, et vermes necans, ſcrupuli dimidii pondere, ſiue terra foliata tartari et tinctura rhabarbari addita forma ſoluta, ſiue cum puluere ialapae in pilulas redactus, exhibeatur, in pedum oedemate atque incipiente hydrope ſalutaris.

Sapo ſolaris, ex hepate ſulphuris vulgari cum ſedecima auri portione liquato aqua ſoluto, et pari ratione, quae in parando ſapone veneris iam dicta fuit, cum lixiuio cauſtico et oleo papaueris cocto natus (BVCHOLZ l. c. §. XXIV. p. 23.), vi reſoluente et laxante, teſte Eiusdem Clariſſimi Viri (l.

m. c. §. XXX. p. 29.) experientia, arthriticis aliquando proficuus.

Hepar ſulphuris volatile, v. *Sal ammoniacum: Spiritus ſalis ammoniaci ſulphureus.*

Aër hepaticus, *Gas hepaticum.* Foetidiſſimus ille halitus, qui inſtillato cuicunque hepatis ſulphuris ſpeciei acido aſſurgit, facile flammam capiens, omni animali, ſi aëre vitali non temperatus pulmonibus hauriatur, lethalis, aquam tamen facilime ſubiens.

Aqua aëre hepatico impraegnata, haud raro in naturae ſinu ipſo obuia, de quo alibi dicetur, facile quoque per artem paranda: Externo vſu prodeſt in ſcabie, ſi tum partes illa defoedatae quotidie aliquoties ea lauentur, tum lintea, quibus aeger induitur, in illam intingantur (HAHNEMANN ap. MONRO l. c. 2. p. 49.): Inſeruit praeterea iſta aqua, ſi ex duabus hepatis ſulphurei calcarii et ſeptem partibus cremoris tartari cum aqua vehementer concuſſis paretur (HAHNEMANN *chem. Annal.* 1788. I. p. 291 ſq.), tam arſenico quam plumbo detegendo; illud enim, ſiue aqua meraca, ſiue acidis ſolutum, ab ea inſtillata ſedimentum flauum, hoc ſiue vino, ſiue alio liquore ſolutum atrum dimittit, inſtillato vitrioli oleo nunquam iterum ſolvendum, quod poſterius vtique contingit ferro per hanc aquam praecipitato.

Balſamum

Balſamum ſulphuris eſt ſolutio ſulphuris ſpiſſior rubra vel fuſca (Pharm. Wirtemb. 2. p. 31.) per oleum quoddam, e. gr. petroleum (*barbadenſe*), oleum ſuccini (*ſuccinatum*), terebinthinae (*terebinthinatum*), aniſi (*aniſatum*), amygdalarum (*amygdalatum*), vel lini, cui tamen ſub finem olei terebinthinae adhuc portio ſuperadditur (*Balſamum ſulphuris Rulandi*), peracta, olim medicis familiaris, tum externo, tum interno vſu, hodie haud inique neglecta.

IV. CORPORA METALLICA.

LINN. *Syſt. nat. III. p.* 297.

Pondere ſpecifico quum omnia reliqua corpora ſuperent, perfectiore potiſſimum facie induta, facile ea iam nota dignoſcuntur, quamuis ſiue in calcem, ſiue in vitrum conuerſa, ſiue aliis aliisue liquoribus ſoluta, partem huius praerogatiuae amittant: Aquae merae connubium, ſi arſenici calcem exceperis, omnia, oleorum plurima pertinaciter renuunt, acidis tanto facilius, alia aliis facilius ſoluenda, ex his tum per terras ſimplices, tum per ſalia lixiuioſa, tum per gallas aliaque vegetabilia principio adſtringenti foeta, tum per lixiuium caerulei Berolinenſis, tum, colore vtplurimum obſcuriori, per ſulphuris, quod vocant, hepar, eiusque varias ſpecies, tum per gas, quod hae ab acido infuſo exhalant, ſiue ſolum, ſiue aqua ſolutum, terrae ſpecie denuo praecipitanda: Perfectiori in conditione ſua nitore gaudent ſibi proprio, ad aërem nunc magis nunc minus ſtabili, plura etiam tenacitate ac ductilitate: Ignis vi pauciora in fumum abeunt, aut in flammam lucidam (ſi quidem periculum in aëre communi capiatur) exardeſcunt, omnia, niſi iam conſueto atmoſphaerae calore, prouti argentum viuum, fluida, liquefiunt, ita tamen, vt alia leniorem, alia fortiorem, alia vehementiſſimum poſcant ignem: Continuatae ignis aërisque externam ſuperficiem lambentis efficacitati opportuna plurima, alia facilius, alia difficilius

difficilius in calcem abeunt, omni ſplendore ac tenacitate orbam, abſoluto quidem pondere auctam, ſpecifico imminutam, aucto ad ſummum gradum vsque gradum aeſtu in vitrum, ſaepius coloratum, vtrumque, modo vna cum corpore quodam combuſtibili igni candenti exponatur, in metalli perfectam indolem rediens.

1. *Antimonium, Stibium, Stibium vulgare* (LINN. *Syſt. nat. III. p.* 301.), puriori ſuo ſtatu et metallici nitoris particeps, appellant tunc *regulum antimonii, antimonium regulinum*, pondere ſpecifico reliquis, certe officinalibus, metallis inferius, vt pondere aquae ſpecifico = 10000 poſito = 67021 (BRESSON hiſtoir. de la ſociet. de medec. à Paris pour les ann. 1780. 1781. p. 377.), ſplendore ſatis conſtanti, colore proxime accedit ad ſtannum, intus ex lamellis aut radiis conflatum; qui ſaepe radiorum ſtellae ad inſtar diuergunt, ignis vi ſatis leni (gradum 779° vix excedente, ſi quidem ſcalam thermometri Fahrenheitiani eo vsque prolongare liceret A. CHR. REVSS *Beſchreibung eines neuen chemiſchen Ofens.* Leipz. 1782. 8. p. 67.) liquatur; vaſis clauſis igne agitatum, quod plurimam partem ſpectat, in vapores aſſurgit, in ſuperiori frigidiori vaſorum parte in cryſtallos aciculares argentei nitoris (vocant *flores argentinos*) abeuntes: aëre liberius accedente igne tortum fumum album eructat, leniori at diutius efficaci in calcem albam vertitur, et hanc, niſi nimis exuſta ſit, fortiori paulo igne vitri rutili formam nanciſcentem, et vehementiori adhuc nebulae albae ſpecie

ſpecie aufugientem: Ab omnibus, etiam debilioribus acidis corroditur potius quam vere diſſolvitur, optime ab aqua regis dicta, vt tamen ex hac quoque perinde ac ex aliis acidis, ſola aqua largius affuſa praecipitari iterum ſedimenti albi ſpecie poſſit, ceterum eius, prouti reliquorum acidorum mineralium acrimoniam, ſuo connubio mire exaltans, vegetabilibus e contrario, quibus ſoluitur, vim emeticam affricans, quam principem efficaciam alias atque alias formas indutum, aliis atque aliis corporibus iunctum, niſi aut nimis igne exuſtum, aut ſulphuri ceraeue inuolutum, in corpus humanum hoc metallum exercet.

At rarius puriori hac forma occurrit antimonium, vtplurimum ſulphuri iunctum lapidibus innidulans, a quibus quum leni igne liqueſcat, in fruſta auellanam nucem aequantia comminutum, et ollae foraminibus in fundo pertuſae ingeſtum, quae alteri ollae ad dimidiam circiter eius altitudinem immergitur, et tegmine agglutinato munitur, prunis ardentibus tum cingitur, tum contegitur, ſeparatum, in placentarum formam excoquitur (G. AGRICOLA de re metallica L. IX. Baſil. 1657. fol. p. 345. SCOPOLI *Anfangsgründe der Metallurgie.* Mannheim. 1789. 4. P. II. C. 10. p. 205. tab. X. F. G. H. I. L. V. CANCRIN *erſte Gründe der Berg- und Salzwerkskunde.* Francf. am Mayn. 8. P. IX. Sect. 2. 1786. p. 79 ſq. tab. XV — XXII.).

Vocatur nunc vulgo *antimonium crudum*, Veteribus (Cl. GALENVS *περι των ἁπαλων φαρμακων δυναμεος*

δυναμεως βιβλ. ε. Operum Baſil. 1538. fol. P. II. p. 128. DIOSCORIDES περι ὑλης ἰατρικης βιβλ. ε. cap. 49. C. PLINIVS *ſecundus* hiſtor. mundi. a S. GELENIO. Lugdun. 1582. fol. Libr. 33. Cap. 6. p. 596 ſq.) vti quidem nonnullis (IAC. GRAND *monatliche Unterhaltungen.* 1689. p. 490. 497.) videtur *Stibium* vel *Stimmi*, *plumbi ſacri* ſiue *philoſophorum*, *radicis metallorum*, *marcaſitae ſaturni*, *ſummi prothei*, *lapidis de vena plumbi*, *Saturni philoſophorum*, *magneſiae ſaturni*, *vltimi indicis*, *balnei regis*, *plumbi nigri*, *lupi metallorum*, *leonis rubri*, multisque aliis nominibus a ſcriptoribus alchimicis inſignitum, *Spiesglas* vel *Spiesglanz* nomine Germanis veniens, ſtibium vulgare Linnaei (Syſtem. nat. Ed. XIII. Vol. III. p. 301.), frequentius in Gallia (N. LEMERY traité de l'antimoine. à Paris. 1682. 8. p. 1.), et quidem prouinciis Britannia, Pictauia et Aluernia, in Hungaria (V. BORN index foſſilium, quae collegit. Prag. 1772. 8. P. 1. p. 136. 137. et FERBER *phyſikaliſch-metallurgiſche Abhandlungen über die Gebirge und Bergwerke in Ungarn.* Berlin u. Stettin. 1780. 8. p. 123. 226. 227. 266.), et Saxonia (CHARPENTIER *mineralogiſche Geographie der churſächſiſchen Lande.* Leipz. 1778. p. 106. 107. FERBER *neue Beyträge zur Mineralgeſchichte verſchiedener Länder.* Mietau. 8. Vol. I. 1778. p. 282.) in naturae ſinu obuium, ea forma, qua venale vulgo proſtat, nigrum, eoque colore manus tangentes inficiens, metalli more, debilius tamen, nitens, fragile, vt facile conteri in pollen tenerrimum poſſit, ex fibris fere parallelis quaſi conflatum (ſpongioſa placentarum vt plurimum ſuperior pars metalli ſiue reguli minorem,

ſulphuris

ſulphuris tanto maiorem copiam continet), ponderis ſpecifici circiter = 40643, pondere aquae = 10000 poſito (BRESSON l. c.), igni expoſitum fumum primo ſulphuris integri, poſt cum flammula caerulea ſulphuris ardentis eructat, leniori iam fluit, et paulatim in calcem cineream abit, quae denuo maiorem paulo ignis potentiam experta in vitrum ex rubro flauum ſiue hyacinthinum ponderis ſpecifici circiter 49464 (BRESSON l. c.) conuertitur. Eludit vim ſolventem aquae, non perinde acidorum, quae, potiſſimum aqua regis, magna cum efferueſcentia illud aggreditur, et metallicam partem, quae tinctum illi flauum maioremque acrimoniam impertitur, a ſulphure inuoluente dirimit, quemadmodum lixiuia alcalina ſulphur in ſe recipiunt, eiusque demum interuentu longiori et fortiori actione portionem metalli ipſius. Ratio ſulphuris ceterum non ſemper eadem eſt; 28 eius partes 100 antimonii inhaerere teſtatur Ill. MOENCH (*Syſtematiſche Lehre von den Arzneymitteln.* Marb. 1789. 8. p. 361.).

Veteres, ſi quidem eorum ſtimmi ſit noſtrum antimonium, vera antimonii virtus medicata latuiſſe penitus videtur, vix enim (v. DIOSCORIDEM et PLINIVM ll. mm. cc.), niſi externo vſui inſeruire, cui quidem hodie vix adhibetur, ſibi perſuaſerant; et tum coſmeticis (ita certe multi interpretantur nonnulla ſacrorum Bibliorum veteris teſtamenti loca v. g. libr. reg. 2. c. 9. v. 30. Ierem. c. 4. v. 30. et Heſekiel c. 23. v. 40.), tum deſiccandi atque adſtringendi ſcopo ocularibus (v. GALENVS l. m. c.) medicinis adſcripſerunt.

Et

Et poſteriores quoque his medici diu in externo antimonii vſu acquieuere, aut hunc quoque praetermiſerunt, multi internum (GUID. PATIN lettr. choiſies. Cologn. 12. Vol. I. 1692. p. 103. 161. 163. 167. Vol. III. 1691. p. 115.), ſaltem crudi (v. *Triumphwagen* Antimonii Fratris BASILII VALENTINI *an den Tag gegeben durch* I. THOELDEN. Nürnberg. 1676. 8. Vorred. et p. 25. 41. 72.), tanquam venenoſum deteſtati, donec KVNCKELIO (Laborator. Chymic. Cap. XXXII. p. 436.), CRATONE A KRAFTHEIM (l. c. L. VI. ep. IV. p. 817. L. VI. ep. 14. p. 43. L. VII. p. 375.), R. LENTILIO (Act. Acad. Caeſar. Natur. Curioſ. Dec. 2. ann. 2. obſ. 156. ſchol.), LE FEBURE (traité de la chymie. 2. p. 964.), N. LEMERY (l. c. p. 5.), FR. HOFFMANNO (obſeruat. phyſicochemic. ſelect. Hal. 4. L. III. 1736. p. 249.) aliisque rem per experimenta circumſpecta tentantibus, euictum fuerit, antimonium crudum deglutiri ſine noxa poſſe, et ne vomitum quidem excitare, niſi (N. LEMERY l. m. c. et REISEISSEN diſſ. ſiſt. antimonii crudi in medicina vſum. Argentor. 1721. 4. p. 26.) acido nubendi occaſionem nanciſcatur, quod quippe metallicas partes ab inuoluente ſulphure liberando, hanc facultatem adipiſcatur, vt igitur monendi ſerio ſint medici, alio vtplurimum ſcopo antimonium praecipientes, niſi hoc excidere velint, caueant, ne, ventriculum occupante ſaburra acida, aut cum potulentis, cibis, medicamentis acidum liberum continentibus, porrigant, vt potius, quo tanto tutius agat, terram acidum abſorbentem v. c. magneſiam albam, lapides cancrorum, addant.

Qua cautela adhibita egregie reſoluit tenaces humores, tranſpirationem inſenſibilem promouet, ac ſudorem pellit, et ſanandis tum pecudum e. g. equorum (D. MONRO l. c. I. p. 286.) ac porcorum (HAHNEMANN ibid. *Hamburgiſch. Magaz* Vol. X. 1752. p. 136. Gentleman's Magazine for 1753. menſ. Sept. p. 444.) morbis conducit, tum in humanis morbis chronicis, ſyſtema potiſſimum lymphaticum ac cutem (BELL treatiſe on ulcers etc.) afficientibus, etiam venereis, quo quidem in caſu aut cum mercurio dulci (VOGLER pharmaca ſelecta. Wezlar. 8. Ed. 3ia. 1792. p. 141.), aut more HVXHAMI (Oper. omn. Vol. III. p. 143.) cum $\frac{4}{9}$ argenti viui, et $\frac{2}{9}$ ſulphuris in aequabilem puluerem (audit nunc *Aethiops antimonialis Huxhami*) coniungitur, in ſcrophulis aliisque glandularum obſtructionibus ac tumoribus (BALDINGER in Pharmacop. Edinburgenſ. edit. in Germania alt. Bremae. 1784. 8. p. 382. 383.), etiam meſentericarum, ipſa haec mala saepius excipiente atrophia (IVNCKER de antimonii crudi vſu interno. Hal. 1750. 4.), aliorum viſcerum, niſi in ſcirrhos pronis (Pharmac. rational. denuo corr. et auct. Caſſell. 1782. 8. p. 69.) infarctibus, et febribus intermittentibus, quae ex hoc fonte proveniunt (MVRALTVS, qui tertia parte corticis cinchonae temperatum imperat, act. Ac. Caeſ. Natur. Darioſ. Dec. 2. a. 8. DE VINQUADES ibid. Cent. 6. obſ. 40. KVNCKEL l. c. p. 444.), adeo ad continuam vergentibus (REISEISSEN l. c. §. XXV.), aut ſymptomatibus conuulſiuis, ſi quidem cum radice paeoniae permiſceatur (P. HERMANN cynoſur. mater. medic. cur. I. BOECLERI. Argent. 4. P. III. p. 98. 99. REISEISSEN

EISSEN l. c. p. 39.), aut doloribus arthriticis (KVNCKEL l. c. p. 434.) ſtipatis, in arthritide ipſa (KVNCKEL l. c. p. 432. 438. P. HERMANN l. c p. 99. FR. HOFFMANN medic. ration. ſyſtemat. T. IV. P. 2. p. 442. IVNCKER l. c. SACHS apud REISEISSEN l. c. §. XXIV. p. 34. LVDWIG comment. de rebus in ſcientia naturali et medicina geſtis. Lipſ. 8. Vol. I. 1752. p. 110. ANONYMVS Recueil periodique d'obſervations de medecine, de chirurgie et de pharmacie à Paris. 8. T. III. 1755. menſ. Nov. art. III. p. 396. BALDINGER l. c. p. 383.), metaſtatica quoque et pictonum praeſertim colica (C. STRACK obſeruat. medicinal. de colica pictonum, maximeque ob arthritidem. Francof. et Lipſ. 1772. 8. p. 14. 60.), in rheumatiſmis (SCHOENHEYDER act. ſoc. reg. med. Havnienſ. 8. Vol. II. 1791. n. 17.) et catarrhis pertinacibus, in morbis cutaneis chronicis (BALDINGER l. c. p. 382.), potiſſimum ſcabie (P. HERMANN, IVNCKER, ANONYMVS ll. mm. cc. TISSOT l. c. cap. 25. §. 312. n. 48. CRATO A KRAFTHEIM l. c. L. VI. p. 53.), etiam quam maxime rebelli (REISEISSEN l. c. §. XXII. p. 30. TESSARI gazette ſalutaire. Bouillon. 1763. SCHOENHEYDER l. m. c.), ipſa lepra (BOYLE medic. exper. p. 52.), in achoribus, fauis, lichenibus, tinea, faciei exulcerationibus (VOGLER l. c. p. 141.), ophthalmia ex metaſtaſi nata (VOGLER l. m. c.).

Sunt etiam, qui in aliis vlceribus (IVNCKER l. c.), gonorrhoea (IVNCKER l. c.), dyſenteria (P. HERMANN l. c. p. 99.), colica (ANONYMVS in Recueil periodique etc. l. c.), ea quoque, quae plumbi vſum improuidum ſequitur (IDEM et IVNCKER ll.

mm. cc.), hydrope (P. HERMANN l. m. c.), morbis conuulſiuis IVNCKER l. m. c.) paralyſi (Pharmac. rational. l. m. c.) ſanandis, vermibus fugandis (ANONYMVS recueil periodique etc. l. c.) vſum antimonii internum ſuadent.

Porrigitur autem antimonium crudum, in tenuiſſimum pollen comminutum, ſcrupuli dimidii vel integri, imo drachmae dimidiae, quin integrae pondere, aut, quamuis ea forma iuſto tardius agat, cum extracto lignorum alioue (REISEISSEN l. c. §. XVII. p. 25.), vel cum extracto corticis peruuiani et ſyrupo quodam congruo in pilulas (VINQUEDES l. c.), aut cum conſerua roſarum (P. HERMANN l. c. p. 98.) in bolum, aut, KVNCKELIO (l. c. p. 424.) praeeunte, cum aequali pondere amygdalarum dulcium, media parte corticum citreorum, et neceſſaria ſacchari copia (BALDINGER l. m. c. p. 383.) in morſulos redactum, quorum ſinguli drachmam antimonii dimidiam comprehendunt. Optime autem exhibetur forma pulueris, nullo ſuperueniente vehiculo fluido deglutiendi, quo tum in caſu, melius quam nitrum vel lapides cancrorum, duce KAEMPFIO (*Puluis purificans* VOGLER l. c. p. 141.) praeter ſaccharum magneſiae albae pars quarta, aut in gratiam ſaporis aroma quoddam, aut, ſi de arthritide debellanda agatur, extractum vel folia ſicca aconiti adiici poſſunt: Sunt, potiſſimum inter Veteres, qui, in petia ligatum, decoctis praeſertim lignorum, ad vim eorum acuendam, addi iubent; at aquam nihil aut perparum eius extrahere vel ſoluere, niſi ſale quodam adiutam, quod antimonii efficaciam immu-

tare

tare mirifice aut intendere praeter exſpectationem medici poteſt, ſuo iam tempore contra BOHNIVM (Diſſertat. chymic. phyſic. Lipſ. 1696. 8. n. V. §. 7.) aſſeuerantem monuit (l. c) N. LEMERY, confirmavere MENGHINI (Comment Inſtit. Acad. Bononienſ. T. II. P. 2.), LOESECKE (l. c. p. 206.), MOENCH (l. c. p. 362.) et alii.

At tantum abeſt, vt crudum modo antimonium medicorum inſeruiat vſui, vt potius mille modis praeparatum a primis frequentioris vſus medicati incunabilis non adhiberetur tantum, ſed a chemica praecipue medicorum ſecta (V. ALEX. V. SVCHTEN *von den groſſen Geheimniſſen des Antimonii, durch* I. THOELDEN. 1604. Vol. I. II. 8. BASILIVS VALENTINVS ll. cc. PARACELSVS magnae chirurgiae. P. I. l. 1. c. 9. l. 2. c. 10. P. II. l. 1. c. 3. 5. l. 5. archidoxorum l. 6. cap. de magiſteriis marcaſitarum; de vita longa l. 3. c. 6. de morbis ſiccis l. 5. libro de morbis amentium, tractat. de lepra, libro de gradibus et compoſitionibus receptarum; OSW. CROLLIVS baſilica chymica, aucta a I. HARTMANNO, ed. a I. MICHAËLIS et G. E. HARTMANNO. Lipſ. 1634. 4. p. 217 ſq. B. V. HELMONT de febribus. C. XV. Oper. omn. ed. a FR. M. V. HELMONT. Amſtelaed. 1648. 4. p. 55. ANGELVS SALA Opera medico-chymica. Francof. 1647. 4. p. 302 ſq.), neglecto et deteſtato fere ſimpliciori crudi vſu, longe praeferretur, vt multi ex hoc antimonio et ſexcentis ex eo paratis medicinis (de quibus V. N. LEMERY l. c. ALEX. CAMERARIVS diſſ. de antimonio. Tubing. 1735. 4. D. E. P. MEVDER analyſis antimonii phyſico-chymico-rationalis.

nalis. Dresd. und Leipz. 1738. 8. Conſiderations on the uſe and abuſe of antimonial medecines in fevers and other diſorders, containing a chemical examination of all the antimonial praeparations in the ſeveral diſpenſaries, and a ſpecial inquiry into the nature, properties and effects of febrifuge medecines, particularly emetic tartar, Dr. JAMES and the Edinburgh powder. Edinb. 1773. SAUNDERS de antimonio eiusque vſu in morbis curandis. Lond. 1773. EBELL diſſ. de antimonialium medicamentorum differentia. Goetting. 1784. 4. R. H. STENDER diſſ. analecta de antimonii crudi et antimonialium praecipuorum vſu medico. Goetting. 1785. 4. JACQUET hiſtoire abrégée de l'antimoine et particulierement de ſes préparations. à Paris. 1786. 8. SCHLOTTMANN analecta de medicamentis antimonialibus nonnullis ſulphuratis. Erford. 1792. 4.), non in deſperatis modo, ſed in omnibus fere morbis princeps, atque vnicum prope peterent auxilium: Quibus exaggeratis atque abſurdis medicorum ſua aetate celeberrimorum laudibus ſi addas execrandam medentium eius aeui, quo antimonii vſus increbuerat, in inueſtigandis morborum curandorum veris cauſſis incuriam, intempeſtiuum, qui non poterat non inde euenire, atque incongruum toties medicamentorum horum leui medici errore periculoſiſſimorum vſum, difficilem multorum eorum pharmacorum praeparationem, damnandam multorum chemicorum et pharmacopoeorum in iis conficiendis negligentiam, et perpetratas tot tantasque ob enumeratas cauſſas per antimonialia neces, mirari profecto non poteris, multos dexterrimos et re-

ligioſos

ligioſos medicos antimonii et paratorum ex eo remediorum vſum internum abhorruiſſe, et ordinem medicum Pariſinum (v. Journal des ſavans ad ann. 1766. GUID. PATIN l. c. Vol. I. p. 9. 133. et Vol. V. 1695. p. 88. BALDINGER *Magazin für Aerzte.* faſc. X. p. 915.), eundem penitus proſcripſiſſe, atque integro demum elapſo ſeculo, quum praeſertim egregia pulueris carthuſianorum, cuius parandi modus primis temporibus arcanus habebatur, efficacia horrorem illum diſſipare inchoaret, iterum permiſiſſe.

Sunt tamen inter haec medicamina antimonialia adeo acria, vt ne audaciſſimi quidem eorum praecones horum vſum internum commendarent, externum ſolum, vbi exedentibus pharmacis opus erat, imperarent; ſunt alia, interno quidem vſui deſtinata, at propter violentam, facilime periculoſam, inaequalem atque infidam efficaciam reprobanda; ſunt porro, quae, quamuis ſatis potentia, vt circumſpecto in iis adhibendis opus ſit medico, tuto tamen agunt, vomitum mouent, minori pondere exhibita mucum incidunt, atque ex pectore potiſſimum exturbant, ſudorem ac tranſpirationem inſenſibilem promouent, minimo pondere propinata ſpasmos ſedant; ſunt alia magis adhuc cicurata, quae, modo rite parata fuerint, rariſſime vomitum, aluum potius aut ſudorem mouent, mucum aliosque humores praeter naturam ſpiſſos attenuant; ſunt denique inter haec antimonialia, praeſertim Veterum, medicamina, quae, etſi multa, difficili, pretioſa ſaepe, arte fabricata, omni fere virtute ſalutari caſſa eſſe, ſana ratio atque experientia dictitat:

Ne de iis dicam, quae nomen quidem ab antimonio ſortita, virtutem tamen ſuam illi non debent, cuius quippe, ſi ſolida ſequaris experimenta, aut nihil aut perparum continent.

PRAEPARATA.

I. *Externo vſui deſtinata.*

1. *Butyrum antimonii*, *Oleum antimonii*, *Oleum antimonii glaciale*, *Oleum antimonii corroſiuum*, *Oleum antimonii cum mercurio ſublimato* (BASIL. VALENT. l. c. p. 155.) *Cauſticum antimoniale*, *Sal antimonii muriaticum*, *Antimonium* ſ. *Stibium ſalitum*, *Murias antimonii*, *Sperma draconum venenatorum*, ſiue ex antimonio crudo et mercurio ſublimato corroſiuo (BASIL. VALENTIN. l. m. c.), ſiue ex antimonio crudo et mercurio dulci (LEMERY l. c. c. 61.), ſiue ex antimonio crudo et mercurio praecipitato albo (IDEM. l. c. c. 64), ſiue ex antimonio crudo, alumine vſto, bolo armena, et ſale communi (SCHROEDER pharmacopoea medico-chymica, opera P. ROMMELII. Vlm. 1685. 4. p. 428. b.), ſiue ex antimonio crudo, ſale communi et argilla figulina (BASIL. VALENTIN. l. c. p. 165.), ſiue ex antimonio crudo, ſale communi et laterum puluere (AL. VAN SUCHTEN l. c. p. 259. 376.), ſiue ex antimonio crudo, ſale communi et vitriolo ferri ad albedinem (GLAVBER furni philoſophici. Francf. 8. P. II. 1652. p. 131.) vel rubedinem (SCHROEDER l. m. c. p. 429.) vsque exvſto, vel poſterioris in locum recipiendo colcothar vitrioli (BECCHER *chymiſch. Roſengarten, von* FR. ROTH-

SCHOLZ.

SCHOLZ. Nürnberg. 1717. 8. p. 76. 77. STAHL fundament. chymiae dogmaticae et experimentalis. Norimb. 4. P. II. p. 89.), ſiue ex antimonio crudo, ſale communi, et vitrioli, quod vocant, oleo (WALLERIVS *phyſiſche Chemie, überſ. von* WEIGEL. Leipz. 8. P. II. 1776. cap. XIX. §. 6. 2. 6. p. 196.), ſiue ex antimonio crudo, ſale communi et alumine, ſiue ex antimonio crudo, ſale ammoniaco et vitrioli oleo (WALLERIVS l. m. c.), ſiue ex antimonio vſto, ſale communi et vitrioli oleo (*Chemiſch. Journal.* Lemgo. 8. P. VI. 1781. p. 76. Pharmac. rational. etc. p. 94.) paratum, ſiue loco antimonii crudi calce antimonii ſolo igne vſta (STAHL l. c. P. I. §. 30. p. 209. LEMERY l. c. cap. 51.), aut hepate (LEMERY l. c. cap. 52.), aut croco antimonii, aut antimonio diaphoretico, aut vitro, aut regulo antimonii (LEMERY l. c. cap. 36-43. 62. 63. 65.), aut antimonii floribus regulinis (IDEM l. c. cap. 69.) vel albis argenteis (IDEM l. c. cap. 57.), aut ſulphure aurato vna cum mercurio ſublimato corroſiuo igni expoſitis natum, ſiue ex antimonii regulo in vitrioli oleo diſſoluto et ſale communi (GÜNTHER *neueſte Entdeckungen in der Chemie.* VII. p. 81.), ſiue ex antimonii vitro, ſale gemmae, et terra figulina (I. RHENANVS opera chemiatrica. Francof. 1688. p. 55.), ſiue ex regulo (*Chemiſch. Annal.* 1786. I. p. 55.), aut croco (MOENCH l. c. I. p. 305.), aut vitro antimonii, ſale communi et vitrioli oleo (GOETTLING *neueſte Entdeckungen in der Chemie.* X. p. 103. et *praktiſche Vortheile und Verbeſſerungen verſchiedener Operationen für Apotheker.* Weimar. 1789. p. 203.) conflatum, ſiue ex antimonii regulo (AL. V. SVCHTEN l. c. p. 269. LE

MORT collectan. chymic. Leidenſ. c. 51.), aut floribus regulinis (AL. V. SVCHTEN l. c. p. 259. GLAVBER l. c. P. I. p. 57. 58.), aut antimonio diaphoretico (MOENCH l. c. p. 381.), aut vitro (FR. I. MÜLLER diſſ. analecta de vitro antimonii. Goetting. 1757. 4.) combinatis ortum, ex metallicis antimonii particulis et fortiſſimo eoque praedominante ſalis communis acido compoſitum, ita, vt, quamuis in loco frigidiuſculo et ſicco ſolida glaciei, imo cryſtallorum regularium forma compareat, aëris libero acceſſui patens deliqueſcat, et, quemadmodum etiam leni calore agitatum, olei faciem externam induat, cetera acerrimum, vt ideo verrucis, luxurianti vlcerum (niſi oſſa denudata ſint) carni aliquando, hodie tamen rarius adhibeatur, paulo frequentius in ſtaphylomate (RICHTER *chirurgiſch. Biblioth.* Vol. III. p. 647. XI. p. 515.) et maculis corneae, quo quidem in caſu eius guttula penicilli ope parti laeſae caute illinitur, eaque deterſa lacte tepido idem locus lauatur. Commendauit iam LE ROUX (Memoir. de la ſociet. de medecin. à Paris. Vol. 2.) et (Journal de medecine, chirurgie, pharmacie etc. 8. à Paris. T. LXV. 1785. Octobr.) COLOMBIER vulneribus a cane rabido inflictis illinendum, polypis inteſtini recti, aurium, narium, qui penicilli ope illa continguntur, conſumendis LOEFFLER (*Beyträge zur Arzneywiſſenſchaft und Wundarzneykunſt.* Leipz. und Altona. 8. P. I. 1791.), ſi quidem purum ſit, coloris fere et odoris expers, ab aqua diſtillata ſtatim lactis faciem refert, et puluerem album (*Mercurius vitae*) dimittit.

Oleum

Oleum antimonii, *Oleum antimonii liquidum*, ſiue addito vitrioli oleo in praeparatione ipſa aqua (BALDINGER *Magazin für Aerzte.* faſc. 8. p. 665.), ſiue repetita eaque periculi plena (BOERHAAVE element. chemiae. P. II. p. 522.) butyri diſtillatione, ſiue eiusdem (STAHL l. m. c. P. I. p. 198.) deliquio in aëre humido peracto natum, maiore eaque permanente fluiditate, a maiore, qua ſalis acidum temperatum eſt, aquae copia pendente, a butyro diſcrepans, acrimonia paulo inferius, ceterum adhuc ſatis ingenti, vt inſeruire chirurgicis vſibus poſſit, et commodius quidem inſeruiat, quam butyrum, hinc crebrioris vſus.

Butyrum antimonii lunare, *Oleum glaciale antimonii lunare* (LEMERY l. c. cap. 49.) ſola praeparatione, cui ſcilicet loco mercurii ſublimati lac lunae aut luna cornea adhibetur, ab altero antimonii butyro diſtinctum.

Butyrum antimonii martiale! (LEMERY l. c. cap. 4. et 43.), *Liquoriſch Oel* (BASIL. VALENTIN l. c. p. 174.), a butyro antimonii vulgari parum diſtinctum, niſi velis, loco antimonii crudi regulum antimonii martialem in eius praeparatione adhiberi.

Liquor Pellegrini (LEMERY l. c. cap. 35.) Butyrum antimonii dupla ſpiritus ſulphuris portione temperatum, mitius quidem butyro meraco, at ſatis adhuc efficax.

Oleum antimoniale, *Spiritus mellis ab antimonio abſtractus* (ANGEL. SALA oper. medico-chymica.

mica. Francof. 1647. 4. p. 356.). Butyro vtique mitius, at in mundandis ſanandisque vlceribus ac gangraena, in exedendis puſtulis, teſte SALA (l. m. c.) ſatis adhuc potens.

Oleum antimonii compoſitum (BASIL. VALENTIN. l. c. p. 156. SCHROEDER l. c. p 430.) ex antimonio, ſulphure, ſale armoniaco et calce viua repetita cum reſiduo permixtione et diſtillatione paratum, in vlceribus pertinaciſſimis commendatum.

Balſamum antimonii (BASIL. VALENTIN. l. c. p. 94 — 97.), ex aceto diſtillato cum vitro antimonii digeſto, humore ſuperfluo per diſtillationem orbato, aut albumine ouorum coctione indurato, vitello exemto incluſo, et cum eo in deliquium abeunte, aut (*Liquor vulnerarius* BASIL. VALENTIN. l. c. p. 125.) in loco humido deliqueſcente paratum, flauum, in vulneribus recentibus vlceribusque commendatum.

Balſamum vulnerarium antimonii rubrum (BASIL. VALENTIN l. c. p. 153.), ex antimonio, ſale gemmae et argilla figulina per diſtillationem paratum, noua diſtillatione humoris plurima parte orbatum, et ſuper marmor terendo reſolutum, in vlceribus inueteratis collaudatum.

Flores antimonii cum alumine (LEMERY l. c. cap. 6.) griſei, exſiccandis vlceribus et conſumendae carni luxurianti inſeruiunt.

II. *Praeparata, interno quidem vſui dicata, verum infidae efficaciae.*

Flores antimonii argentei, Flores reguli antimonii; Flores reguli antimonii argentini, Nix antimonii (LEMERY l. c. P. IV. cap. 7.), ſublimatione ſine vllo additamento peracta ex antimonii regulo obtinendi, in ſcrophulis, ſcabie, febribus intermittentibus, ipſis adeo malignis praedicati.

Regulus antimonii, Antimonium, Antimonium regulinum, Antimonium metallicum, Plumbum antimonii (BASIL. VALENTIN. l.c. p. 178.), pars antimonii metallica, fundendo antimonium crudum cum materiis ſulphur potentius trahentibus, aut ſalibus (*Regulus antimonii ſimplex* MEVDER l. c. p. 112. LEMERY l. c. P. IV. cap. 4 — 7. *Regulus antimonii vegetabilis, Regulus antimonii vulgaris, Regulus antimonii ſine marte* BASIL. VALENTIN. l. c. p. 132), vel tartaro et nitro ſiue fluxu, quem vocant, crudo, vel fluxu nigro, vel tartari ſale (WEDEL progr. de regulo antimonii per ſal alcali obtinendo. Ienae. 1727. 4. p. 3 — 5.), vel cineribus clauellatis, aut (*Regulus antimonii compoſitus, Regulus antimonii metallicus*) metallis, quorum tunc, quamuis aut calx viua, aut creta, aut nitrum, aut alia ſalia ſuperadduntur, vtique portio regulum ſubit, ferro (*Regulus antimonii martialis, Signatſtern* BASIL. VALENTIN. l. c. p. 173.), ſtanno (*Regulus antimonii iouialis* LEMERY l. c. P. IV. cap. 14.), cupro (*Regulus antimonii venereus* LEMERY l. m. c. cap. 16.), plumbo (*Regulus antimonii ſaturninus* STAHL opuſculum chymico-phyſico-medicum. Hal. 1715. 4. p. 499.), vel argento (*Regulus*

gulus antimonii lunaris WALLERIVS l. c. P. II. Sect. 3. 1776. p. 240.), aut fundendo antimonii calcem cineream cum pinguedine, carbonibus et nitro (KVNCKEL laborator. chemic. p. 455.), vel cum lapide calcario carbonibusque contuſis (SPIELMANN inſtitut. chem. §. 87. Exp. 116. n. 1.), vel cum fluxu nigro (SCHEFFER chemiſch. Förelesning. §. 334.), vel cum cineribus clauellatis et carbonum puluere obtentus, modo igne validiori maſſa aequabiliter liquata, ſcoriae praeſertim ſatis fluidae et lente frigefactae fuerint (STAHL l. m. c. p. 483. 502 ſq. IACOBI de regulo antimonii ſtellato. Erford. 1692.) cum nitore argenteo et intus texturam radiatam, et in ſuperficie ſtellam ex fibris diuergentibus conflatam (*Regulus antimonii ſtellatus*, *Regulus alchemiſticus*) monſtrans, ceterum fragilis et facile in puluerem comminuendus, a plurimis acidis corrodendus, a paucioribus vere diſſoluendus, cum nullo tam arctam iniens copulum, vt non ſola aqua infuſa praecipitari queat, aquae regis colorem aureum impertitur, olim, rarius pulueris, qui, quamuis exili duorum ad octo vsque granorum pondere exhibitus, nimis violenter agit, quam infuſi, potiſſimum vinoſi (*Vinum emeticum*) ſpecie adhibitus, ita vt pulueri (LEMERY l. c. P. IV. cap. 11.) vel calici (*Pocula emetica, Calices vomitorii*), ex hoc regulo vel ſolo (LEMERY l. m. c.) vel duabus tribusue ſtanni partibus temperato (TEICHMEYER inſtitut. chem. Ien. 1729. 4. p. 233.), vel globulis (*Pilulae perpetuae*, *Pilulae aeternae*), ex eodem regulo fuſis (LEMERY l. m. c.) per noctem infundatur vinum (FAVCKEN de ſolutione reguli et vitri antimonii in diuerſis vinis etc. Vindob. 1767.),

1767.), quod, etſi pondere vix imminutus ſit regulus, vnciae mediae ad quatuor vnciarum doſi propinatum, vomitum ciet, nonnunquam vehementiſſimum. Globuli illi integri deglutiti aluum movent, et per aluum excreti ac ſollicite abluti quondam multoties eidem iterum ſcopo adhibiti fuerunt, nunc obſoleti.

Regulus antimonii iouialis, *Electrum minus* multis vocatur, regulus antimonii martialis cum media vel aequali portione, vel duabus partibus ſtanni liquatione commixtus, iisdem cetera vſibus olim inſeruiens.

Regulus antimonii ſaturninus, olim nonnullis ex aequali plumbi et reguli antimonii copia colliqueſcendo paratus (LEMERY l. c. P. IV. cap. 17.), interno vſu praecedentibus magis funeſtus, externo ſuperfluus.

Regulus antimonii venereus nonnullis audit regulus antimonii cum aequali cupri portione colliquatus, ſimiliter exoletus.

Rete Vulcani (STAHL l. m. c. p. 507.), eſt regulus antimonii martialis cum regulo venereo colliquefactus, reticulata textura a ceteris diſtinctus, medici attentione indignus.

Regulus metallorum, *Electrum maius* eſt regulus antimonii martialis cum ſtanno et cupro confuſus, medicinae nomen vix promeritus.

Regulus antimonii lunaris regulus antimonii cum tribus argenti puriſſimi quartis partibus confuſus

fuſus (LEMERY l. c. P. IV. cap. 13.), ſimplicioribus, ſi ad virtutem ſalutarem reſpicias, nequaquam ſuperior.

Regulus antimonii ſolaris regulus antimonii cum octaua auri parte fuſus (LEMERY l. c. P. IV. cap. 12.), virtute ſalutari praeter ambiguam, quam antimonio debet, caſſus.

Regulus antimonii medicinalis, *Antimonium diaphoreticum rubrum*, *Febrifugum Craanii* (R. A. VOGEL progr. de varia interque hanc optima reguli antimonii medicinalis parandi ratione. Goett. 1765. 4.), antimonium aut cum nitri quarta (SCHVLZE praelection. ad diſpenſat. Brandenburg. p. 283.), ſexta (KOPPE de antimonio eiusque regulis. Ien. 1733. p. 12.), vel octaua parte (DIETERICH commerc. litterar. noric. 1731. p. 133.), aut cum ſale communi et quinta tartari crudi parte, aut cum ſale communi et quarta (CARL de analyſi reguli antimonii medicinalis. Hal. 4. 1698. p. 13.), ſextaue (TEICHMEYER l. c. p. 225.) ſalis tartari parte, aut (ob nitidum colorem *Rubinus antimonii*, *Magneſia opalina*) cum aequali nitri et ſalis communis copia colliquatum, nitoris potius vitrei, quam metallici, ſaporis et odoris expers, aquae vim diſſolventem recuſans, ad aërem non humeſcens, coloris obſcuri, ſi in pollen conteratur, ſpadicei, ab antimonii hepate minori longe ſalium copia, ab antimonio ipſo, ſi quidem ſollicite elotus fuerit, minori ſulphuris portione et partis metallicae indole calci potius aemula (CARL l. c. p. 23. 26.) diſtinctus. Fuere (v. inter alios FR. HOFFMANN in notis ad PO-

TERII oper. omn. p. 560 ſq. CARL l. c. p. 30 ſq.), et ſunt adhuc, qui tanquam medicinam vomitum cientem, et, ſi quidem parciori praebio propinetur, humores et lympham potiſſimum attenuantem, ſudores pellentem, in febribus malignis (ROLLWEG apud CARL l. c. p. 34.) atque intermittentibus (vt multi ſibi perſuadeant, febrifugum arcanum Bataui medici CRAANEN in eo latuiſſe), in hydrope (quo quidem in caſu optime mercurio dulci iungitur HENNICKE apud CARL l. c. p. 34.), arthritide, morbis cutaneis, ſubtiliſſime comminutum granorum ſex ad ſcrupuli vsque et maiorem adhuc doſin aut pulveris forma aliis intertritum, aut cum extracto cinchonae in boli, aut cum gummireſinis in pilularum ſpeciem redactum praecipiunt.

Hepar antimonii, multis *Crocus antimonii*, aut ſolum detonando, aut (*Crocus Rulandi*) ſimul fundendo antimonium crudum cum nitri aequali, vel media (LEMERY l. c. P. IV. cap. 21. BAUME' l. c. II. p. 342.), vel diuerſa (LEMERY l. m. c. cap. 19. 20.) portione, aut fundendo cum aequali (WALLERIVS l. c. II. 3. cap. 19. §. 10. II. A.) duplaue (MEVDER l. c. p. 28.) cinerum clauellatorum, aut aequali tartari crudi (BASIL. VALENTIN. l. c. p. 123. 124.) copia impetratum, duplici vtplurimum poſt refrigerationem ſtrato conſtans, altero pallidiori, potiſſimum ſalino, altero opaco ſcoriae inſtar nitente et fragili, colore obſcuriori hepar referente, hoc praecipue in vſum medicum adhibito, rariſſime tamen, antequam aquae feruidae ope ab omni ſale liberatum fuerit, priſcis quoque temporibus, granorum

duorum

duorum ad octo vsque pondere hominibus, frequentius etiamnum equis, quibus ab vncia media ad integram ingeſtum tum tranſpirationem cutaneam, tum pabuli appetitum auget.

Elotum hoc hepar audit

Crocus antimonii, *Crocus antimonii lotus*, *Crocus metallorum*, *Hepar antimonii lotum*, quod remedii genus coquendo cum aqua ſcorias a regulo antimonii ſimplici ſuperſtites obtineri ſimiliter poteſt, calx antimonii imperfecta, inſipida, ex fuſco lutea, quondam cum extrinſecus in clyſteribus contra colicam ano iniectis (SCHROEDER l. c. p. 418.), et infuſi aquoſi ſpecie tanquam lenius detergens in morbis oculorum (LEMERY l. c. P. IV. c. 16.), aliis quoque medicinis ocularibus adiecta (J. JANIN memoir. et obſervat. ſur l'oeil. Lyon et Paris. 1771. 8. p. 445. 447.), tum interne granorum trium pondere ad ſcrupuli dimidii pondus (SCHRÖDER l. m. c.) ſcopo vomitum aluumque ciendi, quod quidem ſumma cum violentia perpetrat, idcirco recentioribus medicis neglecta, et veterinariis (MEVDER l. c. p. 44.) relicta, atque in varia pecorum lue (Philoſophical and chemical analyſis of antimony. London. 1747. 8. p. 22. et app.) ſalutaris, tum parandis vinis aliisque liquoribus (LEMERY l. m. c.) emeticis, et tartaro inprimis emetico (MYNSICHT. l. c. p. 13.) adhibita.

Calx antimonii, *Calx antimonii per ſe* (BASIL. VALENTIN. l. c. p. 89.), *Cinis antimonii*, *Antimonium incineratum* (MEVDER l. c. p. 100.), nonnullis (v. g. GRÜNLING florilegium chymicum p. 83.) *Terra*

Terra ſancta Rulandi, nihil niſi antimonium, ignis vi aut ſolummodo ſulphure ſuo exutum, tunc cinereum, et violentiſſime emeticum (BOERHAAVE element. chem. T. II. p. 507.), aut ſulphure diſſipato fortiori igne in calcem albam exuſtum, omni virulenta (FR. HOFFMANN obſeruat. phyſico-chemic. ſelect. L. III. obſ. 3. p. 250. MEVDER l. c. p. 103.) et fere dixerim, ſalutari quoque vi orbum, propter hanc inaequalitatem hodie neglectum.

Puluis antimonii fixus (BASIL. VALENTIN. l. c. p. 111 — 113.), ruber, ex antimonio, per aquam fortem diſſoluto, ſeparata per diſtillationem aqua forti, per aquam pluuiam ſoluto, hac per diſtillationem iterum expulſa, per acetum diſtillatum, et hoc per tertiam diſtillationem ſecreto, per vini ſpiritum ſoluto, poſteriori per ignem abacto natus, VALENTINO commendatiſſimus.

Mercurius vitae, *Mercurius mortis*, *Puluis angelicus*, *Puluis emeticus*, *Magiſterium antimonii*, *Poudre d'Algaroth*, albus, ex antimonii haud penitus calcinati et ſpiritus ſalis acerrimi connubio natus, ex butyro vel oleo antimonii per aquam meracam praecipitatus, cum nitro detonans, igne facilime liquandus, et in vitri potius (*Vitrum antimonii ſuccineum*), quam (BOERHAAVE l. m. c. p. 523.) reguli (*Regulus antimonii aculeatus*) ſpeciem, niſi materia combuſtibili et alcali quodam intercedente, abiens, argenti viui (LEMERY l. c. P. III. c. 35. et BOERHAAVE l. m. c.), niſi fortuito illo inquinatus, quicquid PARACELSVS (Archidoxor. magic. L. V. et X.), et poſt eum R. A. VOGELIVS (in diſſ. Mercurius

 vitae

vitae mercurii non expers. Goetting. 1765.) contradixerint, expers, refracta etiam pauciſſimorum granorum doſi violentiſſimos excitans vomitus, ideo a plurimis (v. inter alios E. L. ESTEVE libell. quaeſt. alter. in quaeſtion. chemic. propugnat. Monſpel. 1759. 4.) repudiatus, et noſtra aetate vix adhibitus, niſi ſale armoniaco, aceto vel cremore tartari cicuratus.

Vitrum antimonii (BASIL. VALENTIN. l. c. p. 91 ſq.) ex omnibus antimonii calcibus igne paulo violentiori, facilius adhibita borace (BASIL. VALENTIN. l. c. p. 92. MATTHIOLVS commentar. in DIOSC. L. V. c. 59.), ſed medicato vſui minus idoneum, nitidius, colore hyacinthi tinctum, magis pellucidum et magis efficax ex calcibus nec nimis exuſtis (LEMERY l. c. P. IV. c. 32.), nec ſulphure ſuo omni ſpoliatis (LEMERY l. m. c. cap. 2. BERGMAN de antimonialibus ſulphuratis. §. II. Opuſc. Vol. III. p. 168 ſq.) proueniens, durum, fragile, tenuiora fruſta ſi luci obuerſentur, diaphanum, acidis omnibus, etiam laruatis, quibus vim emeticam impertitur, patens, hinc princeps vinorum emeticorum, tartari emetici, aliorum egregiorum medicaminum materies, olim a nonnullis e. g. MATTHIOLO (l. m. c.), ANGELO SALA (l. c. p. 330.) pollinis tenerrimi cum ſaccharo aut conſerua ſubacti ſpecie a granis tribus ad nouem vsque tanquam medicina aluum vomitusque mouens intus exhibitum, licet iam BASIL. VALENTINVS l. c. p. 94.), LEMERY (l. c. P. IV. cap. 2.) aliique experti monuerint, iuſto violentiorem et periculoſum eſſe eius effectum, quae etiam cauſa eſt, quare noſtra aetate hac forma medicis non inſeruiat.

Puluis

Puluis emeticus Monckii, *Ramoneus*, ex antimonii regulo fuſo, et cum ſuperiniecta aequali nitri copia detonante, ſuperaffundendo aliquoties et defundendo iterum vini ſpiritum natus, granorum ſex ad decem pondere datus violentos vomitus ciet (FR. HOFFMANN de cauto et praeſtantiſſimo vomitoriorum vſu. §. 3. Opuſc. medic. Dec. II. diſſ. 7. p. 418. 419.).

Flores antimonii variorum colorum (ANGEL. SALA l. c. p. 336 ſq. LEMERY l. c. P. II. cap. 1.), *Flores antimonii* (MEVDER l. c. p. 110. 111.), ſulphur antimonii partis metallicae portione nunc maiori nunc minore inquinatum, hinc partim album, partim flauum, partim rubrum, parco iam vnius ad quatuor granorum pondere pulueris ſpecie propinatum, violentos (LEMERY l. m. c.) vomitus excitans, eademque facultate vinum, tartarique cremorem perfundens, hinc, quamuis ab ANGELO SALA (l. c. p. 338.) multopere praedicatum, exoletum.

Flores antimonii rubri (ANGEL. SALA l. c. p. 339. LEMERY l. c. P II. cap. 7. 8.), *Tinctura antimonii ſicca Garmanni* (MEVDER l. c. p. 111.) Sulphur antimonii parte metallica adhuc impraegnatum, eaque colore aurantio tinctum, per ſalem armoniacum ſublimatum, eoque per ſubſequentem elutriationem exutum, a tribus ad duodecim grana exhibitum, mox praecedentibus floribus mitius agens, incertae tamen (MEVDER l. m. c.) efficaciae.

Flores antimonii cum ſale communi (LEMERY l. c. P. II. cap. 5.) albi, ſeparato per elotionem ſale, vomitum excitant.

Flores antimonii nitroſi (LEMERY l. c. P. II. c. 2. 3.) detonando nitrum cum duplici aut aequali nitri portione ſublimati, albi, elutriato quamuis ſale, vomitum excitant.

Flos ſtibii Helmontianus (BOERH. elem. chem. P. II. p. 529.) ex antimonio aquae regis ope in pulvis ſpeciem reſoluto, exſiccato, et cum ſale ammoniaco violento igne in flores omnium fere colorum ſublimato natus, truculentos ſuſcitat vomitus, omnino poſt elotum per aquam ſalem inſipidus (*Flos ſtibii Helmontianus emeticus dulcis*) et mitior (BOERHAAVE l. m. c. p. 526.).

Magiſterium antimonii diaphoreticum (ANGEL. SALA l. c. p. 347.) eſt vitrum antimonii in ſubtiliſſimum pollen comminutum atque aceto diſtillato imbutum, ab ANGELO SALA (l. c. p. 348.) doſi granorum trium ad nouem cum vino maluatico deglutitum, vel cum coralliis rubris, matre perlarum, cornuque cerui calcinatis (*Bezoarticum antimoniale* ANGEL. SALA l. m. c.) ſubactum, oleo cinnamomi et caryophyllorum crocoque conditum, atque in trochiſcos redactum, valdopere commendatum.

Acetum emeticum (LEMERY l. c. P. IV. cap. 2.) ex vitro antimonii paratum, minus efficax, ſi cum aceto diſtillato, quam ſi cum aceto crudo aut ex aerugine vi ignis extorto paratum fuerit, quo quidem poſteriori in caſu vtique pars maioris efficacitatis ad cupreas particulas aceto huic eſurino non raro infixas redit.

Tinctura ex croco metallorum Bickeri (SCHRÖDER l. c. p. 437.) eſt acetum acerrimum croco hoc

hoc impraegnatum ad mellis vsque ſpiſſitudinem coctum.

Vinum emeticum (LEMERY l. c. P. IV. cap. 11. et 21.) vinum generoſum antimonii aut regulo in calices vel globulos formato vel in puluerem contuſo, aut hepati, aut croco, aut vitro infuſum, et nycthemeri vel maiori temporis ſpatio elapſo decantatum, viribusque antimonii emeticis magis minusue grauidum, tutius ex tempore parandum, tartari emetici iuſtam copiam in vino diſſoluendo.

Aqua benedicta Rulandi (SCHRÖDER l. c. p. 443. 444.) vinum, cereuiſia, aqua mulſa aut diſtillata, aliusue liquor morbo curando inſeruiens, infundendo vitro vel croco antimonii vi emetica praeditus.

Claretum purgatorium, Vinum hippocraticum antimoniale (SCHRÖDER l. c p. 224.) infuſum vitri antimonii vinoſum ſaccharo et aqua cinnamomi conditum.

Syrupus vomitiuus (SCHRÖDER l. c. p. 290.) vinum emeticum, cinnamomo et aqua roſarum conditum, et cum ſaccharo in ſyrupum redactum.

Oxyſaccharum vomitiuum (SCHRÖDER l. m. c.) acetum emeticum, cum ſaccharo in ſyrupi ſpeciem ſubactum.

Tinctura antimonii acida (ROSENSTENGEL inſtit. chemico-pharmaceut. Francof. 1618. 4. p. 672.) ex aceto emetico in mellis ſpiſſitudinem cocto ope ſpiritu vini parata.

Tinctura antimonii (BASIL. VALENTIN l. c. p. 94 ſq.) ex aceto antimonii cum vitro antimonii pa-

 rato,

rato, ſeparato per diſtillationem et iteratam aquae pluuiae infuſionem aceto, ope ſpiritus vini confecta.

Elixir antimonii (BAS. VALENTIN. l. c. p. 106.) ex aceto emetico cum floribus antimonii rubris parato, ſeparata per lenem diſtillationem aceti portione, ope ſpiritus vini confectum.

III. *Praeparata, interno praeſertim vſui dicata, vomitum excitando potiſſimum efficacia.*

Tartarus emeticus, Tartarus ſtibiatus, Tartarus antimoniatus, Tartarus antimonialis, Antimonium tartariſatum, Stibium tartariſatum, Sal tartareum Mynſichti: Inter principes non antimonialium (F. C. N. THEVNE de medicamentorum antimonialium varia indole ac virtutibus. Hal. 1792. 4. p. 18.) modo atque emeticorum, ſed omnis fere generis remediorum medicinas, et frequentiſſimi ideo noſtra adhuc aetate vſus, cremor tartari metallicis antimonii particulis et emetica ipſorum virtute impraegnatus, aliis (LEMERY cours de chymie. à Bruxell. 1744. 8. p. 695.) flores antimonii argenteos, aliis (LEMERY l. m. c. p. 693. MEVDER l. c. p. 45.) hepar antimonii (*Tartarus emeticus ſiccus*), aliis (Pharmacop. Wirtemberg. Stuttg. 1754. fol. p. 203. The new diſpenſatory Lond. 1765. 8. p. 540. ESTEVE l. c. quaeſt. 4ta.) et primo potiſſimum pharmaci praeſtantiſſimi inuentore MYNSICHT (l. c. p. 13.) crocum antimonii, aliis (Pharmacop. ſuecic. 1776. 8. p. 111. et roſſica Petrop. 1778. 4. p. 124. HARDTMAN aphoriſm. de tartaro antimoniali Lund. 1782. 4.), duce BERGMANO (diſſ. de tartaro ſtibiato Opuſcul.

Vol.

Vol. 1.) et MACQUERO (Dictionnaire de chymie. Tartre emetique) mercurium vitae, aliis (DE LASSONE memoir. de l'Académ. des ſcienc. à Paris, pour l'ann. 1768. et DURANDE hiſt. de la Societé de medecin. à Paris pour 1776. p. 327.) calcem, per alcali vegetabile ex antimonii butyro praecipitatam, aliis vitrum antimonii, nunc per nitrum (LE MORT collectan. chymic. Leydenſ. p. 44. ZWELFFER animaduerſ. in pharmacop. auguſtan. 1693. app. p. 109.), nunc per vitrioli, quod vocant, oleum ſulphure ſuperſtite orbatum (DE LUNEL Journal de med. chir. et pharmacie à Paris. Vol. LIX. 1783. Mart.), nunc praeter accuratiſſimam triturationem nulla praeparatione praegreſſa (Pharmacop. Edinburg. Ed. in German. alt. p. 105. Pharmac. rational. correct. et auct. p. 330. MÖNCH *chemiſch. Journal.* II. p. 73 ſq. et *Bemerkungen über einige Arzneymittel.* Francf. u. Leipz. 1781. p. 37 ſq. HÖPFNER *Abh. über die Bereitung des Brechweinſteins.* Weimar. 1782. 8. DE MACHY nov. act. Ac. caeſar. natur. curioſ. Vol. IV. p. 190 ſq. CAILLE hiſt. de la ſociet. de medec. à Paris ad ann. 1776. p. 328. et memoir. ad ann. 1779. p. 520 ſq. SAUNDERS l. c. p. 80. HEYER *chemiſch. Annal.* 1784. Vol. II. p. 117. 118. WEDDERCOP ibid. 1785. Vol. II. p. 334.) alia atque alia ratione recipientibus, alio alioque modo miſcentibus et laborem nunc inſpiſſando ad ſiccitatem vsque, nunc in cryſtallos redigendo ſalem, perficientibus, vt non poſſit non diuerſa eſſe (quae, quomodo indagari per antimonii reductionem poſſit, oſtendit Cl. BINDHEIM *chemiſch. Annal.* 1787. Vol. I. p. 509 ſq.) metalli in tartaro emetico haerentis (GEOFFROY mémoir de

N 4 l'acad.

l'acad. des ſcienc. à Paris ad ann. 1734. p. 573 ſq. et CAILLE l. c.) portio, diuerſa igitur, ſaltem gradu, efficacitas (SPIELMANN inſtitut. chemiae. Argentor. 1763. 8 p. 304.), multam in vſu eius interno circumſpectionem poſtulans.

Eſt autem tartarus emeticus ſal ochroleucus (candidior multo, qui in cryſtallos redactus eſt), inodorus, debili ſapore praeditus, aquae heliotropio tinctae colorem in rubellum commutans, fumum, ſi ignis vim experiatur, tartareum eructans, in carbonem abiens, et globulum antimonii metallicum relinquens, vino et aqua pura (huius vltra ducentas quadraginta partes requirens) facile ſoluendus (difficilius paulo, qui cryſtallorum formam ſubiit, tam facile, qui per inſpiſſationem paratus fuit, vt aëri opportunus ſponte ſua humeſcat), a principio vegetabili adſtringente (CORNETTE hiſt. de la ſociet. de medec. à Paris, ad ann. 1779. p. 249 ſq.), ferro eiusque calcibus, ſalibus lixiuioſis, magneſia, terra calcaria, aqua calcis, ipſa aqua fontana admiſtis, partes antimonii metallicas dimittens, vt igitur haec omnia ab eius conſortio remouenda, et in eius vſu, niſi nimis inaequalem, nunc valde debilem, nunc violentum effectum exſerere debeat, euitanda ſint.

Primarius autem tartari emetici vſus eſt internus, princeps virtus in vomitu, quem cito, niſi pondus ſit nimium, praeparatio praua, et aegri conſtitutio vel morbi indoles v. g. in alui fluxum aggrauantem et vires exhaurientem prona aduerſetur, tuto, et, quum praeterea odoris expers et fere inſipidus ſit, iucunde excitat, egregium ergo in ve-

nenis,

nenis, praecipue narcoticis (MARDORF de maniacis Gieſſenſibus a ſolano furioſo. Gieſſ. 1691. 4.) deglutitis, proxima via ex ventriculo exterminandis, in digeſtionis vitiis; a ventriculi torpore, nimia ciborum ingurgitatione, pituita natis, in apoplexia (H. A. NICOLAI de directione vaſorum §. 24. in HALLER. diſſert. anatom. Vol. II. p. 549.), tuſſi ſtomachica (MELLIN l. c. p. 16.), colica et dyſenteria (PRINGLE obſervat. on the diſeaſes of the army. Lond. 4. Ed. 5. 1765. p. 201. BAKER de catarrho et dyſenteria Londinenſi epidemica, vtrisque 1762. Lond. 1764. 4. p. 18. CHRN. L. MVRSINNA *Beobachtungen über die Ruhr nebſt einem Anhange von den Faulfiebern.* Berlin. 1780. 8. p. 26.), praeſertim biliofis (TISSOT l. c. p. 307. 329. et lettre à M. ZIMMERMANN ſur l'epidemie courante. à Paris. 1765. 8. p. 66.), in aliis omnis fere generis aegritudinibus tum chronicis tum acutis, a ventriculi et proximi inteſtini duodeni colluvie pituitoſa, bilioſa, putrida (MELLIN l. c. p. 16.), a miaſmate cum ſaliua deglutito proficiſcentibus, et praeuertendis (TISSOT l. c. p. 481.) et ſanandis, in febribus pituitoſis (G. FR. CONSBRVCH hiſtoria febris mucoſo-bilioſae ann. 1783 et 1784 Stuttgardiae graſſatae. Stuttg. 1790. 4. p. 25.), bilioſis (TISSOT l. c. p. 290. NEVMANN neglecta emetica vindicat. Prag. 1781. 8. p. 8. 21. 40.), putridis (I. FR. CONSBRVCH diſſ. de febribus malignis. Tubing. 1759. 4. p. 37. MELLIN l. c. p. 16. BROCKLESBY l. c. p. 147. KRAHMER meditat. circa febres malignas topicas. Argentor. 1765. p. 34. MERTENS obſeruat. medic. p. 15. 62. 136.), exanthematicis, etiam complicatis (HIRSCHEL *medicin. Nebenſtunden.* 1772. 8. p. 121.);

N 5 ipſis,

ipſis intermittentibus (TISSOT l. c. p. 270. 276. HEVERMANN *vermiſchte Bemerkung. und Unterſuch. der pract. Arzneywiſſenſchaft.* 1765. I. p. 36. I. A. MVRRAY de tempore exhibendi emetica in febribus intermittentibus Opuſc. medic. Vol. II. p. 255 ſq.), ex eodem fonte profluentibus, in aſthmate ſtomachico (IVNCKER conſp. therap. ſpec. p. 285.), catarrho ſuffocatiuo, catalepſi, epilepſia et conuulſionibus, potiſſimum infantum (FR. HOFFMANN medic. ration. ſyſtemat. P. IV. 3. p. 68. MELLIN l. c. p. 16. BROUZET ſur l'education medicinale des enfans et ſur leurs maladies. à Paris. 1754. 12. Vol. 2. p. 10.), in diro illo morbo conuulſiuo epidemico, quem a ſecalis cornuti vſu deriuarunt multi (TAVBE *Geſchichte der Kriebelkrankheit, beſonders derjenigen, welche in den Iahren* 1770 *und* 1771 *in den Zelliſchen Gegenden gewüthet hat.* Goetting. 1782. 8. p. 180 ſq.), in mania, melancholia (HAGEDORN apud BONET medic. compilat. Genev. 1683. fol.), malo hypochondriaco, toties ex eadem cauſſa prouenientibus, in aliis morbis, qui, etiamſi non ex primis viis oriundi, ſaburram tamen in ventriculo haerentem, periculum morbi augentem, ſymptomata vrgentia gignentem, comitem habent, v. g. in tuſſi conuulſiua (ROSENSTEIN l. c. et apud eum I. A. MVRRAY, FR. HOFFMANN medic. ration. ſyſtem. T. IV. P. 3. p. 414. EBELING diſſ. de tuſſi infantum conuulſiua. 4. Goetting. 1768. p. 13. OSTERMANN diſſ. de tartaro emetico. Goett. 1777. 4. p. 16. FOTHERGILL medic. obſervations by a Society of phyſicians at London. T. III. n. 30. ARMSTRONG eſſay on the diſeaſes moſt fatal to infants. p. 81. 95. KIRKLAND de pertuſſi. Edinb. 1772. 8.

FISCHER

FISCHER et FORKE apud WITTING diſſ. de tartari emetici praeparatione et viribus medicis. Goetting. 1788. 8. p. 80. MELLIN l. c. p. 17.), hydrope (Act. ſociet. medic. Hafnienſ. Vol. I. 1783. p. 294.), rhachitide (A. H. FASCH diſſ. de rhachitide. Ienae. 1682. 4. BOERHAAVE praelection. academ. edit. HALLERI. Goetting. 1744. 8. Vol. VI. p. 416.), podagrae (I. BACMEISTER caſus laborantis podagrae. Roſtoch. 1658. 4.), aſthmatis, catalepſeos, morbi hyſterici (MELLIN l. c.) inſultibus vſus quam saluberrimi.

Exhibetur tartarus emeticus infantibus ab octaua grani parte ad granum dimidium et vltra, adultis a grano vno ad quatuor, vt tamen melancholicis, maniacis, epilepticis, hydropicis perinde ac illis, qui a venenis narcoticis, aut ab halitibus noxiis in vitae periculum inciderunt, largiori multo doſi opus ſit, et ſint inter hos qui a granis ſex (WITTING l. c. p. 51.), imo a ſcrupulo integro et drachma media (GRANDIDIER apud MÖNCH *Lehre von Arzneymitteln.* p. 104.) vix afficiuntur; propinatur vero pulueris forma, nunc, duce MARYATT (apud HOULSTON obſervations on poiſons and on the uſe of mercury in the cure of obſtinate dyſſenteries. London. 1784. 8. p. 59.), qui, vt parca modo potus copia deglutito pulueri ſuperingeratur, praecepit, hinc *tartarum emeticum ſiccum* dixit, aequali vitrioli caerulei ponderi intermiſtus, cuius miſturae v. g. ad venena ſtupefacientia ex ventriculo eiicienda granis quinque ad octo opus eſt, nunc, aquam, lac, infuſum theae etc. ſuperbibendo, praeſertim ſi infantibus praeſcribitur, ſaccharo inter-

tertritus (HILSCHER de vomitoriorum natura, vſu et abuſu. Ienae. 1732. 4. p. 21.), e. g. ita, vt vnum eius granum cum ſacchari drachma, vel (MÖNCH l. m. c. p. 105. 106.) granis ſexaginta tribus teratur, et hoc praebium in ſex vel octo minora diſpertiatur, nunc cum cremore tartari ſimplici (MÖNCH l. m. c. BVCH de tartari emetici praeſtantia. Erlang. 1777. 4. p. XXXI.) aut ſolubili (BVCH l. m. c.), nunc cum nitro (BVCH l. m. c.), nunc (*Tartarus emeticus ſolubilis*) cum ſale armoniaco (LASSONE memoir. de la Societé de medecine à Paris. 4. Vol. I. 1776. p. 374.) permiſtus: Sunt, qui ipecacuanhae radici coniunctum (PRINGLE diſeaſes of the army. III. S.IV. c. 4.), chelis (I. FOTHERGILL l. c.) vel lapidibus cancrorum (D. MONRO account of the diſeaſes, which were moſt frequent in the britiſh military hoſpitals in Germany. Lond. 1764. 4.), magneſia alba (MELLIN l. c. p. 17.), ſale Glauberi et aliis temperatum commendant; at vereor cum Cl. MÖNCH (l. c. p. 105.), ne his additamentis in ſuas partes diſcedat tartarus emeticus, et inaequalis inde euadat eius efficacia; idem quoque contingere poſſet ab addito vitrioli ſpiritu (BVCH l. c.).

Frequentius propinatur hoc medicamen noſtra aetate forma fluida, ſiue ſpiritu Mindereri (BVCH l. c.), ſiue quod praeſtat, aqua meraca diſtillata (*Liquor tartari emetici*) ſolutum; habet enim ſimplicior haec forma id commodi, vt non aequabiliſſime tantum per omne fluidum diſtributus ſit et maneat tartarus emeticus, ſed, quum tartarus hic non ſemper eiusdem ſit potentiae, aegri alii aliis in vomitum magis procliues, hi ſingulis

horae

horae quadrantibus cochleare liquoris ſorbendo, donec tandem effectum ſuum edere incipiat, a periculo nimis violenti vomitus tuti ſint: Poteſt tamen et huic ſolutioni addi aut cremor tartari (MACQUER l. c.), aut ſal ammoniacum (LASSONE l. m. c.), aut ſaporis gratia ſyrupus.

Sunt denique, qui (MONRO *Arzneymittellehre*. I. p. 315.) cum conſerua quadam in pilularum formam ſatis incongruam redigunt.

At non euacuando tantum ventriculum et proximum inteſtinum duodenum, ſed concutiendo quoque easdem vicinasque partes, aliorum emeticorum inſtar, quemadmodum nocere, ita prudenter adminiſtratus prodeſſe mirifice poteſt tartarus emeticus: An forte ex hac cauſſa prouenit ſalubris eius in vermibus, ipſa adeo taenia, ex inteſtinis expellendis, morbis, quos hi gignunt, perſanandis, efficacia, quam DAN. LVDOVICI (Ephemerid. Acad. Caeſ. Natur. Curioſ. ann. III. Obſ. 254.), AVLBER (apud SCHEID diſſ. de epilepſia verminoſa. Argentor. 1780.), BROVZET (l. c. p. 60.), ARMSTRONG (l. c.), TODE (Collectan. medic. Havnienſ. I. p. 28.), MELLIN (l. c. p. 16.), BVCH (l. c. p. XX.) experti ſunt? an ex ea cauſſa vis, quam in excutiendo ex pulmonum bronchiorumque anguſtiis pure ac tenaci muco in multifariis huius organi vitiis circumſpecto vſu praeſtitiſſe perhibetur? an inde obſeruatus in angina membranacea (BVCH l. c. p. XXIX. CALLISEN act. ſoc. medic. Hafnienſ. 8. Vol. I. 1777. n. 4. SALOMON Kongl. Svenſk. Vetenſk. Academ. Handl. 1771. Vol. 34. CRAWFORD diſſ. de cynanche ſtridula. Edinb.

Edinb. 1771.) et phthiſi pituitoſa (A. G. RICHTER *mediciniſche und chirurgiſche Bemerkungen*. Goetting. 8. Vol. I. 1793. p. 247 ſq.) effectus? an inde virtus, infarctus atque obſtructiones in viſceribus abdominis cetera ſanis obuias tollendi (BOERHAAVE l. m. c. §. 1202. p. 414.)? natum exinde vel a calculis ductus biliarios obturantibus (COE on biliary concretions. London. 1757. 8. cap. 5. p. 253.) icterum, promanantem ex ſimili fonte hydropem (FR. HOFFMANN de cauto et praeſtantiſſimo vomitoriorum vſu. obſ. XII. in opuſc. medic. varii argumenti. Hal. 4. 1739. Dec. II. n. 7. p. 439. 440.) ſanandi? foetum mortuum (BOERHAAVE apud FR. HOFFMANN l. m. c.) expellendi? amauroſin (SCHMVCKER *chirurgiſche Wahrnehmungen*. I. p. 273. RICHTER l. m. c. p. 240. et apud OSTERMANN l. c. p. 20.), incaſſum tamen tentante MELLIN (l. c. p. 15.), et fiſtulam lacrymalem (RICHTER *Anfangsgründe der Wundarzneykunſt*. II. p. 457.), caecitatem et ſurditatem (PVSCHEL apud SCHMVCKER *vermiſchte chirurgiſche Schriften*. Berlin u. Stettin. 8. Vol. 2. art. 7. n. 8. ſuperandi? Symptomata a commotione cerebri vehementi nata (CREVZWIESER ap. SCHMVCKER l. m. c. art. 22.) delendi?

Idem vero tartarus emeticus non vomitum modo, ſed facile quoque aluum mouet, adeo vt aliquando diarrhoea vires peſſundante, quam gignit, et aegrotum et medicum terrefaciat (HIRSCHEL *medicin. Nebenſt*. Berlin. 1772. 8. p. 134.), et in iis morbis euitari eam ab cauſſam ſollicite debeat, quibus, etſi vomitoria apprime conducunt, alui tamen fluxus quam maxime nocet, cum e contrario in aliis

morbis

morbis (HIRSCHEL l. m. c. p. 25. 41.), in quibus, praegreſſo prius aliquoties vomitu, canalis quoque cibarius a ſordibus impactis liberandus eſt, aliis emeticis praecellit; aqua ſolutus, et parciori (dimidia circiter) doſi propinatus, quam quae vomitum excitare poſſet, medicaminis aluum mouentis (HIRSCHEL l. m. c. p. 28. 33. 34. 46.), in infantum quoque morbis (ARMSTRONG l. c. WITHERS *Bemerkungen über die Fehler, die bey dem Gebrauche der Arzneymittel begangen werden, aus dem Engl. überſ.* Leipz. 1776. 8. p. 77. 78. NICOLAI *Recepte und Curarten.* Ienae. 1780. p. 280.) vices agit. Egregie denique inſervit acuendae, ſi parciſſima tantummodo doſi illis adiiciatur, aliorum aluum purgantium efficaciae (HIRSCHEL l. m. c. p. 25.).

Minori porrò pondere exhibitus vrinam, ſudorem (SCHVLZE de vomitu et vomitionibus. Hal. 1744. p. 25.) tranſpirationem inſenſibilem promouet, ſingulis his finibus forma ſoluta magis accommodatus, ea propter in hydrope (D. MONRO eſſay on the dropſy and its different ſpecies. London. 12. II. Edit. 1756. MELVE LA TOUCHE journal de medecine, chirurgie, pharmacie etc- à Paris. T. XII. 1760. Apr. p. 324. PRINGLE on the diſeaſes of the army etc. p. 256. BROCKLESBY *Beobachtungen zur Verbeſſerung der Kriegslazarethe und der Heilart der Feldkrankheiten, aus dem Engl. überſ. von* SELLE. Berlin. 1772. 8. p. 188. BRISBANE ſelect caſes in the practice of medicine. London. 1772. p. 51. MELLIN l. c. p. 17. BALDINGER l. c. p. 358. WILLICH apud BALDINGER *neues Mazazin für Aerzte.* Leipz. 8. Vol.

VIII.

VIII. p. 245 ſqq. OSTERMANN l. c. p. 19. HEVERMANN l. c. NEVMANN l. c. p. 81. et apud MIKAN p. 73.), cum arcano duplicato et radice ſquillae coniunctus (ANONYMVS *mediciniſche Ephemeriden nebſt einer mediciniſchen Topographie der Grafſchaft Ravensberg*. Chemniz. 8. 1793. p. 184.) in ipſo pectoris hydrope, in morbo iſchiadico (THEDEN *Unterricht für die Unterwundärzte*), in rheumatiſmis aliis, ad grani quartam vel mediam partem de die propinatus (BROBKLESBY l. c. p. 89.), aut nitro iunctus (MACBRIDE methodical introduction to the theory and practice of phyſic. Lond. 4. Vol. II. 1772. p. 508.), in arthritide eiusque ſpeciebus ea doſi, qua nauſeam quidem neque tamen vomitum excitat (WITHERS l. c. p. 103.), et in ea quidem, quae per regulares acceſſus redit, breui ante nouum morbi inſultum temporis ſpatio ſumtus; in exanthematibus tum in corporis ſuperficie conſeruandis, tum, ſi retropulſa fuerint, expellendis (HIRSCHEL *von dem vorzüglichen Nutzen und Gebrauch des Brechweinſteins*. p. 154. WITHERS l. c. p. 169.), in variolis potiſſimum (GVNDELSHEIMER act. Berolin. Dec. II. Vol. II. art. 2. GOUTARD du traitement et de l'extinction de la petite verole et de la rougeole. Lyon. 1768. 8. HARDTMANN praeſ. WOLLIN aphoriſmi de tartaro antimoniali. Lund. 1782. §. XI. MARX *Anweiſung, wie man Blatternpatienten auf eine einfache und wenig koſtbare Art behandeln ſoll.* Hannov. 1784. HANNES de inſitione variolarum in vrbe patria Veſalia tentata. Veſal. 1772. 8. QUIER medical transactions publiſhed by the college of phyſicians at London. 1772. n. 19. GLASS letters I. II. to Dr. BAKER on the manner

of

of procuring a favourable kind of ſmall pox etc. Lond. 1767. 8. DIMSDALE *neue Methode für die Einpfropfung der Pocken, aus dem Engl. überſ.* Zürich. 1768. 8. p. 9. 13 ſq. WITHERS l. c. p. 109. HIRSCHEL l. m. c. OSTERMANN l. c. p. 18.), perinde ac in aliis febribus intermittentibus (SIMS obſervations on epidemical diſorders with remarks on nervous and malignant fevers. London. 1773. 8. p. 206.), etiam puerperali (LEAKE practical obſervations on the childbed fever. London. 1772. 8. Sect. 2.), pro alia atque alia indicatione, oxymelli ſquillae, acidis vegetabilibus, cremori tartari, mercurio dulci, ſaccharo (FORDYCE elements of practice. §. 162.), camphorae, et opio praeſertim (WITHERS l. c. p. 169. HIRSCHEL *mediciniſche Nebenſtunden.* p. 18. 19. 105.) combinatus.

Neque reticenda eſt virtus tartari emetici reſoluens, quam refracta pariter at diu continuata doſi (THEDEN l. m. c.) propinatus exercet; ea propter in obſtructis abdominis viſceribus, in morbis pectoris, etiam acutis, a muco tenaci pulmones infarciente natis (WITHERS l. c. p. 100.), ipſis adeo, praegreſſa venaeſectione, inflammatoriis, pleuritide et peripneumonia (WITHERS l. m. c. p. 99. HARDTMANN l. c. §. VIII.) commendatus.

Memoranda denique venit eximia eius, ſiquidem eo pondere exhibeatur, quo nauſeam, non vomitum mouet, in ſpasmis ſedandis efficacitas, quae certe multum confert ad egregios effectus, quos toties iam in febribus malignis, et ipſis, ſi quidem ita porrigatur, vt primus eius effectus tempori hor-

roris et frigoris febrilis reſpondeat (MELART de tempore exhibendi emetica in febribus intermittentibus maxime opportuno. Goetting. 1782. p. 24-36. CAVSLAND, qui tamen grani dimidii aut vnius doſi bis per diem pilularum forma exhibuit, medical commentar. by DUNCAN. Vol. VIII. for 1781 et 1782. 1785. et A. O. RICHTER *mediciniſche und chirurgiſche Bemerkungen.* Vol. I. p. 136.), intermittentibus, tuſſi conuulſiua, morbisque vehementi dolore ſtipatis praeſtitit, qua ipſa eius diaphoretica vis niti videtur: Quare in conuulſionibus tum adultorum tum infantum, et in ipſa epilepſia potentius auxilium deprehenderunt nullum poſt R. LENTILIVM (Eteodrom. medico-practic. ann. 1709. Stuttgard. 1711. 4. p. 33.) et immortalem WERLHOFIVM (Oper. omn. T. III. p. 726.), WICHMANN (apud eund.), RICHTER l. m. c. p. 133. HIRSCHEL *medicin. Nebenſt.* p. 30. et *Gedanken die fallende Sucht betreffend.* p. 42.); in convulſionibus infantum MELLINO (l. c. p. 16.) egregiam quoque opem tulit, vt tamen in iis conuulſionibus, quae a dentitione difficili proficiſcuntur, multa circumſpectione opus ſit: Ex hac potiſſimum ſpaſmis medendi vi ſolatium deriues, quod a parciſſima eius doſi aliquando experti ſunt medici in mania (FERRIAR l. c. p. 172.), in ſanguinis fluxibus, in haemoptyſi GREGORY (elements of practice. §. 337.) et WITHERS (l. c. p. 110-112.), et praeſertim in vteri haemorrhagia (LEAKE l. c. p. 260.), etiam in hernia incarcerata RICHTER (*chirurg. Bibl.* Vol. V. faſc. 3. p. 456.).

Externo quoque vſu celebratur tartarus emeticus: Emetica in venas intruſa vomitum ciere

poſt

poſt LIEBERKÜHN et LOESECKE repetitis nuperius experimentis confirmauit F. FONTANA (*Abhandl. über das Viperngift etc., aus dem Franzöſ. überſ.* 4. Berlin. 1787. p. 454.): Tartari emetici granis ſex aqua ſolutis et in brachii venam iniectis aegrotum a magno carnis fruſto in oeſophago defixo vomitu ſuperveniente feliciter liberauit KÖHLER (ap. SCHMUCKER *vermiſcht. Schrift.* I. p. 335.). Vomitoria, etiamſi in anum iniiciantur, vomitus excitare, recentius teſtatur KAEMPF (*Abhandlung von einer neuen Methode, die hartnäckigſten Krankheiten im Unterleibe zu heilen.* Deſſau und Leipz. 1784. 8.): Ad aliquot grana enemati adiectus, ſtimulum, quem hoc v. g. in apoplexiae inſultibus addit, mirifice auget. Externo alio vſu non quidem vomitum, nauſeam tamen ſuſcitare, aluum ſtimulare, vrinam et ſudorem mouere, periculis partim in ſe ipſo captis, nuperius comprobauit SHERWANS (Memoirs of the medic. ſociet. of London. 8. Vol. II. 1789. n. 34. p. 386.); aqua ſolutum (ſcrupulum medium in aquae vncia) vlcera inueterata egregie detergere, carnes fungoſas verrucasque venereas exedere, tineam capitis ſanare teſtis eſt BLIZARD (London medical journal. 8. Vol. VIII. for 1787. P. I. n. 5. p. 57 ſq.), in ophthalmia chronica et corneae maculis, penicilli vel linteoli mollis detriti ope applicatum, multum profeciſſe aſſerunt Cl. FISCHER (*Götting, Anz. von gel. Ding.* 1788. p. 1072.), VOGLER (l. c. p. 62.) et WITTING (l. c. p. 88.); in poſterioribus delendis efficacem quoque comperit (*Abh. vom Brechweinſtein.*) HIRSCHEL.

Panacea vniuerſalis, *Panacea antimonialis emetica*, *Tartarus emeticus ſolubilis* (LEMERY l. c.

P. III. c. 35.), ſal medium compoſitum ex ſale febrifugo Syluii et tartaro tartariſato, antimonii praeterea particulis metallicis impraegnatum, ex quatuor olei antimonii, octo cryſtallorum tartari, quadraginta octo aquae, et quinque ſalis tartari partibus paratum, ad aëris acceſſum in liquorem conuerſum, guttarum octo ad viginti quatuor doſi lenes vomitus excitans.

Tartarus tartariſatus emeticus, *Stibium tartaro-tartariſatum* (BERGMAN de tartaro antimoniato. §. 7. 9. 11. Opuſc. Vol. I. p. 353-355. 360. 363.) ex vitro antimonii vel mercurio vitae cum tartaro tartariſato et aqua cocto paratus, habitu ad aërem et ignem, perinde ac virtute ſalutari, tartaro emetico ſatis affinis, coloris expers, aquae circiter partes quadraginta, vt ſoluatur, requirens, facile cryſtallos, rarius tetraëdricas, quam octaëdricas formans.

Vinum antimoniale, *Vinum antimonii Huxhami*, *Tinctura antimoniata*, *Eſſentia antimonii*, *Eſſentia emetica*, monente iam BASIL. VALENTINO (l. c. p. 101.), imperante praeter alios etiam SCHRÖDERO (l. c. p. 443. a.), optime ex vitro antimonii, et, docente HUXHAMIO (Obſeruat. de aëre. Vol. I. p. 140. Eſſay on fevers. London. 1767. 8. p. 229. Philoſoph. Transact. ad ann. 1754. Vol. 48. P. 2. n. 105. p. 863.) cum vino dulci hiſpanico paratur, grata medicina, in qua praeter vinum guſtus et olfactus nihil animaduertit, ac, modo breui ante vſum (THEVNE diſſ. de medicamentorum antimonialium varia indole ac virtutibus. Hal. 1792. 4. p. 18.) temporis

poris ſpatio parata, atque in ea conficienda iuſta cura adhibita fuerit, tuto et ſatis aequabiliter efficax, tartaro tamen emetico, quocunque fine ea vtaris, vtraque dote inferior, huius ad inſtar vomitum excitans, ſi largiori paulo doſi vnius vel ſeſquiunciae, vel, ſi corpus robuſtum et pituita oppletum fuerit, duarum vnciarum, infantibus vnciae mediae, vel drachmarum duarum, minoribus quatuor ad ſex annos agentibus drachmae vnius, bi- vel triennibus guttarum viginti ad quadraginta, minoribus adhuc ſex ad quindecim porrigatur.

Frequentius tamen eo ſcopo exhibetur, vt ſpiſſos humores reſoluat, pituitam tenacem, pectus, v. g. in aſthmate, tuſſi conuulſiua, obſidentem incidat, tranſpirationem inſenſibilem promoveat, ſpaſmos leniat, cui quidem eximie reſpondet, parciori primo guttarum viginti ad triginta, infantibus quatuor, et anniculis quidem duarum per diem praebio exhibita, quotidie guttula vna vel altera ſuperaddita, donec nauſea aliique vomitionis praenuncii limites ponant, in viſcerum obſtructionibus (BALDINGER l. c. p. 344.) et ſexcentis illis morbis chronicis, ex hoc ſolo fonte promanantibus, rhachitide, arthritide, rheumatiſmo pertinaci, exanthematibus chronicis (BELL treat. on ulcers etc.), catarrho ſuffocatiuo, tuſſi conuulſiua, malo hypochondriaco, ipſis vermibus (STÖLLER *Beobachtungen und Erfahrungen aus der innern und äußern Heilskunſt.* 8. Goth. 1777.) mirae efficaciae.

Emeticum antimonii mitius (BOERHAAVE Element. Chem. II. p. 575.), *Antimonium diaphore-*

ticum (SPIELMANN inſtitut. chemiae. Argentor. 1763. 8. p. 234.) ex antimonio cum dupla nitri portione detonante et per aquam ſuperaffuſam ſale ſuo orbato natum, album, teſte BOERHAAVIO (l. m. c.) lene emeticum, blandum reſoluens, attenuans, diaphoreticum.

IV. *Praeparata, interno quidem vſui dicata, alia tamen potius, quam emetica virtute celebria.*

Kermes minerale, *Alkermes minerale*, *Pulvis Carthuſianorum*, *Panacea Glauberiana*, *Wilſon's Panacea*, *Sulphur antimonii praecipitatum per ſe*, *Sulphur antimonii fixum*, *Sulphur antimonii impurum*, *Sulphur antimonii alcaliſatum*, *Ruſſel's Powder*, *Poudre des Chartreux*, puluis ſpadiceus ex ſulphure et antimonii calce (T. BERGMAN de antimonialibus ſulphuratis. §. VI. Opuſc. Vol. III. p. 175.) conflatus, nullum, modo rite paratum ſit, ſalem liberum continens, et tum, terendo in mortario frigido cum ſale cauſtico extracti mollitiem, colorem citri, porrique putreſcentis nidorem nanciſcens, optime coquendo aut antimonium crudum cum lixiuio cauſtico (Pharmac. rational. Caſſell. 1782. 8. p. 182.), aut antimonii, quem vocant, regulum (F. FONTANA mémoir. de l'Acad. royal. des ſcienc. à Turin. pour les ann. 1786. 1787. p. 104.) cum ſulphuris hepate aqua ſoluto parandus, iam a GLAVBERO (*Miraculum mundi, oder ausführliche Beſchreibung der wunderbaren Natur, Art und Eigenſchafft deß Groſsmächtigen Subjects, von den Alten Menſtruum univerſale oder Mercurius philoſophorum genandt.*

nandt. Hanow. 1653. 8. p. 22.), vti quidem nonnullis videtur, a ROUSSEAU (préſervatifs et remedes univerſels tirés des animaux, des vegetaux et des mineraux. Paris. 1706. 12. p. 95.), N. LEMERY (l. c. P. I. p. 4.), I. FR. VIGANI (medulla chymiae. Norimb. 1781. 8. p. 48. et I. BOHN append p. 129.), STABELIO (Chymia dogmatico-experimentalis. Hal. 1728. 8. T. 2. p. 315.), FR. HOFFMANN (diſſ. de mirabili ſulphuris aurati antimonii efficacia in medicina, in Opuſc. medic. var. argument. Hal. 1739. 4. Dec. II. diſſ. 9. p. 484. et obſeruat. phyſico-chymic. ſelectar. Hal. 1736. 4. L. III. p. 263-265.), et SENACO (Nouveau cours de chymie ſelon les principes de NEWTON et de STAHL. à Paris. 1723. 12. T. II. p. 202.) memoratus, a Chirurgo Gallo, DE LA LIGERIE, ad quem arcanus conficiendi modus per pharmacopoeam quendam Germanum, GLAVBERI diſcipulum, interueniente regis locum Landauii tenente de CHASTENAY, peruenerat, anno 1713 primum fratri Carthuſianorum Lutetianorum pharmacopoeo SIMONI, qui eodem tempore, quo omnes ex antimonio fabricatae medicinae a ſummo Gallorum magiſtratu proſcriptae erant, per longum temporis interuallum ſolus parabat, atque in inſigne collegii, cui adſtrictus erat, emolumentum diuendebat, et anno demum 1720, poſtquam numeroſae eaeque feliciſſimae eius ope peractae medicationes id effecerant, vt non vulgo tantum, ſed medicorum quoque et procerum aſſenſu celebraretur (L. LEMERY Mémoir. de l'Acad. des ſcienc. à Paris. ann. 1720. p. 542 ſq. FR. X. MILLARS diſſ. de explorata kermes mineralis ſiue pulueris Carthuſianorum in

O 4 medendo

medendo efficacia Argentor. 1752. 4.), Regi Galliae, tum temporis Ludouico XIV. manifeſtatus, qui magno numerato pretio praeſcriptam a la LIGERIE, et fauſto hactenus cum ſucceſſu peractam a fratre SIMONE operandi rationem cum ſua ſcientiarum Academia communicabat, eamque vt exploraret atque vlterius perficeret, commendabat.

Tuta haec (FR. HOFFMANN Opuſc. Dec. II. p. 485. §. 18.) medicina, licet largiori paulo doſi granorum quatuor, ſex et plurium propinata (LA LIGERIE in ſcheda, qua 1720 remedii ſui confectionem palam docuit), aut obuium in ventriculo acidum offendens (GEOFFROY mater. medic. I. p. 226.) vomitum, eumque tamen lenem (N. LEMERY l. c.) excitet, rarius tamen eo ſcopo a medicis praeſcribitur, niſi velis, in febribus intermittentibus, quarum prima ſedes in ventriculo haeret, grana eius quatuor ad ſex aliquot ante nouam mali inuaſionem horis cum ſale quodam medio exhibita mirifice profeciſſe (MILLARS l. c. §. XXVII. p. 57.): Aluum porro ſtimulat (N. LEMERY et GEOFFROY ll. cc.), eo tamen fine ſola rariſſime adhibita, crebrius aliis purgantibus, ad acuendam eorum potentiam granuli integri vel dimidii pondere adiecta.

Potior eius vis eſt in tranſpiratione inſenſibili primouenda ſudoreque ciendo (N. LEMERY l. c. FR. HOFFMANN de mirabili ſulphuris antimonii aurati efficacia. §. 19. 24. 25. p. 486. 490.), ideo in morbis a tranſpiratione ſuppreſſa oriundis, rheumatiſmis, catarrhis, febribusque catarrhalibus, in morbis exanthematicis, tum acutis (CARTHEVSER pharmaco-

macolog. p. 500. E. A. NICOLAI progr. I. II. de virtutibus ſulphuris antimonii aurati. Ienae. 1763. p. 111.), e. gr. morbillis (FR. HOFFMANN medic. rational. ſyſtemat. T. IV. P. 1. p. 191.), variolis et petechiis (IDEM de mirabili ſulphuris aurati antimonii efficacia. §. 19. p. 486.), tum chronicis (IDEM obſerv. phyſico-chymic. ſelect. III. p. 265.), e. gr. ſcabie (IDEM de mirabili etc. §. 19.), etiam rebelli (IDEM obſeruat. etc. III. p. 266.), iis quoque, quae ex labe venerea propullulant (IDEM l. m. c.), febribus intermittentibus (IDEM l. m. c. et de mirabili etc. §. 19.), arthritide (FR. HOFFMANN et E. A. NICOLAI ll. mm. cc. DE WOLTTER *patriotiſcher Landbader.* 1777. 8) epiphora atque vlceribus inueteratis (FR. HOFFMANN obſerv. etc. L. III. p. 265.) proficua fuit.

Princeps huius medicinae virtus porro reſidet in attenuando muco; hinc in iis morbis, in quibus et medici finis, et naturae medicatricis vires eo tendunt, vt mucus incidatur atque eliminetur, hinc in morbis pectoris (N. et L. LEMERY ll. cc. BASTER Verhandeling. der hollandſch. Maatſchapp. der Weetenſchapp. te Haarlem. 8. P. II. 1753. p. 36. MELLIN l. c. p. 244.), tum chronicis, e. gr. aſthmate convulſiuo (FR. HOFFMANN obſerv. etc. L. III. p. 265.), tuſſi conuulſiua (LIEUTAUD ſynopſ. vniv. prax. med. 1765. 4. p. 494. BOURDELIN et BASSEVILLE Ergo tuſſi puerorum clangoſae vulgo Coqueluche emeſis. Pariſ. 1752. §. 4. HABLA de tuſſi conuulſiua infantum. Vienn. 1772. 8. p. 47. QUARIN animaduerſ. practic. 1786. 8. p. 36. HASLER *Abhandlung über den Keichhuſten.* 1789. 12. DANZ *Verſuch einer allgemeinen*

 Geſchichte

Geſchichte des Keichhuſtens. Marburg. 1791. 8. p. 148.), ipſo pectoris hydrope (LIEUTAUD l. c. I. p. 192.), tùm acutis, ipſis, venaeſectione atque antiphlogiſticorum vſu praegreſſis, inflammatoriis (L. LEMERY l. c. p 420. VAN SWIETEN l. c. II. p. 797. VAN DEN BOSCH hiſtoria conſtitutionis epidemicae verminoſæ, quae annis 1760. 1761. 1762. et initio 1763 per inſulam Overflacque et contiguam Goedeseede graſſata fuit, cum perpetuis fere commentariis in praecipuos verminantium morbos etc. 1769. 8. p. 231 ſq. MONTROC journ. de medec., chir., pharmac. etc. ann. 1791. T. XXXV. p. 503.) egregii vſus.

Simili cautela adhibita in aliis pariter febribus inflammatoriis, (teſtibus medicis Argentoratenſibus apud MILLARS l. c. p. 63.), e. gr. in angina (BOVILLET et RAZOUX tables noſologiques et météorologiques très étendues, dreſſées à l'Hôtel-Dieu de Nismes, depuis le premier juin 1757. jusque au prem. Janv. 1762. Basle. 1767. 4. p. 142.); atque eadem vi mucum incidente in glandularum obſtructionibus reſerandis (FR. HOFFMANN obſerv. etc. L. III. p. 265. WOLTTER l. c.) opem tuliſſe fertur.

Porrigitur autem grani vnius vel duorum, infantibus dimidii vel quadrantis pondere, ſingulis quaternis horis repetito (niſi vomitum excitare velis, quo in caſu doſes maiores eaeque rariores praeſtant), mercurio dulci, ſi glandulis obſtructis opponas (WOLTTER l. c.), lapidibus cancrorum, liquiritiae radici, optime ſaccharo intertritum, cum aqua vel infuſo calido, quod alii (v. g. BOURDELIN l. c.) praeferunt.

Sulphur

Sulphur antimonii auratum aurei vtique coloris, non tamen ideo, ſed quoniam argento colorem auri affricat, hoc titulo condecoratum, BAS. VALENTINO (l. c. p. 168.) iam cognitum, potius omnino duce Cl. GOETTLINGIO (*Neueſte Entdeckung. in der Chemie.* Vol. II. p. 34 ſq.) antimonium addito ſulphure communi tam diu, donec vtrumque penitus ſolutum ſit, cum lixiuio cauſtico coquendo, et ex lixiuio per chartam griſeam transmiſſo ope ſpiritus vitrioli praecipitando, quam HUXHAMI (Philoſ. Tranſact. Vol. XLVIII. P. 2. n. 105. p. 853.), aut MEVDERI (l. c. p. 62.), aut CONERDINGII (Panacea Conerdingiana apud FR. HOFFMANN obſerv. phyſico-chem. ſelect. L. III. p. 263.), aut alio (I. TH. ERHARD diſſ. de variis ſulphur auratum antimonii parandi methodis, eiusque vſu medico. Erford. 1775.4.) modo, parandum, ruborem, quo perfuſa eſt eius flauedo, particulis antimonii metallicis debens, quarum tamen minorem longe (T. BERGMAN l. m. c. §. V. VII. p. 174. 175.) portionem ($\frac{1}{4}$ circiter) continet, quam kermes minerale.

Et hoc medicamentum antimoniale rarius (VNZER *Hamburg. Magazin.* Vol. VIII. 1751. p. 360.), nec niſi copioſius iuſto deglutitum aut ventriculo iam in vomitum procliui largiorem et moleſtum vomitum excitat, hinc rarius eo ſcopo a medicis exhibetur, vt tamen interdum, vomitum excitando, et vel ex ventriculo bilem, vel ex pulmonibus viſcidam materiem (DELIVS nov. act. phyſic. med. Acad. Caeſar. Natur. Curioſ. Norimb. 4. T. II. 1761. n. 81. p. 324.), vel pus (MELLIN l. c. p. 243.) excutiendo,

cutiendo, feliciter operetur, et tum in ſanandis febribus intermittentibus (VNZER l. c. p. 368. WERLHOF obſeruat. de febrib. Hannov. 4. p. 76.), tum in catarrho ſuffocatiuo (IVNCKER conſp. therap. ſpec. Hal. 1751. 4. p. 913. ALBERTI de catarrho ſuffocatiuo eiusdemque remedio efficaci. Hal. 1720. 4. I. F. OFTERDINGER *Anleitung für das Landvolk.* Zürich. 1773. 8. p. 361. 693. VNZER l. c. p. 364. DELIVS l. m. c.), aſthmate, a viſcida materie pectus opplente nato (FR. HOFFMANN medic. ration. ſyſtemat. T. IV. P. 3. p. 334.) et tuſſi ferina (VNZER l. c. p. 370.), tum in rumpenda atque euacuanda vomica (QUARIN method. medend. inflammation. Vindob. 1774. 8. p. 97. MELLIN l. c. p. 243.) mirifice proſit.

Aluum quoque mouet (VNZER l. c. p. 360. 368. 370. 371. et Vol. IX. p. 614. MELLIN l. c. p. 241.), ſiue ſolum exhibeatur ac meracum, ſiue, quod potius eſt, cremori tartari aut alteri ſali neutri perfecto (VNZER l. c. p. 363.) iunctum, hac quoque excretione aucta aegris febre intermittente, ſi quidem hora ſeptimum vel nonum febris acceſſum praegrediente (VNZER l. c. Vol. VIII. p. 367.) ſolum, vel (C. TH. MEDICVS l. c.) cum extracto centaurei minoris in pilulas redactum porrigatur, in tuſſi catarrhali morbillos excipiente (VNZER l. c. p. 371.) et ferina (VNZER l. c. p. 370.) laborantibus ſalutare; ialapae vim vermes expellendi et necandi eius conſortio acui expertus eſt MELLIN (l. c. p. 36.).

Praecipua porro huius ſulphuris vis eſt in ſudore ciendo (VNZER l. c. Vol. VIII. p. 361. KOPPE ibid. Vol. XI. p. 512. CLOSSIVS noua variolis medendi

dendi methodus. Trai. ad Rhen. 1766. 8. p. 131.), qua facultate aegrotis, aſthmate (VOGLER l. c. p. 153.), tuſſi ferina (CLOSSIVS l. m. c.), arthritide (VOGLER l. m. c.), febre intermittente (HOPPE l. m. c.), exanthematibus vel aegre prodeuntibus vel regredientibus (CLOSSIVS l. m. c.), morbillis confluentibus (CLOSSIVS l. c. p. 36.), tinea (A. PLUMMER phyſical eſſays read before a ſociet. at Edinb. Vol. I. 1754. 8. n. 6.), in diabete (CORMICK ap. BRVGNATELLI bibliothec. fiſica d'Europa. Pavia. 8. T. XVI. 1790. n. 8.), in ipſis morbis venereis (PLUMMER l. m. c. G. DENNISTOUN phyſical and litterary eſſay read before a ſociety at Edinb. Vol. I. n. 15. p. 391.) conducit, quem tamen in finem cum mercurio dulci (*Puluis alterans*, et ſi, addito gentianae extracto, gummi vel reſina guaiaci pilularum formam nanciſcatur, *Pilulae alterantes Plummeri*), quemadmodum in aliis (KLEIN l. c.) morbis exanthematicis cum camphora, in tuſſi conuulſiua (KREBS *medicin. Beobachtungen.* 8. Vol. I. faſc. 4. 1784. p. 39. et Vol. II. faſc. 3. 1791. p. 50.) cum moſcho et oxymelle ſquillae coniungitur.

Neque ſane nulla eſt eius vis in incidendo muco, pituita tenaci ex pectore eliminanda, glandulis (WERLHOF l. m. c. p. 101.) et viſceribus eadem obſtructis reſerandis; ideo in ipſa phthiſi pulmonali, cum cortice cinchonae contuſo et ſero lactis combinatum ſalutare expertus eſt remedium MELLIN (l. c. p. 243.) in ſcrophulis (HVGO apud MELLIN l. c. p. 242.), in viſceribus oppilatis et hydrope VOGLER (l. c. p. 153.), hunc effectum tanto certius ſortiens, quando cum

gummi ammoniaco, ſapone, aut conio combinatur.

Virtutem denique ſpasmos ſedandi praedicauit multisque exemplis probabilem reddidit VNZER (*Hamburg. Magaz.* Vol. VIII. p. 369 ſq. IX. p. 613 ſq.), prouti etiam DELIO (l. c.) in conuulſionibus tuſſi ſuperuenientibus efficax viſum fuit: Exhibetur autem, aliquando ſaccharo aut magneſiae albae intertritum, granorum trium, quatuor, interdum ſex, infantibus nondum duos annos natis grani dimidii, infantibus nondum ſex annos natis granorum duorum pondere.

Sulphur antimonii mercuriale eſt ſulphur antimonii auratum per ſolutum in aqua forti hydrargyrum praecipitatum, cui POERNERVS (delineatio pharmaciae chemico-pharmaceuticae. Lipſ. 1764, 8. p. 120.) egregiam vim attenuantem et per cutis poros virus exterminantem tribuit.

Sulphur antimonii ſolare eſt ſulphur antimonii auratum ope auri in aqua regis ſoluti praecipitatum, FR. HOFFMANNO (Medic. rationat. ſyſtematic. T. IV. P. 1. p. 160.) tanquam ſudoriferum in lue venerea commendatum, quem quidem in finem granorum trium vel quatuor pondere porrigitur.

Sulphur antimonii auratum liquidum (IACOBI act. acad. Elect. Mogunt. Erford. Erf. et Goth. 8. T. I. 1757. p. 231 ſq. I. E. TH. GVERICKE de ſulphure antimonii aurato liquido. Erford. 1776. 4.), *Tinctura antimonii ſaponata Iacobi*, ex ſulphure aurato antimonii in lixiuio cauſtico, vel hepate antimonii aut ſcoriis reguli antimonii ſimplicis in aqua bulliente

bulliente ſolutis, eo vsque coctis, donec ouum iis innatet, vlterius coquendo et amygdalarum vel ex papaueris ſeminibus expreſſum oleum, tandem liquoris primi nondum cocti portionem addendo in ſaponis ſpeciem conuerſis atque in tinctura antimonii acri concentrata ſolutis parata, ex fuſco rubra, conſiſtentiae ſpiſſioris, ſaporis blandi, amari, in pituita tenaci attenuanda, viſcerum infarctibus ex hac intruſa natis referandis, tranſpiratione inſenſibili promouenda, hinc in arthritide (GVERICKE l. c. §. VII. p. 17. 18.), hydrope (IDEM l. m. c. p. 19.), exanthematibus chronicis (IDEM l. c. p. 18.), ipſa lepra rebelli (IACOBI l. c. p. 238.) et cancro (PH. FR. GMELIN de tincturis antimonii minus vſitatis vtcunque ſaluberrimis. Tubing. 1759. 4. p. 35.), aut ſanandis, aut mitigandis potens, vt tamen efficacitatis ſuae partem magnam ſaponi (HEYER *Beyträge zu den chem. Annalen.* Helmſt. und Leipz. 8. Vol. I. faſc. 1786. p. 81.) debeat; recens praeterea, 50 guttarum cum decocto quodam tepido ſorbendarum pondere, adhibenda, quum facile rancorem contrahat, et ſulphur antimonii in fundum dimittat.

Tinctura antimonii Mangoldi (MANGOLD *chimiſche Erfahrungen und Vortheile in Bereitung einiger ſehr bewährter Arzneymittel.* Francf. u. Leipz. 1749. p. 49 ſq.) ſulphur antimonii cum tinctura antimonii acri digerendo parata, profunde rubra, acrimoniae omnis expers, ſaporis blandi amariuſculi, balſamici, ſyrupi violarum colorem non mutans, in aquam infuſa ſtrias oleoſas rubras per illam diffundens, a vitrioli ſpiritu non turbanda (D. LAVATTER de

de antimonio variisque eius tincturis cum alcalinis menſtruis factis. Hal. 1767. 4. §. 17. p. 38-42.), ab ABR. VATERO (diſſ. de tincturae antimonii varia praeparatione. Wittenberg. 1732. p. 20. et progr. quo tincturae antimonii antehac inuentae virtutem et efficaciam in cura morborum rebellium duobus ſingularibus exemplis confirmat. Wittenberg. 1749.), qui tamen modum illam conficiendi ſibi ſeruauit, iam, vt videtur, primo commendata, pituitam tenacem attenuat, humorum circuitum torpentem exagitat, obſtructiones ex alterutro fonte natas reſerat, in arthritide, ſcabie, vlceribus, morbis venereis (VATER l. c.) egregiam opem tulit.

Tinctura antimonii ſaponata Hermbſtaedti (SELLE *neue Beytr. zur Arzney- und Naturwiſſenſchaft.* III. p. 63 ſq. S. FR. HERMSTAEDT *phyſikaliſch-chem. Verſuche und Beobachtungen.* Berlin. 8. Vol. 2. 1789. p. 117 ſq.) ex ſulphure antimonii aurato cum lixivio cauſtico cocto, et addito amygdalarum oleo in ſaponis ſpeciem conuerſo, vini ſpiritu puriſſimo, cuius media pars diſtillatione iterum ſeparatur, ſoluto, et addito cinnamomo et aqua florum aurantiorum, per filtrum depurato, parata, limpida, dilute fuſca, grati et odoris et ſaporis, in ſingulis vnciis ſulphuris gr. XXIII. et partium ſtibii metallicarum XII continens, ab inſtillata aqua lacteſcens, ab acidis cum foetore gas hepaticum manifeſtante flores aurantios dimittens, ad guttas 20-30 ſorpta lenem ſudorem, guttarum 40-50 praebio aluum, 70-80 lenem vomitum mouens, in ſanandis bubonibus venereis per 14 dies quotidie ad 30 guttas abſorpta efficax.

Tinctura

Tinctura antimonii tartariſata, *Tinctura antimonii*, *Tinctura antimonii hepatica ſalina*, *Tinctura antimonii ſimplex*, eſt ſpiritus vini puriſſimus cum hepatis antimonii ſiue antimonii cum duabus partibus ſalis tartari colliquati partibus duabus digeſtus, eiusque conſortio colore rubro, ſaporeque leuiter aromatico acri imbutus, ceterum limpidus et gratum odorem ſpirans, tum ſulphuris, tum metalli ipſius portionem, ſale lixiuioſo interveniente diſſolutam (LAVATTER l. c. §. 13. CHRPHR. MAYER de tinctura antimonii tartariſata. Altd. 1728. 4. p. 12ſqq) continens, quarum tamen partem diutius aſſeruata tinctura dimittit, hinc niſi recens ſatis praeſcribatur, inaequalis efficaciae, a guttis 5 — 20 exhibita tranſpirationem inſenſibilem promouet, a LEMERY (trait. de l'antimon. P. IV. cap. 3.) in melancholia, ſcorbuto, febribus malignis, variolarum initio, et ſcabie praedicata, paulo maiore pondere ſudorem mouet, maiori adhuc nauſeam et aluum.

Extractum antimonii (B. VALENTINI l. c. p. 123.), Paratur ex antimonio cum aequali tartari crudi pondere ignis candentis vi permiſto, ope aquae poſtea per ignem iterum diſpulſae, a parte aquam reſpuente ſeparato, et ſpiritu vini, cuius duae tertiae partes per diſtillationem denuo ſeiunguntur, ſoluto. Parum igitur diſcrepat hoc extractum a tinctura antimonii tartariſata.

Vitrum antimonii ceratum, *Puluis antidyſentericus anglicanus*, ſimplici eaque tamen aequabili vitri antimonii in tenuiſſimum pollen comminuti cum cerae flauae leniſſimo igne liquefactae octaua

parte commiſtione natum, contuſum colore puluerem nicotianae hiſpanicum referens, inſipidum et inodorum, ab empirico quodam Hiberno, qui in Germania ſuperiori eius cognitionem acceperat (Gentleman's Magazine pro anno 1753. p. 604.), primum, tum a Scotiae quodam paſtore STEEL adhibitum, a quo ad clariſſimos Medicos YOUNG et I. PRINGLE peruenit, qui non modum tantum eius parandi diuulgarunt, ſed numeroſis periculis egregias eius virtutes confirmarunt, eas tamen a non paucis hodie in dubium vocatas, vt ab aliis tanquam infida (HEVERMANN *vermiſchte Bemerkungen und Unterſuchungen der ausübenden Arzneywiſſenſchaft.* Coppenhag. u. Leipz. 8. Vol. I. 1765. p. 170. TRILLER diſpenſatorium vniuerſale. Francof. 1764. 4. Medicis Caſſellanis pharmac. rational. p. 348. SAUNDERS obſerv. on antimony and its uſes in the cure of diſeaſes. Lond. 1773. 8. p. 63.), ab aliis tanqnam ſuperflua (MÖNCH *ſyſtemat. Lehre von den Arzneymitteln.* p. 106. MONRO l. c. I. p. 290.) medicina reiiciatur, quum contra alii ipſis adeo infantibus (3 - 4 annorum grana 2 - 3, decennibus grana tria vel quatuor), grauidis atque ſenſibilioribus (grana quinque ad ſex) ſine omni periculo propinari poſſe, aſſeuerent, atque experti ſint alii (YOUNG apud PRINGLE medical eſſays and obſervations of a Society at Edinb. Vol. V. P. 1. n. 15.), modo non occurrat acido in ventriculo ſtabulanti (GEOFFROY philoſ. Transact. V. 47. ad ann. 1751 et 1752. n. 41. p. 273 ſq.), aut intermiſceantur lapides cancrorum, aut, quae praeſtat vtique magneſia alba, parciori illa doſi vix vomitum mouere; ſaepe tamen omnino mouet, vt

ſint

ſint exempla hominum, etiam adultorum, a granis tribus iam vomentium, vomitu tamen e. gr. hydropicis (MACKENZIE medical obſervations and inquiries by a Societ. of phyſicians in London. 8. London. Vol. 2. 1762. n. 24. p. 287.) ſalutari, et potibus tepidis ex oryzae, auenae granis cortice nudatis, cornu cerui e. g. paratis frequentius ingurgitatis multum facilitando: Crebrius tamen aluum mouet; nonnunquam fauſtum effectum ſortitur, nulla ſenſibili euacuatione aucta (I. PRINGLE l. c.). Hernia inguinali laborantibus, plethoricis, in haemoptyſin aut vomitum cruentum procliuibus vitandus eius vſus (Gentleman's Magazine l. c.).

Prima eius laus in ſanandis dyſenteriis increbuit (Gentleman's Magazine l. c.) ab YOUNGIO et I. PRINGLIO (l. c.), FR. PRINGLIO (ibidem), A. BROWN (ibidem), TH. SIMPSON (ibidem), PAISLEY (ibidem), STEPHEN (ibidem), I. GORDON (ibidem), GEOFFROY (l. c.), DU HAMEL et ARNAUD (Memoir. de l'Acad. des ſcienc. à Paris, ad ann. 1746. n. 4. p. 81 ſqq.), PH. FR. GMELIN (Botanic. et chemia ad praxin medicam applicata. Tubing. 1755. 4. p. 28.) aliisque Wirtembergiae medicis (apud CHRN. LVD. BILFINGER diſſ. de vitro antimonii cerato. Tubing. 1756. p. 4.), I. BASTER (Verhandelingen uitgegeeven door de hollandſe Maatſch. der Weetenſchappen te Haarlem. 8. P. II. 1755. nr. 2. p. 22.), BOENNEKEN (*Fränkiſche Sammlung. von Anmerkungen aus der Naturlehre, Arzneygelahrtheit, Oekonomie und den damit verwandten Wiſſenſchaften.* Nürnb. 8. Vol. IV. 1759. P. XXII. n. 3. p. 325. et Vol. V. 1760. P. XXVII. n. 3. p. 210.), MURSINNA (l. c. p. 50.), adhibita vt

P 2 tamen

tamen et in hoc morbo inaequaliter ſaepe agere poſt I. PRINGLIVM (*Beobachtungen über die Krankheiten einer Armee, aus dem Engl.* Altenb. 1754. p. 254.) monuerit Ill. ZIMMERMANN (*von der Ruhr unter dem Volke im Jahr 1765, und den mit derſelben eingedrungenen Vorurtheilen, nebſt einigen allgemeinen Ausſichten in der Heilung dieſer Vorurtheile.* Zürich. 1767. 8. p. 510), atque in inflammatoria et maligna vtpote noxium reiiciat eius vſum; et anonymus quidam (Gentleman's Magazine l. c.) in ea dyſenteria, quae ſanguinis reſolutione, aut inteſtinorum vel glandularum inteſtinalium, et qui ex his exeunt, ductuum excretoriorum relaxatione ſtipantur, damnet, eumque in recenti potiorem iudicet, quam in inueterata.

Verum in aliis quoque alui profluuiis ſalutarem eius efficaciam experti ſunt YOUNG (l. c.), PAISLEY (l. c.), GEOFFROY (l. c.) et BOENNEKEN (l. c. Vol. 4.), in iis potiſſimum, quae robuſtis duroque vitae generis adſuetis ex victu crudo minusque ſalutari, fructibus horaeis immodice comeſtis, aëre nimis humido oborta ſunt, Anonymus (Gentleman's Magazine l. c.), aut pertinacioribus (CAUSLAND ap. DUNCAN medic. comm. Vol. VIII. for 1781. 1782.), non perinde in iis, quae viſceris cuiusdam inflammatione ſtipantur, aut colliquatiuis, IDEM et YOUNG (ll. cc.), vel aliis ſymptomaticis (IDEM); in febre tamen putrida cum alui fluxu felici cum euentu adhibuit PENROSE (diſſertation on the inflammatory, gangrenous and putrid ſore throat, alſo on the putrid fever together with their diagnoſtics and method of cure. Oxford. 1766. 8. p. 28.), in cholera a nimio

nimio mercurii praecipitati fuſci praebio deglutito SIMPSON (l. c.), in colicis a pituita tenaci proficiſcentibus PAISLEY (l. c.). In pertinaci fluore albo GEOFFROY (l. c.), in diuturna gonorrhoea ſecundaria I. FR. A. MÜLLER (de viribus vitri antimonii cerati ad rationes ſuas reuocatis. Hal. 1757. 4. §. XV. p. 29.), in nimio cruoris ex vtero YOUNG (l. c.), SIMPSON (l. c.), et ARNAUD (l. c.), et ano SIMPSON (l. c.) fluxu; in febribus, praeſertim intermittentibus GEOFFROY (l. c.), in catarrho ſuffocatiuo alius medicus (apud I. FR. A. MÜLLER l. c. §. XVI. p. 30.), in epilepſia et mania STEEL (l. c.) eius virtutem haud ſine effectu tentarunt.

Praeſtat vtique ab exigua granorum trium doſi, inchoare, et pro ratione aegri morbique ad decem et viginti adeo adſcendere; praeſtat porrigere ſaccharo (e. gr. tribus partibus praeeunte l. c. BASTERO) aut magneſia alba, aliquando etiam opio temperatum, quam aliis aut meracum recipi; per tres horas poſt aſſumtum medicamen, vt ab omni potu abſtineant, niſi poſt vomitum aqua calida vtantur, hoc autem tempore elapſo cibis lacteis, ex oryza, pane, auenae granis coctis, iuſculis carnium, gelatina vtantur, imperat (l. c.) YOUNG.

Antimonium catharticum (WILSON compleat courſe of chymiſtry. London. 1746. 8.) vitrum antimonii ſubtiliſſime comminutum, cum vitrioli acido diſtillationi ſubiectum, expulſo omni humore ſollicite elotum, cum aequali ſalis mirabilis et dupla tartari vitriolati portione per horae quadrantem colliquatum, denuo comminutum, elotum, atque ex-

ſiccatum, WILSONO (apud MONRO l. c. I. p. 303.) teſte, ſi a granis duobus ad decem vsque exhibeatur, blande aluum laxans, quod etiam, ſi grana eius duo cum vno tartari emetici commiſta adulto eique robuſto ſemel ac ſimul, iuniori aut debiliori partita, ita vt altera portio binis horis poſt alteram ſumatur, propinentur, in febribus intermittentibus inſularum Americae mediae obuerſarum, ad liberanda a ſaburra inteſtina mirifice prodeſſe, expertus eſt (ibidem) RVDINGS.

Mercurius vitae coeleſtis, ſimiliter vitrum antimonii comminutum, ſepties cum aequali vitrioli, vt vocant, oleo diſtillationi tam diu continuatae, donec reſiduum ſiccum eſſet, expoſitum, poſtea cum ſpiritu vini, cui pars decima ſexta ſpiritus maſtichis adiecta fuit, digeſtum, diſtillatione aut decantatione ab eo liberatum, denuo binis vicibus cum ſpiritu eodem digeſtum, et ſpiritu deflagrante exſiccatum, a KLAVNIGIO (noſocomium charitatis ſ. hiſtoriarum medicarum in noſocomio Trinitati ſacro obſeruatarum. Vratislav. 1718. 4. obſerv. 18. p. 82.) fauſto ſucceſſu contra febres quartanas adhibitum; propinabat autem ille duabus ante nouum febris acceſſum horis granum vnum cum dimidio, vel grana duo cum extracto centaurei minoris in pilulam redacta, quo facto et nullo ante binas horas elapſas potu ingurgitato vomitum, alui receſſum, ſudorem ſubſequentem, febrem exulantem comperit.

Calx antimonii cum cornu cerui vſto (SCHRÖDER l. c. p. 416. FR. HOFFMANN in not. ad POTERII opera omnia. Francof. ad Moen. 1698. 4. p. 559.)

ex

ex aequali vtriusque in tenerrimum pollen comminuti portione miſta et calcinata nata; a granis tribus ad ſex ingeſta ſudorem prolicere fertur.

Antimonium cum cornu cerui calcinatum (MONRO l. c. P. I. p. 290.), calx alba, ex ſcobe cornu cerui ſiccata et comminuta cum aequali copia contuſi in puluerem antimonii permiſta, et, donec vapor ſulphureus ceſſet et color cinereus exſurgat continue agitando, in vaſe aperto vſta, poſtquam refrigerata fuit, in ſubtiliſſimum puluerem tuſa, et in crucibulis, altero inuerſo et in fundo perforato alteri impoſito et agglutinato, igne fortiori, donec flores argentei adſcendere incipiant, tractata. Granorum trium ad ſeptem vsque pondere blande agere, et rarius, niſi doſin excedas, nauſeam aut vomitum excitare perhibetur.

Puluis febrifrigus Iacobi, *Jame's Powder*, arcanum, ab Anglo medico James crebro adhibitum, remedium, ab aliis (SAUNDERS l. c. p. 64.) pro emetico antimonii mitiori habitum, ab inuentore ipſo pro antimonio, addendo ſubinde (MONRO l. c. p. 292.) oleum et ſal animale calcinato, tunc aliquandiu cum nitro colliquato, et aquae ope a ſalibus iterum liberato declaratum, nuperiori Cl. PEARSON (Philoſoph. Transact. Vol. 81. for 1791. P. 2. n. 21.) examine apparuit ad vtrumque modo recenſitum propius accedere; vrendo enim antimonium cum aequali aut media portione ſcobis oſſium ad albedinem vsque calcinatae primo in vaſe aperto, et, donec penitus alberet, in vaſe clauſo,

obtinuit materiem chemicis rationibus et facultate ſalutari illi pulueri omnino ſimilem: In febribus (MONRO l. c.), quae emetica poſcunt, et tuſſi (HAYES ſerious addreſs on the dangerous conſequences of neglecting common coughs and colds. Ed. 3. Lond. 1786. 8. p. 51.) commendatum, in febribus tamen lentis et aegris debilibus certiſſime nociturum remedium, inaequalis praeterea efficaciae, vt pauca alias grana violentos eosque crebriores vomitus excitent, alias eius ſcrupulus integer vix ſenſibilem mutationem induxerit (I. MILLAR obſervations on antimony. Lond. 1774. 8. ſect. 5. p. 71 ſqq. MONRO l. c. I. p. 293. 294.).

Calx antimonii cum ſulphure (WESTRVMB *Beyträge zu den chem. Annal.* Vol. IV. 1789. p. 294.) ex albo flaueſcens et ſapore calcem vſtam et ſulphur antimonii auratum manifeſtans, quod etiam acetum affuſum copioſius inhaerere oſtendit, in oſſium morbis multopere commendata.

Flores antimonii cum ſale fixo ammoniaco (LEMERY l. c. P. II. c. 9.) albi, antimonium cum aequali portione reſiduae a diſtillatione ſpiritus ſalis ammoniaci calcarei materiae ſublimando, et aquae calidae ope ſalem eluendo nati, granorum quatuor ad decem pondere ingeſti ſudorem pellere, atque in ſcrophulis et ſtrumis reſoluendis prodeſſe feruntur.

Sapo antimonialis ex ſolutis per lixiuium cauſticum antimonio crudo et ſulphuris media portione, coquendo et addendo amygdalarum oleum in ſaponis ſpeciem redactis. Externo quoque vſu eximium

reſoluens

reſoluens, et ſpiritu vini ſolutum, aliarum antimonii tincturarum vices ſupplens.

V. *Praeparata interno quidem vſui dicata, vix tamen efficacia.*

Antimonium diaphoreticum, *Antimonium diaphoreticum ablutum*, *Antimonium diaphoreticum dulce*, *Calx antimonii abluta*, *Calx antimonii nitrata*, *Antimonii calx lota*, *Diaphoreticum minerale*, calx alba inſipida, ex antimonio vel (LEMERY l. c. P. IV. c. 30.) eius hepate, aut (LEMERY l. m. c. c. 31.) vitro cum tribus nitri partibus detonante et aquae ope ab omni ſale iterum liberato nata, ob blandam vim diaphoreticam et reſoluentem a medicis praecedentis aeui (RENE quaeſtion. chemic. monſpelienſ. Monſpel. 1759. libell. 5. quaeſt. 3. SAUNDERS l. c. p. 104.) maximopere collaudata, a VIGANO (medulla chemiae. Norimb. 8. 1718. p. 49.) tamen et BOERHAAVIO (elem. chym. T. II. p. 517.) inertiae accuſata, quamuis emeticorum et purgantium vim eius additamento acui et ipſe BOERHAAVIVS (l. m. c.) concedat, et aliorum (e. gr. SCHVLZII praelection. in diſpenſator. reg. et electoral. Boruſſo-Brandeburgicum. Edit. alt. Norimb. 8. 1753. p. 406.) loquatur experientia.

Cremor antimonii diaphoretici pars antimonii diaphoretici ſubtiliſſima, ex calce hac comminuta ſacculo linteo incluſa in vaſe aqua referto, iſtam continue agitando elutriata.

Puluis albus antimonii (BAS. VALENTINVS l. c. p. 128 ſq.), ex antimonio ternis vicibus cum aequali

 nitri

nitri portione detonante et poſt ſingulas detonationes aquae ope eloto, tandem ſpiritu vini affuſo atque per diſtillationem, et octies adhuc ſemper recenti affuſo et per deflagrationem iterum ſeparato, ſale ſuo orbato paratus, antimonio diaphoretico ſatis ſimilis.

Magiſterium antimonii diaphoretici, *Materia perlata*, *Sulphur fixatum ſtibii*, *Sulphur antimonii fixatum*, calx antimonii alba, ex aqua ad eluendum antimonium diaphoreticum adhibita per acetum adfuſum praecipitata, elota ac ſiccata, iudice BOERHAAVIO (l. c. p. 519.) ſuperflua.

Ceruſſa antimonii, *Ceruſſa antimonii diaphoretica*, *Diaphoreticum regulinum*, *Antimonium diaphoreticum* (MAETS collectan. chymic. leydenſ. 1696. 4. p. 35.), calx alba, ex regulo antimonii ſimplici cum tribus nitri partibus aut melius aequa portione detonante atque eloto nata, abſorbere, ſtringere, deſiccare (ANG. SALA l. c. p. 353.), et (LEMERY l. c. P. IV. c. 28.) cutis poros aperire olim putabatur.

Ceruſſa antimonii ſolaris, *Diaphoreticum minerale ſolare*, *Stomachicum Poterii*, (nonnullis e. g. FR HOFFMANN in not. ad POTERII opera omn. Francof. 1698. 4. p. 41.) calx antimonii alba ſimili modo ex regulo antimonii ſolari parata (LEMERY l. c. P. IV. c. 12.), olim inter ſtomachica relata, et potiſſimum potentiae particularum argenti viui corporis humoribus infixarum deſtruendis oppoſita.

Ceruſſa antimonii lunaris, calx antimonii alba, pari pacto ex antimonii regulo lunari confecta

feſta (LEMERY l. m. c. c. 13.), eundem cum mox praegreſſa in vſum adhibita.

Antimonium diaphoreticum iouiale, Diaphoreticum iouiale, Antihecticum Poterii (POTERIVS inſign. curationum centur. III. c. 20. Oper. omn. cur. FR. HOFFMANNI p. 297. HOFFMANN annotat. in POTERII pharmacopoeam ſpagyricam in huius operib. omnib. Francof. 1698. 4. l. 2. c. 18.), calx alba ex calce antimonii et ſtanni conflata, et ex antimonii regulo iouiali cum tribus nitri partibus detonante, ac per aquam affuſam omni ſale orbato nata: Aperire et reſoluere (LEMERY l. c. P. IV. c. 14.) perhibita, a multis (POTERIO et FR. HOFFMANN ll. cc. p. 600.), FR. HOFFMANN (medicin. ration. ſyſtemat. T. IV. P. 1. p. 574.), MURALTO (Miſcellan. Ac. Caeſ. Nat. Cur. Dec. II. Ann. 1. obſ. 109.), TRNKA KRZOWITZ (hiſtoria febr. hecticae omnis aeui obſeruata continens. Vindob. 1783. 8. p. 216 ſq)., ad ſanandam febrem hecticam praeprimis laudata, ab aliis (e. gr. IVNKERO conſpect. therap. ſpecial. Hal. 1750. 4. p. 309. 575.) maiori iure tamquam noxia in hoc morbo reiecta.

Diaphoreticum martiale, Antimonium diaphoreticum martiale (LEMERY l. c. P. IV. c. 29.), *Puluis anticachecticus Ludouici* (Pharmac. moderno ſeculo applicanda. Goth. 1685. p. 265.), *Bezoardicum martiale, Bezoardicum martiale flauum, Antimonium martiale cachecticum, Stomachicum Poterii, Puluis vitalis Halenſis* (GREN ap. HAGEN *Lehrb. der Apothekerkunſt.* Königsb. Ed. 4. P. II. 1792. p. 572.), calx ex fuſco alba aut ex

antimonii

antimonii reguli martialis partibus duabus (FR. HOFFMANN in not. ad POTERIVM op. omn. p. 373.); aut ex ſcobis ferri parte vnaque antimonii crudi cum nitri partibus ſex detonantibus nata atque elota; plurimam partem ferri calce conſtans, alia ferri calce vix efficacior, etſi in cachexia, ictero, ſcabie multopere commendata (l. c.) a LVDOVICI.

Bezoardicum minerale, *Bezoardicum antimoniale* (multis), calx alba, butyrum antimonii cum aqua forti miſcendo, et omnem humorem per diſtillationem iteratis vicibus ſeparando ſuperſtes atque elota, antimonio diaphoretico haud ſuperior.

Mercurius vitae correctus Syluii, *Bezoardicum minerale* (MOEBIVS apud FR. HOFFMANN patr. clauis pharmaceutic. Schröderian. Hal. 1675. 4. p. 282.), calx alba, ex mercurio vitae cum tribus nitri partibus detonante atque eloto nata, antimonio diaphoretico ſimilis (LEMERY l. c. P. IV. c. 32.).

Bezoardicum antimoniale Angeli Salae, v. ſupra.

Calx antimonii ſine ſulphure (WESTRVMB apud CRELL *Beytr. zu den chem. Annal.* Vol. 4. p. 287 ſqq.) ochroleuca, ſaporis lixiuioſi, aquam quoad plurimam partem ſubiens, ex calce viua, cui $\frac{11}{100}$ calcis antimonii et $\frac{2}{100}$ calcis ferreae accedunt, compoſita, in oſſium morbis collaudata.

Flores antimonii albiſſimi, calx antimonii ex facta per aquam regis et a ſulphure ſuo liberata antimonii crudi ſolutione per meracam aquam praecipitata atque elota.

Flores

Flores antimonii nitroſi (LEMERY l. c. P. I. c. 4.) calx antimonii alba, ex antimonio cum tribus nitri partibus detonante in altum acta, atque elota.

Cinnabaris antimonii, ſollicite parata et depurata (LEMERY l. c. P. III. c. 27 — 35.) cinnabari vulgari ſimilis (BOERHAAVE l. c. II. p. 505.), hinc, quamuis multiplici FR. HOFFMANNI (diſſ. de cinnabari antimonii. Ienae. 4. 1681.) laude celebris, noſtro aeuo euiluit pretioſa medicina.

VI. *Praeparata, ad quae conficienda praecipitur quidem antimonium, quae tamen nihil aut tam paruam eius continent portionem, vt virtutem ſuam huic non debeant.*

1. *Tincturae.*

Lilium Paracelſi, *Tinctura antimonii acris*, *Tinctura antimonii alcalina* (STAHL opuſc. phyſic. chymic. medicum. Dec. p. 505.), *Tinctura antimonii regulina* (BÜCHNER diſſ. de tincturis alcalinis. Hal. 1746. p. 11. §. 19.), *Tinctura antimonii ſpuria* (CARTHEVSER pharmacolog. Berol. 1745. 8. p. 311.), *Tinctura metallorum*, quam nihil antimonii continere ſuo tempore iam demonſtrauit (l. c. p. 192.) MEVDERVS, nouis argumentis adſtruxit DEHNE (*Verſuch einer vollſtändigen Abhandlung über die ſcharfe mit kauſtiſchem Salze geſättigte Tinktur des Spießglaskönigs, und ihre großen Heilkräfte etc.* Helmſt. 8. neue Aufl. 1784.) ex ſale cauſtico et vini ſpiritu puriſſimo conflata, rubra, ſaporis acris, lixiuioſi, nitri aut ſalis acido appropinquante fumum emittens, ab affuſo acido excaleſcens et coagulata, neque tamen efferveſcens,

veſcens, aut gas hepaticum eructans, in incidenda tenaci pituita, debellando acido, promouenda transſpiratione inſenſibili, pellendo lotio mirifice efficax, hinc in viſcerum obſtructionibus a muco tenaci impacto proficiſcentibus, febribus intermittentibus aliisque chronicis malis ex hoc fonte promanantibus, in ardore ventriculi a praedominante acido nato, in atrophia infantum, in rheumatiſmo atque arthritide variisque eius ſpeciebus, in calculo, in lepra, ſcabie, aliisque exanthematibus chronicis, et morbis ex eorum ſuppreſſione oriundis, in vlceribus variis, etiam venereis, hydrope, fluxu menſtruo haemorrhoidibusque ſuppreſſis multopere (v. DEHNE, qui et obſeruatos a ſe ipſo effectus recenſet, et teſtimonia aliorum collegit, l. c. p. 275 ſq.) commendata; exhibentur autem eius guttae 20—30 ter quaterue per diem, aut aqua ſimplici temperatae, aut cum infuſo quodam calido, aut cum aequali eſſentiae ariſtolochiae et media aetheris vitrioli portione commiſtae, vſum eius per hebdomades et menſes adeo continuando.

Tinctura antimonii rubra, a ROGER. BACONE, ſi qua virtute ſalutari pollet, certe non debet antimonio, quippe cuius modo a BACONE (*von der Medicin und Artzney oder Tinctur des Antimonii, mihi ad calcem B. Valentini Triumpfwagen etc.* p. 213 ſq.) praeſcripto praeparati vix aliquid ſoluit acetum, recipit nihil ſpiritus vini.

Tinctura vitri antimonii (LEMERY l. c. P. IV. c. 2.), acris ſimiliter rubra, nata ex aceto diſtillato vel ex cryſtallis aeris viridis ignis violentia extorto, cum

cum vitro antimonii repetitis vicibus digeſto, et cum vini ſpiritu commiſto, tam parum certe continet antimonii, vt quam in incitando ſanguinis motu, promouenda tranſpiratione, pituita pectus infarciente incidenda, morbis cutaneis ſanandis oſtendiſſe teſtis eſt (l.c.) LEMERY efficacia, vix ab antimonio prouenire putanda ſit.

Tinctura vitri antimonii altera (LEMERY l. m. c.) pariter laete rubra ſenſim tamen expalleſcens, ex vitro antimonii, cum lixiuio ſalis tartari, et diſſipato humore omni, cum ſpiritu vini digeſto progenita; quicquid etiam in ſpiritibus animalibus excitandis valere fertur, virtutem potius hepati ſulphuris ſpiritum vini ingreſſo, quam antimonio acceptam refert.

Tinctura antimonii diaphoretici (LEMERY l. c. P. IV. c 31.) vini inſtar rubens, ex ſpiritu vini cum antimonio diaphoretico, antea cum aequali ſalis tartari portione liquefacto, per aliquot dies digeſto, nata a tinctura antimonii acri parum differre videtur.

Tinctura ex regulo antimonii martiali, *Antidotos pantagogos* (SCHRÖDER l. c. p. 438.) ex ſalis communis acido, quo caloris adminiculo antimonium diaphoreticum martiale ſolutum fuit, repetita diſtillatione in olei ſpeciem redacto, et cum vini ſpiritu aliquoties diſtillato nata, imperfecta potius ſpiritus ſalis dulcificati ſpecies.

Tinctura e floribus antimonii, *Lilium Paracelſi* (SCHRÖDER l. c. p. 439.) ex ſale ammoniaco cum aequali antimonii parte ſublimato ſpiritu vini ſoluto,

ſoluto, et fluidiori huius parte, vt olei denuo ſpecie compareat, per diſtillationem orbato, progenita praeter ſalem ammoniacum vix aliquid vini ſpiritu ſolutum continet.

Tinctura ex ſulphure antimonii aurato (SCHRÖDER l. c. p. 442.), ſpiritus vini cum ſulphure antimonii aurato digeſtum, quod cum, modo ſollicite elotum ſit, huic ſpiritui nihil largiatur, vix aliquid, quod antimonio debeatur, ab vſu huius tincturae exſpectes.

Tinctura antimonii Brixii (PH. FR. GMELIN de tincturis antimonii minus vſitatis vtcunque ſaluberrimis. Tubing. 1759. 4. p. 24.), ex ſpiritu Mindereri cum antimonio crudo in puluerem contuſo digeſto parata, perparum ſulphuris, nedum partis antimonii metallicae aliquid ſolutum in ſe continet.

Tinctura antimonii nigra, *Tinctura mineralis amara* (B. VRBIGER *beſondere chemiſche Schriften, wie nemlich* I) *die medicina univerſalis zu präpariren, damit alle Metalle und Krankheiten können curirt werden;* II) *viele Manieren, wie ein jedwedes Metall vor und an ſich ſelbſt via particulari zu verbeſſern ſeye;* III) *die Tugenden und Eigenſchaften des Antimonii etc.* ann. 1705. p. 69. MODEL *chymiſche Nebenſtunden.* Petersb. 1762. p. 169. PH. FR. GMELIN l. m. c. p. 16.) amara, limpida, olei tenuioris ſpeciem referens, ex fuſco atra, violarum ſyrupi colorem in viridem conuertens, a vitrioli acido inſtillato et limpiditatem et colorem amittens, ex ſpiritu vini gallico, quem vocant, tartariſato, digeſto cum nitro, poſtquam cum $\frac{8}{11}$ antimonii crudi detonauit et liquatum, dum adhuc

huc calet, in tenerrimum pollen comminutum, et cum 16 partibus liquoris nitri fixi ſub continua agitatione leni calore in pultis ſpeciem redactum fuit, aut (MODEL l. c.) cum lixiuio a praeparatione kermes mineralis ſuperſtite et ad mellis ſpiſſitudinem redacto parata, aut (LOWIZ *chemiſche Annal.* 1787. Vol. 1. p. 518.) ex ſpiritu vini puriſſimo cum nitro primo per ignem violentum aëre ſuo vitali exuto, tum cum regulo antimonii medicinali colliquato, aut ex ſpiritu nitri dulci cum nitro, primo per carbonum puluerem acido ſuo priuato, tum cum aequali reguli antimonii medicinalis portione fuſo digeſtis parata, antimonii vtique particulam continet, quae (BÜCHNER de antimonio variisque eius tincturis cum alcalinis menſtruis factis. Hal. 1767. p. 30.) ſpecie kermes mineralis, vel ſi ſolis radiis exponatur, ſponte ſubſidet, vel ſi humore omni abacto ſal ſuperſtes denuo aqua ſoluatur, et cum acido quodam commiſceatur, praecipitatur interdum tamen adeo parcam, vt v. g. Cl. HEYER (ap. Ill. CRELL *Beytr. zu den chem. Annal.* Helmſt. u. Leipz. 8. Vol. I. 1786. P. 2. p. 82.) ex integra vncia vix dimidium granum antimonii extraxerit. Praedicatur haec tinctura in aſthmate humido, arthritide, et morbis cutaneis, potiſſimum venereae originis. Non multum abludit ab hac tinctura alia a DIETERICO (Commerc. litterar. noric. ann. 1731. p. 132. 133.) memorata, et ad febrem hecticam ſanandam commendata; paratur ſcilicet illa ex ſpiritu vini gallico ſumma cura depurato et nitro cum octo partibus antimonii crudi detonante et colliquato, poſt cum nitro fixo tractato.

Tinctura antimonii ſaponata Schulzii (Praelect. ad diſpenſator. Boruſſo-Brandenburgicum. Norimb. 1753. p. 324.) aurea, pellucida, ſapore aliquantum acri, ſyrupi violarum colorem in viridem mutans, ab aqua perinde ac ab acidis infuſis opaca, ſponte cryſtallos tenerrimas flaueſcentes dimittens, ex ſapone veneto cum lixiuio cauſtico, donec omnis huius humor diſſipatus ſit, cocto, cum ſpiritu vini puriſſimo digeſto, et, vt primum hic flauum colorem nactus fuit, hepate antimonii vel ſcoriis reguli ſimplicis contuſis et adhuc calentibus iniectis imbuto, parata, perparum omnino (BÜCHNER l. c. §. XV. p. 34. GREN *Handbuch der Pharmacologie.* Halle. 8. P. II. 1792. p. 452.) antimonii continet, et, qua pollet, efficacitatem ſaponi potius debet vini ſpiritu ſoluto.

Tinctura antimonii Thedenii (*Neue Bemerkungen und Erfahrungen zur Bereicherung der Wundarzneykonſt und Arzneygelahrtheit.* Berlin u. Stettin. 8. P. II. 1782. p. 84 ſq.) fuſca, ſapore ſatis acris, ſpiſſa, ſatis cito ad parietes et in fundum vaſis cruſtam ex cryſtallis ſalinis concreſcentibus natam deponens, ex antimonio crudo cum tribus cinerum clauellatorum partibus liquefacto, atque adfuſo, donec efferveſcere ceſſet, aceto, et humore omni expulſo cum ſpiritu vini puriſſimo leni calori expoſito, et repetita diſtillatione parte huius iterum exuto nata, vires ſuas veneno ſcrophuloſo et ipſi cancroſo (Ill. THEDEN l. c.) debellando pares, vtique potius terrae, quam appellant, foliatae tartari (GOETTLING *practiſche Vortheile und Verbeſſerungen verſchiedener pharmaceu-*

maceutiſch-chemiſcher Operationen. Weimar. 8. Ed. 2. 1789. p. 233. REMLER *chem. Annalen.* 1785. Vol. I. p. 253. HAGEN *Lehrbuch der Apothekerkunſt.* Königsb. 8. Edit. 4. Vol. 2. 1792. p. 383. GREN l. m. c. p. 453.), quam antimonio (quod partem eius principem conſtituere diſerte innuit anonymus auctor libelli *Abhandl. und Bemerkungen über die vom Herrn Generalchirurgus Theden in Berlin bekannt gemachte Spiesglastinctur von einem Schüler aus der Geſellſchaft wahrer und ächter Naturforſcher.* Amſterd. 1783. 8. p. 37.) debet, quamuis particulis antimonii non omnino (Commentatt. ſociet. reg Goetting. T. VI. 1785. p. 65. *Chemiſch. Annal.* 1784. Vol. I. p. 101 ſqq. et 1785. Vol. II. p. 141 ſqq. HEYER l. c. p. 69 ſqq.) careat.

Oleum vitri antimonii, Quinta eſſentia antimonii (BAS. VALENTINI *Triumpfwagen etc* p. 98 ſqq.) paratur, vitrum antimonii in tenerrimum pollen comminutum primo cum aceto diſtillato, et, hoc per diſtillationem atque elotionem ſeparato, iterato cum ſpiritu vini clauſis arctiſſime vaſis digerendo, et tandem diſtillando, ſi vel exili earum virium, quas BAS. VALENTINVS (l. c. p. 100.) ei tribuit, particula pollet, certe non debet antimonio.

Oleum antimonii febrifugum (BAS. VALENTINVS l. m. c. p. 162.) conficitur primo antimonium comminutum retortae incluſum ignis vi in puluerem rubrum conuertendo, cum aceto per plures dies leniori calori exponendo, partem aceti magis fluidam diſtillatione leni igne peracta expellendo, et mutato vaſe recipiente, quod fortiori igne ſpiſſius tranſtillat, aſſeruando.

Oleum antimonii aliud, *Magiſterium antimonii* (BAS. VALENTINVS l. c. p. 102. 103.) videtur ſpecies oleie mpyreumatici, obtenta ex ſucco vuarum immaturarum cum antimonii vitro per aliquot dies digeſto, per diſtillationem omni humore priuato, cum ſaccharo permiſto et aceti ſpiritu humectato, cum ſpiritu vini, tum cum ſpiritu ſalis, commiſta, denique calci auri ex aqua regis per diſtillationem ſeparatae ſuperfuſa, et denuo diſtillata, a BAS. VALENTINO in epilepſia praedicata.

Arcanum antimonii (B. VALENTINVS l. c. p. 104. 105.) paratur ex antimonio cum ſale armoniaco ſublimato, elotione per aquam ſale ſuo iterum orbato, et cum ſpiritu vitrioli in vaſis clauſis digeſto et diſtillato, quod diſtillatione in vas excipiens tranſiit, cum ſpiritu vini digerendo, et clarum denique liquorem defundendo. Digeſtioni corrigendae maximopere inſeruire ſibi perſuaſit (l. c.) VALENTINVS.

Elixir antimonii (B. VALENTINVS l. c. p. 105. 106.) paratur quoque antimoninm ſublimando cum ſale ammoniaco, et quicquid in altum actum fuit, iterata vice ſublimando, ſal per aquam eluendo, quod ſupereſt ad gratam rubedinem vsque vrendo, acetum huic affundendo, et humorem eius per diſtillationem iterum ſeparando, tunc ſpiritum vini addendo, et hunc elapſo aliquo temporis ſpatio cum tinctura coralliorum et quinta eſſentia rhabarbari permiſcendo. Purgantem huic elixir virtutem iure tribuit B. VALENTINVS, vix tamen tibi perſuadeas, hanc antimonio deberi.

Balſamus

Balſamus antimonii (B. VALENT. l. c. p. 133.) eſt oleum iuniperi vel terebinthinae, quem appellant, ſpiritus, cum regulo antimonii vaſis clauſis leni calori expoſitus, et cum ſpiritu vini permiſtus.

Balſamum vitae (B. VALENTINVS l. c. p. 135 — 138.) aurei coloris, taedioſo et longo labore paratur primo antimonium iteratis vicibus, ſingulis cum recenti aceto per 40 dies leni calori exponendo, liquorem ſanguineo colore infectum per chartam traiiciendo, denuo per 40 dies in vaſis clauſis calori leni committendo, a liquore, nunc atrum colorem nacto, humorem per diſtillationem ſeparando, ſuperſtiti materiae ablutae ſpiritum vini infundendo, et donec rubro colore infectus compareat, in vaſis clauſis leni calori committendo, tum defundendo, per chartam traiiciendo, igne paulo violentiori diſtillando, quod in vas excipiens tranſiit, per decem dies quieti committendo, et liquorem olei ſpeciem prae ſe ferentem a ſupranatante ſpiritu ſeparando.

Wunderbarer Balſam (B. VALENTINVS l. c. p. 156. 157.), quamuis operoſo ſatis labore impetratum, vix videtur aliud, niſi extractum martis, quod vocant, acetoſum ad aërem deliqueſcens; paratur ſcilicet, materiae, ex aethiope minerali, antimonio crudo, arſenico rubro, croco martis et lateribus in pollen comminutis commiſtis per ſublimationem obtentae, affundendo acetum acre diſtillatum, leni igne diſtillando, vt quod remanet, ſiccum ſit; huic adfundendo vini ſpiritum, vaſis clauſis per menſis ſpatium leni calori committendo, ſpiritum per di-

ſtillationem denuo ſeparando et, quod ſupereſt, aëri humido exponendo.

Liquoriſch Oel (B. VALENTINVS l. c. p. 174.) ſal ammoniacum cum regulo antimonii martiali ſublimatum et deliqueſcens, rubedinem et partem virium ferro, nihil debet antimonio.

Acetum philoſophorum ex antimonio (B. VALENTINVS l. c. p. 170.). Non videtur eſſe, niſi ſulphuris antimonio inhaerentis acidum, digerendo antimonium cum aqua, iteratis vicibus diſtillando, acidum ſic tranſtillans recenti antimonio adfundendo, per 12 dies in vaſis clauſis leni calori expoſitis aſſeruando, tum defundendo, et leni igne ter diſtillando impetratum. Refrigerantem huic aceto ineſſe facultatem, VALENTINO facile concedam, ab antimonio pendere, nunquam mihi perſuadebo.

Oleum ſulphuris antimonii (B. VALENTINVS l. c. p. 166.) paratur, ſalem armoniacum cum praeponderante antimonio aliquoties ſublimando, ex materia in altum acta ſalem eluendo, quod remanet ſulphur, cum aceto diſtillato diu calori exponendo, et primo leniori igne acetum tenuius, tum fortiori ſpiſſiorem liquorem in vas excipiens propellendo.

Clyſſus antimonii, *Wundöl ex antimonio* (B. VALENTINVS l. c. p. 164.), *Aqua ſtimmi ſulphurea* (SCHRÖDER l. c. p. 431.). Acidus liquor, antimonium ſulphuri mixtum cum nitro igne candenti exponendo vaporum forma aſſurgens, et campana vel alembico exceptus, vtique (B. VALENTINVS l. c. p. 165.) putredinem arcens, et tempeſtiue exhibitus phthiſicis proficuus.

Aqua

Aqua ſtimmi tartarea (SCHRÖDER l. c. p. 432.). Acidus pariter liquor, comburendo antimonium cum aequali tartari et ſalis communis portione impetratus, ex ſulphuris et tartari acido potiſſimum compoſitus.

Spiritus antimonii compoſitus (SCHRÖDER l. c. p. 432.). Acidus et hic liquor, ex ſulphuris acido et pauciſſimo aceto conflatus, operoſa ratione paratus ex ſulphure antimoniali duabus partibus colcotharis vitrioli permiſto, aliquoties aceto humectato et per diſtillationem iterum orbato, tum in vaſe terreo ita combuſto, vt aſſurgentes vapores alio amplo vaſe ſuperimpoſito excipi et condenſari queant.

Spiritus bezoardicus Buſſii, aqua, quam vocant, regis debilior et pauciſſimis antimonii calcinati particulis imbuta, vim putredini reſiſtentem in febribus malignis tantopere exoptatam cum aliis acidis communem habet; obtinetur autem butyrum antimonii cum ſpiritu nitri permiſcendo, et aliquoties, liquorem tranſtillantem ſemper reſiduo affundendo, donec materies ſuperſtes ſicca ſit, diſtillando.

Spiritus vitrioli philoſophicus (LEMERY l. c. P. III. c. 35.) acidus et hic liquor, perfecte ſimilis acido ſalis communis multa aqua temperato et pauciſſimis antimonii calcinati particulis grauido; obtinetur vero ex butyro vel oleo antimonii aqua plurima diluto, quae ſi pelluciditatem ſuam recuperaverit, a ſedimento defunditur.

Spiritus ſalis antimonii (B. VALENTINVS l. c. p. 140-142.). Paratur ex materia a regulo anti-

monii ſimplici, multoties, donec nihil eius amplius ignis vi in altum agatur, ſublimato, reſidua, in aëre humido in liquorem rubrum abeunte, qui per chartam traiectus et aquae portione per diſtillationem liberatus cryſtallos in fundum dimittit; hae cryſtalli depuratione albae cum tribus terrae tripolitanae partibus igni expoſitae largiuntur ſpiritum, noua diſtillatione leni igne peracta vlterius depurandum excolorem. Huic ſpiritui in pellendis febribus intermittentibus, frangendo calculo, ſubleuandis podagricorum doloribus, et, ſi extrinſecus adhibeatur, in ſanandis vlceribus diuturnis inſignem potentiam (l. c.) tribuit B. VALENTINVS.

Sal verum antimonii B. VALENTINVS (l. c. p. 141.) nominat eas ipſas cryſtallos, ex quibus vlteriori labore ſpiritus ille ſalis antimonii prodit.

Flores antimonii (B. VALENTINVS l. c. p. 114-116.) ſunt ſulphur antimonii, paucioribus metallicis eiusdem particulis rubro colore tinctum, ſublimando antimonium crudum igne violento, flores rubros a reliquis ſelectos denuo et ternis quidem vicibus cum colcothare vitrioli ſublimando, tum demum cum vini ſpiritu per aliquod temporis ſpatium calori leni exponendo, hunc defundendo, et per diſtillationem denique fluidam eius partem abſtrahendo, obtentum.

Fondant de Rotrou (GEOFFROY memoir. de l'Acad. des ſciences à Paris ann. 1751. p. 304.) eſt ceruſſa antimonii, imperfectius, ſcilicet per eſſentiam cinnamomi, abluta, et cum terra quadam calcaria permiſta,

permiſta, vt omnino a nitro nondum deſtructo, et parte eius lixiuioſa ab acido ſuo liberata vires quasdam exſerere poſſit attenuantes, refrigerantes.

Poudre de Chevalerai, puluis albus ſalſi saporis, mediae aut integrae drachmae pondere aluum purgandi ſcopo exhibitus, lixiuioſae potiſſimum indolis; paratur quippe (HELLOT hiſtoir. de l'Acad. des ſcienc. à Paris ann. 1751. p. 83. GEOFFROY l. m. c.), nitrum cum tertia reguli antimonii martialis parte igni candenti exponendo, peracta detonatione per longam adhuc moram candefaciendo, aëri humido committendo, et liquorem ſic natum leni calore humore ſuo iterum priuando.

2. *Magneſia nigra*, *Magneſia vulgaris* (LINN. *Syſt. nat. III. p.* 296.), *Magneſia ſiderea*, *Magneſium*, *Manganeſe*, Calx metallica natiua, vtplurimum atra vel nigra, et manus inquinans, ſatis ponderoſa, fragilis, cum nitri tribus partibus liquata, puluerem exhibens ex atro viridem, et aquae, cui contuſus ingeritur, primo eundem, tum violaceum, tandem rubrum colorem (vocant ideo *chamaeleontem mineralem*) impertientem, cum arena et alcali quodam fixo colliquata, ſi maior eius portio addatur, nigrum, ſi parciori manu adiiciatur, violaceum vitrum largiens, fibroſa textura, colore et debili quodam nitore antimonium aliquando mentiens, at tum quod difficilime fluat ignis violentiae expoſita, tum quod nullum eructet naribus certe ſenſibilem vaporem, facile diſtinguenda.

Locum meretur in ſuppellectili medica, eo quod igne vehementiori in vaſis eiusmodi laboribus

accommodatis torta, largam aëris vitalis (HERMSTAEDT *chem. Annal.* 1786. I. p. 316. et 1787. I. p. 296 ſq.) penum ſubminiſtrat, de cuius viribus ſalutaribus alio loco ſermo erit. V. I. CHR. A. SCHRÖDTER diſſ. num magneſia vitriariorum in febribus inflammatoriis adhibenda ſit. Ien. 1793. 4.).

3. *Arſenicum album, Calx arſenici alba, Arſenicum calciforme* (LINN. *Syſt. nat. III. p.* 335.), *Oxide d'arſenic.*

Prouti vulgo venit, album, diffractum intus vitri inſtar nitens, et vtplurimum opacum, compactum, fragile, pondere ſpecifico ad alia huius claſſis corpora accedens, at ſapore acri et quaſi vrente, facili in aqua aliisque humoribus diſſolutione, facili in igne fluxu, quem aliis quoque difficulter liquandis corporibus conciliat, vapore cano, quem prunis inſperſum eructat, odore ſuo ad allium quodammodo accedente, a reliquis diſtans, venenatae efficaciae fama omnia ſuperans.

Et fama quidem, millenis caſibus innixa; non enim animalibus modo, ſi piſces forte exceperis, quibus aqua diſſolutum minus nocuiſſe viſum fuit (PYL *neues Magazin für die gerichtliche Arzneykunde und mediciniſche Policei.* Stendal. 8. Vol. I. faſc. 4.), quantum quidem conſtat, omnibus, muſcis, porcis (WEPFER hiſt. cicut. aquat. p. 287.), cuniculis (ACKERMANN ap. BALDINGER *neues Magazin für Aerzte.* Vol. II. faſc. 6. p. 426.), canibus (I. FABER LYNCEVS Expoſitio animalium nouae Hiſpaniae. p. 475. I. AD. THEOPH. SPROEGEL experimenta circa varia venena in

in viuis animalibus inſtituta. Goetting. 1753. G. W. WEDEL diſſ. de arſenico. Ien. 1719. p. 9. WEPFER l. m. c.), pecoribus (HACQUET *neue Sammlung nützlicher Unterrichte von der Crainiſchen Geſellſch. des Ackerbaues und nützlicher Künſte.* Laybach. 4. I. 1779. p. 78. 79. GLEDITSCH *Schrift. der Berlin. Geſellſch. naturforſch. Freunde.* Vol. V. p. 275. 276. PYL l. c. Vol. I. P. 1.), muribus, rattis, talpis et feris, quibus nociuis animalibus e medio tollendis creberrime adhibetur, tam deglutitum, quam halitus (TIMAEVS A GVLDENKLEE caſus medicin. L. VII. c. 10. OPP. cura RIVINI. Lipſ. 1715. p. 280.), aut pulueris (BIERLING aduerſaria curioſa. Ien. 1679. 4. Cent. I.) forma inſpiratum, aut in venas iniectum (I. SIGM. ELSHOLZ *neue Clyſtierkunſt, wordurch eine Arzney durch eine eröfnete Ader beyzubringen.* Berlin. 1665. 8.), aut vulneribus inſperſum (SPROEGEL l. c.), grauiſſima ſymptomata, imo ſaepiſſime mortem creat, ſed humano quoque generi materies veneficii et doloſi et culpoſi longe frequentiſſima, non enim numeroſiſſima modo legas exempla hominum a deglutito, vtplurimum cum aliis, niſi ventriculum cibis refertiſſimum habuerint (H. AB HEERS obſerv. oppido rar. in Spa et Leodii animaduerſ. cum medicament. ſelect. et vt vocant ſecretis. Leodii 1624. 8.) arſenico, verum etiam a puluere eius cum aëre hauſto (GLEDITSCH l. c. p. 274.), ab arſenico, amuleti loco in pectore ſuſpenſo (IOS. ALPHANI opus de peſtil., febre peſtilentiali et febre maligna, nec non de variolis et morbillis quatenus nondum peſtilentes ſunt. Neap. 1577. 4. CRATO A KRAFTHEIM l. c. L. IV. p. 504. 505. VII. p. 749. VERZASCHA obſ. med. cent. Baſil. 1677. 8.

8. p. 66. M. G. PVRMANN *Peſtbalbierer*. Halberſt. 1683. 4. DIEMERBROEK *de peſt.* L. IV. Arnh. 1646. 4. p. 99. HODGES Λοιμογραφια. Lond. 1762. 8. p. 239. MARGET traité de la peſte recueilli des meilleurs auteurs anciens et modernes. Genev. 1721. 12.), aut poſt concubitum vaginae intruſo (MANGOR act. ſoc. reg. med. Havnienſ. Vol. III. n. 13.), aut vnguenti forma adplicato (AM. LVSITANVS Curation. Cent. II. Cur. 34. HARDER apud WEPFER l. c. p. 189. *Altonaiſch. Poſtreuter.* 1784. d. 18. Febr.), aut partibus excoriatis (SALMVTH obſeruat. medic. Brunsv. 1648. Cent. 2. p. 96. LINDENSTOLPE lib. de venenis, cura STENZEL. Francof. et Lipſ. 1739. 8. p. 735.), vel exulceratis (FABRICIVS HILDANVS de gangraena et ſphacelo. Opp. omn. p. 777. BACCIVS et FERNELIVS apud HEVCHER Mithridates ſiſtens praeſeruationem principis a veneno. Opp. omn. Vol. I. p. 433. *Neues Magazin für Aerzte.* Vol. I. faſc. 1. p. 93. BLVMENBACH *medicin. Biblioth.* Vol. II. faſc. 2. p. 376.) pulueris ſpecie inſperſo, aut alia via (PYL *Aufſätze und Beobachtungen zur gerichtlichen Arzneywiſſenſch.* Vol. I. P. 1. n. 4. FOTHERGILL medical obſervations and inquiries by a Society of Phyſicians at London. Vol. V. 1776. n. 37.) per poros cutis intrante, aut extrinſecus (SHERWAN mem. of medic. Societ. of London. Vol. II. p. 394.) admoto, peſſime mulctatorum, nec raro interfectorum.

Magis ideo intereſſe videtur probi medici, viroſam atrociſſimi veneni noſſe potentiam, et praevertere, veneficos nefarie eo abutentes publicae exponere luci, vexatos eius virulentia miſeros ſanare, quam ſalutares corporis tam ambigui tentare vires.

Plurima

Plurima omnino, quibus hominem torquet, ſymptomata cum aliis materiis virulentis, acrimonia ſua infeſtis, habet communia, vt ex his ſaltem vix cum aliqua certitudine erui ſpecialis eius indoles poſſit. Deglutitum omnes, quas contingit partes dolorifico quodam ſenſu, nonnunquam ad deliquia animi, conuulſiones, deliria aegrum inducente, perfundit, puſtulas labiorum atque oris interni, ſiccitatem oris et linguae, vomitus frequentiſſimos, vehementiſſimos, primo pituitae, tum bilis, praecordiorum oppreſſiones, ſitim non exſtinguendam, appetitum cibi proſtratum, ſingultus, tormina, alui profluuia violentiſſima, non raro cruore tincta, abdominis tenſionem atque inflationem, pulſum celerem, debilem, contractum, tremulum, irregularem, tremores et frigus artuum, ſudores frigidos, praeſertim frontis, ventriculi inflammationem in pylori regione et fundo potiſſimum conſpicuam, et crebro gangraena, ſphacelo, eroſione, tunicae villoſae ſolutione terminatam, et ſimiles in inteſtinis mutationes: Videas cadauera hoc veneno intus ſumto peremtorum multo citius in putredinem naribus moleſtiſſimam reſoluta, maculis liuidis per omnem ſuperficiem quaſi conſita, oculos liuore circumfuſos, vngues liuentes et non raro prima iam mortis die vna cum capillis deciduos, partes nonnullas, et praeſertim genitales, viridi, luteo, nigro calore foedatas, et tumidas, membra quaedam ſponte, aut leuiſſima accedente vi ſecedentia.

Qui parcius, aut aliis temperatum ſumſerunt arſenicum, ſimilia quidem experiuntur mala, verum neque omnia, neque eodem horrendo impetu infeſtantia, ſed ſub-

ſubdolas magis vitae inſidias ſtruentia, doloribus per venas quaſi et abdomen vagantibus, in ventriculo potiſſimum defixis, ſiti vehementi excruciantia, febre lenta, tabe, paralyſi ab exterioribus partibus ad internas progrediente, vltimum eius halitum paulatim exſtinguentia.

Quibus extrinſecus admotum nocuit arſenicum, praeter tumorem et vlcus, in parte, quam proxime et primo contigit, excitatum, non raro latius ſerpens et profundius penetrans, dolores per alias atque alias partes vagantes, interdum conuulſiones, ſputum ſanguinis, furores, animi deliquia, paralyſes, frigoris ſenſum, vomitus, appetitum proſtratum experiuntur; crebrius, ſi ſero paretur medicina, febre lenta et tabe conſumuntur.

Sunt tamen notae, quibus dignoſci inimica illa vitae materies, ſunt multa, quibus expelli, antequam vitae ipſi noceat, quibus obtundi et ſuperari eius ferocia poteſt.

Et primo quidem paulo curatius inueſtigandum eſt medico in primam mali originem, qua ſcrutatione prudenter inſtituta operoſiore chemico examine ſuperſedere ſaepe poterit; perueſtiganda ſunt exactius tum eſculenta et potulenta, tum medicamenta, quorum vſum proxime inſecutae ſunt illae turbae, et ſi aut horum nihil amplius ſuperſit, aut ex eorum ſcrutinio veritas non pateſcat, ea quae aegrotus vomitu aluoque egerit.

Si potior eorum pars arſenico conſtat, facilis eſt iſte labor; arſenicum enim prunis inſperſum fumum album

album eructat, odore ſingulari proxime ad foetorem allii accedente imbutum; niſi ergo fluida aut humida ſit iſta materies, quo in caſu leni prius igne ſiccanda eſt, carbonibus ardentibus inſperſa fumo aſſurgente laminae metallicae politae illi expoſitae maculam albam, aut, ſi quidem periculum in tabula cuprea fiat, huic maculam nigram imprimente, ſi vaſis clauſis fiat, in parte horum ſuperiore frigidiore in maſſam albam condenſato, arſenicum, ſi quidem illud contineat, manifeſtabit.

Sin autem arſenicum parciori copia implicitum ſit aliis, quae igne tentata ſimiliter fumum penetrantem ſuo nidore illum allii aemulum putorem quaſi obuoluentem edunt, ambiguum valde redditur hoc examen. Tunc igitur alia via procedendum, qua nubendo arſenicum corpori, quod igni expoſitum nullum aut facile diſtinguendum odorem emittit, duce Cl. HAHNEMANN (*Ueber die Arſenikvergiſtung, ihre Hülfe und gerichtliche Ausmittelung.* Leipz. 1786. 8. p. 236 ſq.) detegi vel minima arſenici labes in corporibus latens poteſt: Coquitur ſcilicet materies, niſi iam ſatis fluida ſit, cum multa aqua fluviali, et liquoris per chartam griſeam traiecti ac limpidi portioni inſtillatur aqua calcis feruida et limpida; alteri aqua gas hepatico ſaturata; alteri adhuc ſolutio cupri per ſpiritum ſalis ammoniaci cauſticum facta, ſingulae recens et ſollicite confectae; ab omnibus turbatur, ſi quidem arſenicum contineat, ille liquor, et praecipitatur ſedimentum, quod exſiccatum ac prunis iniectum fumo aliii nidore infeſto arſenicum oſtendit; et ab aqua quidem calcis ſedimentum

mentum album, quod aqua recenter arſenico impraegnata denuo ſoluitur, et vt carbonibus iniectum manifeſtum allii foetorem ſpargat, oleo, quod prius imbibat, eget; ab aqua gas hepatico impraegnata aurantium, quod in ignem coniectum, antequam arſenicum ſpirat, ſulphuris flammulam et halitum emittit, et a memorata cupri ſolutione ex viridi luteum, quod ſpiritu ſalis ammoniaci cauſtico perinde ac acidis facile ſoluitur.

Medicatio malorum ab arſenico progenitorum non ſemper eadem eſſe poteſt; alia ſi extrinſecus adplicatum; alia ſi intus ſumtum, alia ſi largiori, alia ſi parciori, alia ſi meracum fere, alia ſi aliis temperatum atque inuolutum, alia ſi vix antequam medicus adſit, deglutitum fuerit, alia ſi iam ventriculum exedendo, neruos fibrasque contractiles violentiſſime agitando aut conſtringendo, in inteſtina progrediendo, ſuccos ipſos inficiendo, terribiles in omni ſyſtemate animali excitauerit turbas.

Commendarunt alii, inter recentiores praeſertim SAGE (Elemens de mineralogie docimaſtique. à Paris. 1772) acetum et ſuccum pomorum citreorum, debellando arſenici veneno paria, at quamuis SIDONIS, eo remedio per os et anum largiſſime ingeſto quinque homines veneno hoc vitiatos liberantis (l. c.) teſtimonium proferat, deſunt tamen fidae aliorum obſeruationes in hominibus factae, repugnant alia ex indole arſenici acidis affini depromta; ſaluauit multos, tunicas internas ventriculi atque inteſtinorum a contactu acerrimi veneni muniendo, illud ipſum inuoluendo, vomitum ſubleuando, vbique fere obvium,

vium, nec vlla praeparatione egens lac, aut meracum largiſſimis hauſtibus epotum, donec nullum amplius vomitum moueat, aut vitello ouorum (FIELIZ *neues Magazin für Aerzte.* Vol. II. faſc. 1. 1789. p. 50.), butyro inſulſo (FORESTVS obſeruat. et curation. medicin. T. XXX. de venenis. Leid. 1606. 8.), amygdalarum oleo aliisue pinguibus (FR. HOFFMANN medicin. conſultator. Halle. 4. P. I. 1721. p. 35. 147. III. p. 212. et medicin. rational. ſyſtematic. Hal. 4. 1729. p. 196. I. PRIMIROSE de vulgi erroribus. Amſtelaed. 1630. L. IV. 12.), aut farina aliisue viſcidis temperatum, et in pultis ſpeciem redactum (WEPFER hiſtor. cicut. aquatic. Lugd. Bat. 1733. 4. c. 21. hiſt. 10. p. 360. HAMMER commerc. litterar. Noric. 4. 1738. p. 212.), aut cum ſuccolada ouorumque vitello ſubactum (Ephemer. Acad. Caeſar. Natur. Curioſ. ann. 3. obſ. 40. p. 68. BONET medic. ſeptentrional. collect. P. 2. Sect. 1. obſ. 38. p. 376.), vt ideo Arabes iam medici e. gr. AVICENNA (Canon. L. IV. c. 9. Oper. Venet. 1708. fol. Vol. II. p. 202.), et qui eos ſecuti ſunt, lac copioſe hauſtum inter prima huius veneni antidota referrent: Seruauit alios butyrum, amygdalarum aut aliud dulce recensque oleum (VALLERIOLA loci communes medicinae. Digeſtor. L. III. Venet. 1583. 8. HÖCHSTETTER rarior. obſeruat. medicinal. Decad. VI. Baſil. 1627. 8. PFANN *Sammlung verſchiedener merkwürdiger Fälle, welche theils in die gerichtliche, theils in die practiſche Medicin einſchlagen.* Nürnb. 1750. 8. 2te Zugab. p. 24.), vt ea propter olea, pinguedines, vnguinoſa et Arabes Medici, e. gr. AVICENNA (l. m. c.), ALBVCASIS (Liber theoricae. Auguſt. Vindel. 1509.

R fol.

fol. L XXX. c. 8. p. 129.), porro P. DE ABANO (de venenis eorumque antidotis cura GVIL. GVATTAROLI. 8. c. 11. p. 29. 30.) commendauerint; ſalutiferum expertus eſt cremorem lactis QVELLMALZ (Commerc. litterar. Noric. 1737. p. 220.), quem quoque enixe praedicat Cl. HAHNEMANN (l. c. p. 93.), ex orci faucibus liberauit arſenici veneno infectum olei, quod vocant, tartari per deliquium guttis quinquaginta ſingulis horis exhibitis Cl. HVFELAND (Nov. act. ac. caeſar. natur. curioſ. Vol. VIII. p. 131 ſq.); enixiſſime commendat eundem in finem, argumentis vtique egregiis nixus, aquam tepidam (quatuor libras) ſapone vulgari (libra) grauidam, cum fruſto ſacchari ſpatio duarum horarum ſorbendam (l. m. c.) Cl. HAHNEMANN; alii mucilagines acrimoniam obvoluentes; ita Arabes Medici, AVICENNA, RHAZES, ALBVCASIS (ll. cc.) coctam cum ſeminibus lini, oryzae, hordei, cum amylo aquam, P. DE ABANO (l. c.) iuſculum gallinae pinguiſſimae copioſiſſime ingerenda praeceperunt: Confugerunt alii, e. gr. NAVIER et SINGER (ll. cc.) ad varias hepatis ſulphuris ſpecies, quibus tamen antecellere, ceterum minus primis veneni inſultibus, quam potius reliquiis eius ex corpore exſtirpandis conducere videtur (Cl. HAHNEMANN l. c. p. 126.) aqua gas hepatico ſaturata: Anceps omnino auxilium aqua tepida, quamuis plenis hauſtibus ingurgitata, ab Arabibus potiſſimum imperata, ſi ſoli huic fidere velles.

Etiamſi vero tot tantaque mala in corpore animali gignat incautus ac nefarius arſenici huius vſus, vt STAHLIVS (Opuſc. chymic. phyſic. medic. Hal.

1715. 4. Nouembr. p. 448 ſqq.), EL. CAMERARIVS (diſquiſ. de venenorum indole ac diiudicatione. Tubing. 1725. p. 21.) multique alii medici perhorreſcerent omnem, attamen non veterinarii modo hinc inde lauandis ouibus (GLEDITSCH *Schriften der Berlin. Geſellſch. naturf Freunde.* Vol. V. p. 284.), inungendis equis ſcabioſis (GLEDITSCH l. m c p. 276.) adhibuerunt, ſed etiam ſeculo iam decimo tertio extrinſecus ſcrophulis applicuit THEODORVS (Chirurg. L. IV. Venet. 1499. fol. p. 171.), et inſequente mox ſeculo ad eſcharam in hydrocele procreandam GVIDO DE CAVLIACO (Magna Chirurgia. Venet. 1546. fol.), aceto irroratum tum ſcrophulis, tum clauis pedum abſumendis HIERON FABRICIVS vulgo dictus ab *Aquapendente* (Oper. chirurg. Francof. 1620. 8. p. 739.) et P. HERMANN (Cynoſura materiae medicae, cura I. BOECLERI. Argentor. 4. 1726. P. II. p. 82.), cancro, praeſertim exulcerato, neque exemplis funeſti euentus (ANGELVS SALA ternarius bezoardicorum. c. 27. Oper. p. 582. GVIL. FABRICIVS, vulgo HILDANVS de gangraena et ſphacelo. Colon. 1593. 8. HIERON. FABRICIVS l. c. p 425. CLAUDE CHAPUIS traité des cancers tant occultes, qu' ulcerés. Lion. 1607. 12. DEHNEKE ap. LERCHE obſeruat. de cancro mammarum. Goetting. 1777. p. 25. BALDINGER *neues Magazin für Aerzte.* Vol. I. faſc. I. BLVMENBACH l. c.), nec monitis grauium in arte virorum, GVIL. FABRICII (obſeruat. et curation. Cent. VI. Francof. 1627. 4.), O. PH. PRAVN (*Anleitung zu der Krebscur ohne Schnitt.* Vlm. 1744 8. p. 38.), ACRELL (Vecko-ſkrift för Läkare och Naturforſkare. Vol. IX. 1788.), D. MONRO (l. c. I. p. 334.) et RUSH (qui medical

 inqui-

inquiries and obſervations. Philadelph. 1789. 8. in iis aegris tantum admittit, quorum ſyſtema lymphaticum adhuc integrum eſt) deterriti, G. FALLOPIVS (de vlceribus et de tumoribus. L. II. Venet. 1563. 4.), A. LIBAVIVS (ap. GREG. HORST obſeruat. medicin. Vlm. 1628. 4. p. 469. a.), M. ETTMÜLLER chirurg. medic. Oper. omn. P. II. p. 27. a.), ROENNOW (Kongl. Svenſk. Vetenſk. Academ. Handling. för ar 1776.), et alii, rarius meracum, quam aut quatuor radicum dracunculi maioris et ſex fuliginis (I. HARTMANN prax. chymiatric. Oper. omn. medico-chymic. Ed. IOHRENII. Francof. 1695. fol. p. 41., qui *puluerem benedictum* vocat), partibus intertritum, aut cum mercurio corroſiuo albo et ſulphure (A. LIBAVIVS l. m. c. p. 469. b.), aut cum eodem mercurio ſublimato, ſale armoniaco, aqua forti et aceto (IACOB apud RIVERIVM Oper. medic. Francof. 1669. fol. obſeruat. communic. XX. p. 678. b.) in paſtae ſpeciem ſubactum, aut cum tribus partibus radicis ſerpentariae maioris (OSLEVIVS apud CRATO A KRAFTHEIM l. c. L. III. p. 411.), aut cum aequali portione radicum ſcrophulariae maioris (PRAEVOT medic. pauper. p. 301. FR. HOFFMANN theſaur. pharmaceutic. tit. Emplaſtr. p. 70.), aut cum vitriolo vſto, ſulphure, ſale gemmae et aceto igne tortum (P. HERMANN l. m. c.), aut cum arſenico rubro, auripigmento et cantharidibus contritum (FRAVNDORFER tabula ſmaragdina. Norimb. 1699. 8. p. 224.), aut cum nitro (G. W. WEDEL de medicamentorum facultatibus p. 64.), aut cum duabus nitri, duabus tartari partibus, radice ari et ſale fuliginis (AGRICOLA tractat. de arſenico p. 562.), aut cum tribus radicis ari partibus,

tibus, eaque fuliginis portione, vt griſeus naſcatur color (PH. MÜLLER miracula et myſteria chymico-medica. Witteberg. 1623. 12. p. 184.), aut cum lapide calaminari et ceruſſa (Veckoſkrift för Läkare och Naturforſkare. Vol. V. 1784.), aut, HANGARDI exemplo (BALDINGER l. m. c.), cum vitriolo caeruleo, aut, audit tunc *puluis anticancroſus Bernhardi*, cum calceorum antiquorum combuſtorum cineribus, ſanguine draconis et cinnabari (Journal de medec., chirurgie et pharmacie. T. LVII. 1782. Mart. RICHTER *chirurg. Biblioth.* Vol. I. 1745—48., qui poſterior tamen in caſibus deterioribus internum conii, et externum plumbeorum pulpaeque carotae vſum adiunxit) permiſtum, aut vna cum extracto ſaturni, conii et corticis cinchonae (ALTHOF *practiſche Bemerkungen über einige Arzneymittel.* Goetting. 8. Vol. I. 1791. p. 289.), aut cum floribus ſulphuris, foliisque cotulae et ranunculi flammulae (MACBRIDE methodical introduction to the theory and practice of phyſic. London. 1772. 4. Vol. 2. p. 626.), vel ſumtis loco cotulae turionibus peucedani (PLUMKED theory and practice of chirurgical pharmacy p. 237.) miſtum, et, dum adhibetur, cum vitello oui ſubactum, aut aqua, granum vnum aquae vnciis ſex (SPIELMANN ſyllabus medicamentorum. Argentor. 1777. 8. p. 71.), vel quatuor grana libris duabus (LE FEBURE de S. ILDEFONS remede approuvé, pour guérir radicalement le cancer occulte et manifeſte. à Paris. 1775. 8. *aus dem Franzöſiſchen überſetzt von* G. A. IVNCKER. Francf. u. Leipz. 8. 1776. p. 19.) ſolutum, aut cum aqua florum ſambuci et calce viua (S. YVES apud ROENNOW l. c.), aut cum vnguento,

guento, granum vnum vnguenti vnciae addendo (SPIELMANN l. m. c.), aut (IVSTAMOND l. c.) adiecto ſimul opio (ſcrupulo dimidio), cum cerato citrino (grana arſenici tria vel quatuor cum cerati drachma) ſubactum, quo poſteriori vnguento IVSTAMOND (l. c.) in ſcrophulis quoque apertis, et prouti Cl. HAHNEMANN (*Anleitung alte Schäden und Geſchwüre gründlich zu heilen etc.* Leipz. 1784. 8.) et Chirurgi Americae ſimiliter arſenico, alia tamen forma induto (DES PORTES hiſtoire des maladies de S. Domingo. à Paris. 12. 1770. T. III. p. 178.), in aliis vlceribus ſordidis et malignis feliciter vſus eſt. Extrinſecus quoque, volae manuum ſcilicet infricatum, arſenicum cum vnguento quodam ſubactum, ad ſanandum hydropem inueteratum vſu venire in Anglia, teſtis eſt Cl. ARNEMANN (*Entwurf einer praktiſchen Arzneymittellehre.* Goettingen. 8. Vol. I. 1791. p. 181.), qua ratione adhibitum vrinam pellit.

Neque externo tantum in vſu ſubſtitere medici, ſed audaces ſatis, perſuaſiſſimum quippe ſibi habentes, anceps remedium praeſtare nulli, duro nodo durum opponendum eſſe cuneum, neque vllum dari venenum, quin cauto vſu, refracta doſi, contrariis temperatum, in ſalutem hominis cedere queat, praeeunte ſub ſeculi nunc ad finem vergentis auſpiciis FRICCIO (paradoxa de venenis. Auguſt. Vindel. 1710. 8. c. 2. p. 30 ſqq.), repugnantibus vtique magni nominis medicis, e. g. SPERLING (diſſ. de arſenico. Vitemb. 168(. 4. §. XVII.), STAHLIO (l. m. c. p 430.), G. W. WEDEL (diſſ de arſenico. Ien. 1719. 4. c. 3. p. 20.), R. LENTILIO (Eteodro-

mus

mus medico-practic. ann. 1709. Stuttg. 4. p. 998.), SCHLIERBACH (act. ac. caeſar. natur. Urioſ. Vol. 6. obſ. LXII.), ZELLERO (diſſ. de vino lithargyrio mangoniſato. Tub. 1704. 4. c. 3. §. 3. p. 27.), STOERCKIO (annus medic. Vindob. 1759. 8. p. 76 ſq.), et non paucis mali (STAHL et STOERCK ll. cc. THILENIVS apud Ill. RICHTER *mediciniſch-chirurg. Bibliothek.* Vol. V. 1779. p. 538. DUVAL apud MONRO l. c. I. p. 329.), aut dubii (ANONYMVS apud Ill. RICHTER l. m. c. Vol. IV. p. 586. SCHNEIDER ibid. Vol. VIII. p. 724.), aut irriti (L. E. SCHNEIDER *chirurgiſche Geſchichten mit theoretiſchen und praktiſchen Anmerkungen.* Chemniz. 8. P. IX. 1781. MONRO l. c. I. p. 331.) euentus exemplis, internum quoque vſum tum in cancro, tum in febribus intermittentibus tentarunt.

Qui cancri ſanandi ergo vſi ſunt arſenico, iam prioribus ſeculis in hoc morbo decantato (ZELLER l. m. c.), externum plurimi cum interno vſu coniunxere; placuit aliis forma liquida, paucioribus (HAHNEMANN l. m. c. et apud MONRO l. c I. p. 329. 331. 335.) nuda arſenici per aquam ſimplicem facta ſolutio, quamuis tutior, qua quippe forma determinari certius atque exactius doſis poteſt; miſtam cum aequali lactis portione et ſyrupo diacodion edulcatam, ſingulis diebus cochlear eius, ſorbendam propinauerunt hoc malo decumbentibus LE FEBURE de S. ILDEFONS (l. m. c.), RÖNNOW (Kongl. Svenſk. Vetenſk. Acad. Handling. Vol. 39. trim. 2. et Veckoſkrift för Läkare och Naturforſk. Vol. 6. 1785.) et SCHMALZ (*chirurgiſche Vorfälle.* 1784. 8.): Ex ſex eius granis cum duodecim granis opii, nitri drach-

 mis

mis duabus et totidem gummi arabici cum mucilagine huius quadraginta octo pilulas confici iubet, quarum vna ad ſex vsque per diem ſumtis cancrum ſe feliciter debellaſſe, affirmat ADAIR (ap. DUNCAN medical commentar. for 1783. 1784. Vol. IX. 1785. 8.).

Potiſſimum tamen ad febres intermittentes iugulandas iam dudum adhibitum ab agyrtis et medicis fuit arſenicum (ZELLER l. m. c. N. LEMERY cours de chymie. p. 375. I. I. WEPFER de cicuta aquatica. c. 21. hiſt. 13. ſchol. 3.), multorum ſpecificorum antifebrilium, praeſertim arcanorum, princeps materies (A. E. BÜCHNER miſcellanea phyſico-medico-mathematica. Erford. 1728. 4. p. 1109.), a multis corticis cinchonae in locum ſubſtitutum (SLEVOGT inuit. ad diſſ. WEDELII de arſenico. Ien. 1719. 4. p. 5.), rarius nudum ac meracum, quale tamen exemplum narrant STAHLIVS (l. c. p. 446.) et MONRO (l. m. c. p. 329.), ſed aliis atque aliis permiſtum, quibus cicurari eius virulentia poſſit: Sunt, qui ſicca pulueris aut pilularum forma aegrotis porrigunt, liquidam formam praeferentibus aliis; adiecit arſenico cryſtallum montanam, praeſtantiſſimum fide eius, qua viuebat, aetatis arſenici antidotum, et camphoram FRICCIVS (l. c. p. 48.), piper aut cancrorum lapides alii (v. GLEDITSCH l. m. c. p. 275.): Coxerunt alii cum aequali cremoris tartari parte in aquae partibus octo per horae partem dimidiam, et delapſas ex traiecta per chartam griſeam, vlterius cocta, et refrigerata ſolutione cryſtallos praeceperunt: FOURCROY medec. éclairée par les ſciences phyſiques etc. II. p. 363. 364.).

Quum

Quum tamen ſicca forma deglutitum facilius multo et tenacius villis tunicae ventriculi adhaereſcendo, nocere tantopere poſſit, tutius aqua ſolutum, et eo, quod definiri ſic facilius eius doſis atque accuratius poteſt, mera aqua ſolutum (HAHNEMANN l. m. c.) exhibetur; placuit tamen aliis, eundem in finem coniungere cum cremore tartari; ita FR. I. MOLITOR (diſſ. de febre continua maligna et intermittente tertiana vtraque ad Rhenum ann. 1734 et 35 epidemica et caſtrenſi, Heidelberg. 1736. 4. P. II. §. 36.) aſſeuerat, medicos plures ad tollendas febres intermittentes arſenico ad granum vnum vel duo cum cremoris tartari ſcrupulo integro in iuſculis farinaceis aceto vini conditis feliciſſime vſos fuiſſe: Aliis, virulentiam arſenici acidae eſſe indolis ſibi perſuadentibus, ſalibus igitur lixiuioſis certius temperandam, factum cum his connubium magis arriſit: Dantur e. g. qui arſenici grana duo vna cum ſalis tartari drachma vnciis quatuor aquae diſtillatae ſoluta, *guttarum febrifugarum* nomine praedicant: Cl. WILLAN (London medical journal. 1786. n. 14.) et FOWLER (ibid. Vol. VII. P. 2. et medical rapports of the effects of arſenic in the cure of agues, remittent fevers and periodic headachs. Lond. 1786. 8.) arſenici grana ſexaginta quatuor cum totidem ſalis tartari granis lento igne, tamdiu, donec omne ſolutum ſit, in aquae diſtillatae libra dimidia coqui, et ſolutioni refrigeratae ſpiritus lauendulae compoſiti vnciam dimidiam, et aquae fontanae tantum, quantum opus eſt ad libram integram complendam, adfundi iubent, huiusque liquoris, *ſolutionem mineralem* nominant, bis per diem infantibus guttas duas,

adultis decem ad duodecim, quarum centum et ſexaginta granum vnum arſenici continent, praeſcribunt: Eum liquorem ad guttas ſex et tredecim aquae fontanae vncia, ſpiritus nucis moſchatae drachmis duabus, et ſyrupi caryophyllorum drachma media temperatas, in angina, quam vocant, pectoris, in epilepſia et in conuulſionibus a vermibus ortum ducentibus cum ſucceſſu ſe exhibuiſſe teſtatur Ed. ALEXANDER (apud DUNCAN medic. commentar. Dec. II. Vol. V. P. 1. n. 6.).

Alii, v. g. MONRO (l. c. I. p. 330.) arſenici vnciam cum cinerum clauellatorum vnciis duabus et ligni ſantali raſi vncia in aquae libris viginti quatuor, tamdiu donec omne ſolutum ſit arſenicum, et ſedecim aquae librae vaporum ſpecie auolauerint, coqui, refrigeratum liquorem per chartam traiici, eiusque nouem horarum ſpatio adultis guttas ſeptem, infantibus vltra ſeptem annos natis quinque, minoribus tres cum infuſi theae aut decocti hordei vnciis nonnullis ſorbendas praecipiunt; B. IACOBI (Act. ac. Elect. Mogunt. Erford. Vol. I. p. 222.) arſenici ſcrupulum dimidium ſalis tartari drachmis duabus permiſtum cum aquae vnciis tribus et dimidia tamdiu, donec aquae pars dimidia auolaret, coqui, et refrigerato liquori tantum aquae, quantum exhalauit, et pauxillum ſpiritus vini addi imperat; huius liquoris, a GREDINGIO etiam (ap. IACOBI l. m. c. p. 226.) et Clariſſ. ACKERMANN (apud Ill. BALDINGER *neues Magazin für Aerzte.* Vol. II. faſc. 6. p. 419.), ab hoc quoque in melancholia, fauſto cum ſucceſſu adhibiti, B. IACOBI infantibus guttas ſex ad ſedecim, ad-

vltis

vltis triginta diebus intercalaribus quater ſumendas commendat. Aſt huius quoque per ſalem lixiuioſum mitigati arſenici vſum cuniculis, canibus, felibus pernicioſum expertus eſt CAELS (*Memoir.* de l'Academ. imperial. des ſcienc. et belles lettres à Bruxell. Vol. IV. p. 260.), hominibus Perill. STÖRCK (l. m. c.) et HEBENSTREIT (anthropologia forenſ. Lipſ. 1751. 8. p. 506): Vtram harum praeparationum ſub *potaſſae arſenicatae* titulo comprehendat, qui epilepticis exhiberi refert, A. DUNCAN (Medical commentar. for 1788. Dec. II. Vol. III. Edinb. 1789.) haud conſtat.

Sunt denique (v. I. C. GMELIN Commerc. litterar. Noric. 1734. p. 292.), qui arſenici drachmam cum nitri antimonialis drachma dimidia in aquae fontanae vnciis ſeptem, donec harum quinque ſuperſint, coqui, liquorem refrigeratum et per chartam traiectum florum papaueris pigmento imbui, eiusque, ſi ſudor ciendus ſit, guttas duodecim, ſi vomitus mouendus, triginta cum infuſo theae calido ſumi volunt.

PRAEPARATA.

Arſenicum fixum ex deflagrante cum nitro arſenico albo natum; nonne hoc eſt *arſenicum deflagratum*, quod MOLITOR (l. c. §. 55.) ad granum vnum aut tria cum ligni ſantali rubri granis duobus, terrae ſigillatae rubrae granis quatuor, et aquae communis copia ſufficiente in pilulam conflatum, ab empiricis peſſimo cum effectu fuiſſe adhibitum refert? Huic ſatis ſimilem praeparationem ſuo iam tempore

pore in vlceribus cancroſis et malignis extrinſecus adhibendam commendat PH. MÜLLER (l. c. p. 68.).

Aqua arſenici eſt arſenicum fixum in aëre deliqueſcens et aqua quadam diſtillata ſolutum, ab HARTMANNO (l. c. p. 30.) in naſi cancro collaudatum.

Liquor arſenici fixi, *Oleum arſenici fixi*, quibusdam *Butyrum arſenici*, ex arſenici partibus duabus, cum nitri partibus duabus, et, quod tamen non adiiciunt omnes, ſulphuris parte vna deflagrantibus, et ad aëris contactum deliqueſcentibus paratum, a I. HARTMANNO (miſcellan. chymic. p. 9.), I. AGRICOLA (Commentar. in chymiam POPPII. p. 555.), P. HERMANNO (l. c. p. 82.) et RIVERIO (l. c. p. 64.) externo vſu in cancro commendatum, a PRAVNIO *Anleitung zu der Krebscur ohne Schnitt.* p. 76.) in tollendis vlcuſculis cancroſis feliciter adhibitum.

Butyrum arſenici, *Oleum corroſiuum arſenici*, ſpiſſa atque acerrima arſenici in acido ſalis fortiſſimo ſolutio, ad eſcharam gignendam olim interdum adhibita (N. LEMERY l. m. c. p. 380.).

Arſenicum citrinum, a colore ſuo nominatum, quem parcae ſulphuris copiae cum arſenico ignis ope in altum actae debet, a FRICCIO (l. c. p. 48.), perinde ac arſenicum album, febribus intermittentibus oppoſitum: Ita etiam Cl. ADAIR (medical commentar. of a ſociety of phyſicians at London. for 1783. 1784.) octauam grani arſenici albi partem cum ſulphure terendo mixtam in morbo cutaneo Indiae occidentalis incolas crebro affligente, Yams, in lichenibus

nibus aliisque cutis morbis pertinacioribus interno vſu potentiſſimam expertus eſt. At hanc etiam arſenici miſturam intus exhibitam periculi plenam eſſe, exemplum nutricis teſtatur, eius vſu incauto interemtae (LOEW apud SYDENHAM Oper. omn. Vol. II. p. 324.), vt ideo non immerito venenis accenſeant M. B. VALENTINI (pandect. medico-legales. Francof. 1701. 4. P. VI.) et FR. HOFFMANN (Medic. rational. ſyſtematic. Hal. 4. T. II. 1729. Pathol. gener. P. II. c. 2. §. XII — XIV. p. 179-182.).

Arſenicum rubrum, *Riſigallum*, (multis quoque) *Realgar*, *Sandarach*, *Zarnik* veterum, plurimum vtique per artem paratum, etſi hinc inde a natura quoque progeneratum, pictoribus vſitatiſſimum, non animalibus brutis (FR. HOFFMANN l. m. c.) modo, (canibus tamen non ſemper New dispenſatory. Ed. II. London. 1765. p. 94.), ſed hominibus quoque (SENNERT prax. medic. L. VI. P. 6. c. 9. FABER LYNCEVS expoſit. animal. nov. Hiſpaniae. p. 475.) pernicioſum, aliquoties iam (Ephemerid. Ac. Caeſar. Nat. Curioſ. Vol. V. obſ. 102. p. 355. I. I. WEPFER l. m. c. p. 284.) lethale.

Neſcio, an huc referenda ſit miſtura a Clariſſ. IVSTAMOND (l. c.) ad delendum teterrimum eorum foetorem vlceribus cancroſis adſperſa; eſt ſcilicet materies a ſublimato cum quatuor ſulphuris partibus arſenico in retortae fundo ſuperſtes.

Auripigmentum (LINN. *Syſt. nat. III. p.* 336.) *Arſenicum* Veterum Graecorum et Arabum, et ſi aut natiua ſua indole (nam a natura ipſa gignitur), aut

aut leni igne vſtum in ruborem vergat, *Sandarach*, flauedine magis ſaturata, pondere ſpecifico maiori, nitore egregio, textura lamelloſa facile a praecedentibus diſtinguendum, quamuis (forte cum arſenico citrino confuſum) hominibus externo iam vſu conuulſiones lethales excitaſſe teſtetur NAVIER (l. c.), interno praeter conuulſiones VAN SWIETEN (apud CRANTZ mater. med. et chirurgic. T. III. p. 23.) alia quoque atrocia ſymptomata FORESTVS (obſeruat. et curat. medicin. 12. l. 17. p. 118.) et ipſam adeo mortem M. B. VALENTINI (l. m. c. P. III.) concitaſſe referant; alii tamen a cuniculis (HILLEFELD Experimenta quaedam circa venena. Goetting. 1760.), canibus et felibus (FR. HOFFMANN medic. ration. ſyſtemat. II. p. 181.) ad drachmae pondus vsque impune fuiſſe deuoratum, aſſerunt, et ab omni etiam veneni hominibus nociui (ita FR. HOFFMANN l. m. c. et obſeruat. phyſico-chymic. ſelectior. Hal. 1736. 4. L. III. obſ. 1. p. 238. et diſſ. de laeſionibus externis, abortiuis, venenis et philtris obſ. XIV. in opuſcul. pathologico-practic. Hal. 1738. 4. Dec. II. n. V. p. 408.) culpa non modo abſoluunt, ſed praeeuntibus Graecorum (e g. DIOSCORIDE l. c. L. V. c. 70. 71. GALENO de ſimplicium medicament. facultatibus L. IX. interpr. TH. G. GAUDANO Pariſ. 1547. 12. p. 289. b. et de compoſitione medicamentorum ſecundum loca. c. 2. et 9.) et Arabum (v. g. RHAZEO continent. cur. Hieron. *Suriani*. 1500. fol. L. VIII. AVICENNA canon. L III. Venet. 1488. T. I. p. 262.) Medicis, aliisque: NIC. MYREPSO (medicamentor. opus in ſectiones 46. diuiſ. digeſt. cur. LEON. FVCHSII. Baſil. 1549. fol. pilul. n. 21, etiam in antidoto Muſae Apol-

Apollonio adſcripta, et perſica,) G. FALLOPIO (de morb. gallico c. 72.), TH. WILLISIO (diatribae duae. Hag. 1659. 12. libr. 1. de fermentatione c. 13.), KENELM DIGBY (remed. ſelect. et expert. formul. Lond. 1668. 8. P. II. p. 454.), ZACVTO LVSITANO (prax. medica admirand. Amſterd. 1634. 8. l. 2. obſ. 20. 50.), A. CAESALPINO (Κατοπτρον ſ. ſpeculum artis medicae. Lugd. Gall. 8. Vol. 3. 1603. c. 3.), THEOD. TURQUET DE MAYERNE (Syntagm. prax. medic. P. I. London. 1690. 8. l. 1. c. 19. l. 2. c. 6. et de febribus etc. Lond. 1695. 8. c. 3.), FEL. PLATERO (obſervation. medic. Baſil. 1614. 8. L. II. p. 369. et 524.), EPIPHANIO FERDINANDO (centum hiſtoriae, obſeruationes et caſus medici. Venet. 1611. fol. hiſt. 18. p. 62.), HIERON. MERCVRIALI (reſponſionum et conſultationum medicinal. Venet. fol. T. IV. 1620. conſ. 14.), G. WIRTH (ap. LANGIVM epiſtol. miſcell. var. Hanov. 1605. 8. L. III. c. 7. p. 847.), anonymo medico (apud DOLAEVM encyclopet. chirurgic. rational. Francof. 1689. 4. l. 5. c. 13.), FR. HOFFMANN (ll. cc.), BÜCHNER (diſſ. de medicamentorum mercurialium cum ſalibus paratorum efficacitate per adiunctum ſulphur ad certos quosdam morbos magis accommodanda, reſp. I. E. RICHTER. Hal. 1754. 4. p. 32. 33.) eiusque diſcipuli I. E. RICHTER (l. m. c.) et KUPPERMANN (diſſ. de medicamentorum ex auripigmento praeparatorum praeſtantiſſimo vſu medico, praeſ. BÜCHNER. Hal. 1758. 4.) inter medicamina principem locum concedunt, aliis in externo vſu acquieſcentibus, aliis internum quoque, aliis vtrumque commendantibus: aliis eo ſimpliciter cum aliis ſcopo idoneis miſto, aliis chemica arte praeparato ac mutato vtentibus.

Ne

Ne dicam amuletorum quoque ad muniendos a peſtis contagio homines collaudatorum crebro conſtituiſſe partem, DIOSCORIDIS et GALENI iam tempore facultate pilos euellendi celebre, adhucdum partem vnguenti conſtituit, quo hodienum Turcae (v. RAAB apud v. BORN *phyſicaliſche Arbeiten der einträcht. Freunde zu Wien*. Wien. 4. Iahrg. 1. Quart. 2. 1784.) eo fine vtuntur; ad vlcera, potiſſimum narium atque oris mundanda, iam a DIOSCORIDE commendatum, cum aerugine; vel eius loco cum alumine et nitro atque aquis diſtillatis permixtum a FEL. PLATERO (l. c.), in pedum vlceribus varicoſis aeque ac in vlceribus oris et gingiuarum fauſto cum ſucceſſu applicatum multoties fuit, cum vnguento digeſtiuo ſubactum in rhagadibus manuum et pedum ab Ill. PLENCK, in tenues lamellas fiſſum in labiorum et mammarum vlceribus cancroſis a B. RÖNNOW (Kongl. Svenſk Acad. Handling. för är 1776.). Cereolos, abſumendis vrethrae carunculis deſtinatos intrare quoque iubet auripigmentum D. SENNERT (medicina practica. Witteberg. 4. L. V. 1634.) et P. BORELLVS (centur. quatuor hiſtoriar. et obſeruat. medico-phyſicarum. Caſtris. 1653. 12. cent. 1. obſ. 79.): Olei quod vocant, ex diſtillatione auripigmenti cum duplici mercurii ſublimati corroſiui portione impetrati, butyro arſenici ſatis ſimilis, et a KORTHOLTIANO, vti quidem Cl. KVPPERMANN (l. c. §. XXXV. p. 55.) videtur, contra cancrum ſpecifico parum abludentis (§. XIII. p. 21. 22.), decocto vulnerario temperati (§. XXIII. p. 35.) vſum externum in vlceribus ſordidis etiam cancroſis commendat (l. c.) KVPPERMANN.

Condy-

Condylomatibus quoque applicari imperat auripigmentum (l. c.) DIOSCORIDES, cum mercurio praecipitato miſtum et cum aqua in paſtam ſubactum membris arthritide vexatis (ſiquidem noſtrum hoc innuat) MAYERNE (l. c. 3. p. 260.). In variis oculorum vitiis GALENVS (de compoſitione medicamentorum ſecundum locos l. 5. c. 7.) vtebatur Proteo, a MERCVRIALI quoque et EPIPHANIO FERDINANDO (ll. cc.) approbato, ſiue collyrio, quod magnam efficaciae ſuae partem auripigmento debet: Vnguento auripigmentum recipiente aegros morbis cutaneis laborantes inungi iuſſit, ſerioribus quoque medicis adſtipulantibus, GALENVS (l. c. c. 2.): Auripigmenti reſina temperati fumum periculoſo ſane auſu, inhalandum ſuaſit inueterata tuſſi laborantibus DIOSCORIDES (l. c.), in aliis pectoris morbis, et empyemate potiſſimum, ſi quidem valida exſiccatione opus ſit, ſuffitum ex auripigmento et variis vegetabilibus paratum MAYERNE (l. c. l. 2. c. 6. et 14. c. 6.), in lue venerea G. FALLOPIVS (l. de morbo gallico. c. 72.) et I. I. WECKER (antidotarum. Baſil. 1585. 8. l. 5.), in ozaena et narium vlcere pertinaciſſimo RONDELET (methodus curandorum omnium morborum corporis humani. Lugd. Gall. 1575. 8. l. 1. c. 65.) ſuffimenta ſimilia auripigmentum recipientia imperauerunt.

Et ne ab interno quidem vſu auripigmenti timuerunt medici, aliis crudum, aliis vario modo praeparatum et nociui arſenici parte orbatum praecipientibus: Ita DIOSCORIDES (l. c.), cuius veſtigia heic etiam premit AVICENNA (l. c.), cum mulſo tuſſientibus,

tibus, cum melle raucis, cum reſina in pilulas coactum ſuſpirioſis commendat; et WIRTHIVS regis Vngariae Ludouici medicus, teſte Cl. I. LANGIO aſthma crebro feliciter debellauit, electuario ex vncia integra ſpecierum ireos, vncia media arſenici (quod equidem putem eſſe auripigmentum, in Pannonia et Dacia frequens) et vnciis duabus ſucci vrticae cum melle roſato ſubactis conflato.

Internum pariter auripigmenti aliis temperati et cum vino ſorpti vſum in dyſenteria atque inteſtinorum vlceribus praedicarunt GALENVS (de compoſit. medicament. ſec. loc. l. 9.) et RHAZES (l. c.).

Simplici ſublimatione (vocat ea peracta *flores* ſeu ob eximium ruborem *rubinum auripigmenti diaphoreticum*) depuratum innoxie tranſpirationem inſenſibilem promouere, in morbis venereis, ſcabie et ſimilibus conducere, ex aliis potius refert, quam ſua ipſius experientia edoctus ROLFINCIVS (Chymia in artis formam redacta. Francof. ad Moen. 1686. 4. p. 360.); addito vitrioli, vt audit, oleo ſublimatum, quamuis non omnis arſenici expers, tamen efficacius cicuratum, ſudorem potenter mouere primus monuit FR. HOFFMANN (obſeruat. phyſico-chymic. ſelect. L. II. obſ. XII. p. 155. 156.), medicis meliori de nota commendarunt BVRGHART (*neue Zuſätze zur Deſtillirkunſt.* Breslau. 1748. 8. proc. CXXVIII. p. 243 ſq.), I. H. SCHVLZE (praelection. in diſpenſatorium Brandeburgicum. Berol. 1753. 8. p. 18.) et potiſſimum *flores auripigmenti Hoffmannianos* (l. c. §. VII. p. 13. 14.) nuncupans, KVPPERMANN (l. c. §. V — VII. p. 11-13.), qui tamen ſolutum

lutum liuiuio cinerum clauellatorum auripigmentum, et ex refrigerato lixiuio ſponte aut plurima aqua frigida adfuſa delapſum, vel oleo vitrioli inſtillato praecipitatum (nominat hinc *ſulphur auripigmenti praecipitatum*), praeſertim ſolutione in oleo quodam aethereo aut ſpiritu vini per diſtillationem toties repetitam, donec omnis ille nauſeoſus odor euanuerit, iterum ſeparato, vt putat (vocat enim nunc *ſulphur auripigmenti correctum*), depuratum (l. c. §. VIII. §. 15. 16.) praefert.

Quamuis facile dem, his artificiis id effici, vt parca cum ſulphure coniuncta maneat arſenici portio, quae non nocere, calcar tamen et robur addere ſulphuris efficaciae in primis ſudoriferae poſſit, nollem tamen in tot tantasque noui et haud ita pridem ſecreti remedii excurriſſe Cl. KVPPERMANN eiusque Ill. Praeſidem BÜCHNERVM, ex ipſis enim enarratis morborum hiſtoriis, quae confirmare debebant omnigenam illam virtutem, difficulter tibi perſuadeas, huic auripigmenti ſulphuri, certe ſoli, deberi omnem fauſtum medicationis euentum, et non poteris non eius ſaltem partem aliis tribuere, praecipue ex argento viuo paratis remediis, in quorum conſortio illud exhibebatur; nullibi enim, ſolum et meracum fuiſſe exhibitum illud ſulphur, lego; verum ſiue pulueris (KVPPERMANN l. c. p. 31. 32.), ſiue pilularum (KVPPERMANN l. c. p. 32. 33.), ſiue fluida forma (KVPPERMANN l. c. p. 33. 34.) placeret, aliis atque aliis ſalibus mediis (KVPPERMANN l. c. p. 32.), ſaccharo lactis (I. CHR. HILDEBRAND nov. act. Ac. Caeſar. Nat. Curioſor. Norimb. 4. T. III. 1767. n. 5.

n. 5. p. 25.), gummi et reſinae guaiaci (KVPPERMANN l. c. p. 32. 33.), extracto caſcarillae, fumariae, cardui benedicti aliisque amaris (KVPPERMANN l. c. p. 33.), puriſſimo vini ſpiritui (KVPPERMANN l. c. p. 18. vocat *tincturam auripigmenti mineralem*), liquori anodyno minerali Hoffmanni, oleo vini dulci, oleo caieput, eſſentiae abſinthii, tincturae antimonii acri (KVPPERMANN l. c. p. 34.), tincturae ſulphuris (HILDEBRAND l. m. c.), et potiſſimum argento viuo (P. I. HARTMANN apud KVPPERMANN l. c. p. 18. 33.), audit tunc *aethiops auripigmenti*, mercurio dulci (KVPPERMANN l. c. p. 32. 33. 39. 47. 51. 52.), et ipſi mercurio ſublimato corroſiuo (STOCKHAVSEN diſſ. de mercurii ſublimati corroſiui vſu medico interno, praeſ. A. E. BÜCHNER. Hal. 1758. 4. §. IX. p. 20.) iunctum, his ſane copiis ſtipato vis reſoluens, aperiens, abſtergens, vermibus, acrimoniae ſcorbuticae, venereae aduerſa denegari huic auripigmenti ſulphuri non poteſt, et concedi, propinatum diebus intercalaribus in febribus intermittentibus (KVPPERMANN l. c. §. XXV. p. 36.), catarrhalibus, etiam malignis atque exanthematicis (KVPPERMANN l. c. §. XXVI. p. 37-39.), in ophthalmia catarrhali (HILDEBRAND l. m. c.), in turbis fluxus menſtrui, (KVPPERMANN l. c. §. XXVIII. p. 42.), glandularum et teſtium praecipue ſcirrho (KVPPERMANN l. c. §. XXXII. p. 47. et I. E. RICHTER §. XXIV. XXV. p. 38. 39.), morbo venereo variisque eius ſymptomatibus (BÜCHNER apud KVPPERMANN l. c. p. 48-52. et STOCKHAVSEN l. c. p. 20. §. IX.), cancro (BÜCHNER diſſ. de medicamentorum mercurialium vſu in cancro, reſp. C. CLESS. Hal. 4. 1755. §. XXIX. p. 47.), ſpina ventoſa (BÜCHNER

diſſ.

diſſ. de remediis mercurialibus ſpinae ventoſae medicandae interdum idoneis. Hal. 1754. 4. §. XII.) et vermibus, potuiſſe prodeſſe.

Magnes arſenicalis, *Magneſia arſenicalis*, *Lapis de pyrmiſon*, *Lapis de tribus*, ex rubro fuſca materies, ex colliquefacto cum aequali ſulphuris et antimonii portione leni igne arſenico nata, IS. HOLLANDO iam, et poſt eum ab O. CROLLIO (Baſilic. chymic. p. 421.), I. HARTMANNO (prax. chymiatr. Lipſ. p. 229. 230.), ANGELO SALA (anatom. vitriol. tr. 2. in tractat. de peſte, et in ternario bezoardico Oper. medico-chymica. Francof. 1647. 4. p. 380. 464. 548.), nuperius a B. VITALI (Lettera e riſpoſta, che tratta delle malattie contagioſe. Veron. 1744. 8.) concelebrata, quamuis canibus, felibus, gallinis largius intruſa nihil nocuiſſet, teſte (l. c. p. 380) ANGELO SALA, externo potiſſimum vſui, potiſſimum in peſte, praeſertim carbunculis ſanandis dicata, vt tamen rarius meraca applicaretur, niſi velis ex conſilio VITALIS (l. m. c.) carbunculum per ferrum ardens aut nouaculam ad partem vsque ſanam aperto puluere eius tenerrimo aliquoties impleri, et deligato linteo carpto balſamo ſulphuris imbuto vulnere natam profundam eſcharam butyri vel olei cum albumine oui conquaſſati ope emolliri. Qui hoc magnete, ita dicto, quod ſibi perſuaſum habebant, eodem modo, quo magnes ferrum trahit, hoc corpus materiam morbi, praecipue virus peſtilens ad ſuperficiem trahere, vtebantur, vt plurimum cum gummireſinis, cera et terebinthina in emplaſtri ſpiſſitudinem redactum adhibebant; vocabant tunc

Emplaſtrum magneticum in peſte, vel *attractiuum ruptorium peſtilentiale* (ANGEL. SALA l. c. p. 381. 463.), *Emplaſtrum ex magnete arſenicali* (O. CROLLIVS l. m. c.), *Emplaſtrum magneticum* (Pharmacop. Wirtemb. Stuttg. 1764. fol. II. p. 64.), *Emplaſtrum magneticum arſenicale* (SPERLING l. c. §. XVI.), *Emplaſtrum arſenicale* (DIPPELIVS apud CARL Commerc. litterar. noric. 1731. p. 258. FELDMANN ibid. 1743. p. 50.), non carbunculis modo, ſed aliis quoque tumoribus (Pharmac. Wirtemberg. l. m. c.) aperiundis et in ſuppurationem perducendis, vlceribus putridis (O. CROLLIVS et ANGEL. SALA ll. cc.) et pertinacibus, ipſi cancro (DIPPELIVS l. m. c.) ſanandis, herniae incarceratae vteroque dislocato (FR. HOFFMANN clav. pharmaceut. SCHRÖDER p. 72.) et ad febrem intermittentem quartanam diſpellendam, lienis regioni (IDEM l. m. c.) adplicatum; refert tamen FELDMANN (l. m. c.) exemplum binorum hominum hoc eius vſu ſubito gangraena faucium, eaque exitiali correptorum.

4. *Zincum* (LINN. *Syſt. nat. III. p.* 304.), metallum lamelloſum, ex caeruleſcente argenteum, nitoris conſtantis, in India, Anglia atque Hercynia, potiſſimum ex pſeudogalena minerisque aliorum metallorum eam continentibus eliquatum, tenax, vt difficilime et non niſi certis adhibitis artificiis contundi in puluerem poſſit, malleo tamen tentatum rimas agat, acidis facile, et ipſo ſalis ammoniaci ſpiritu ſoluendum, reliqua metalla ex acidis et alcali volatili praecipitans, ex illis per ſalia lixiuioſa, terras, gallas et lixiuium ſangui-

nis

nis purum colore albo praecipitandum, acidorum acrimoniam mirifice mitigans, ignis vi facile liquandum, et in flammam elegantem pallide virentem exardeſcens, ſenſim in calcem albam comburendum, cuius pars altera floccorum inſtar in atmoſphaeram aſcendit, altera ſummopere fixa, et, dum calet, flaua, remanet, vix in vitrum convertenda, et, quando cum aliis in vitrum abeuntibus materiis funditur, nullum iis colorem impertiens: Neque ſoluta neque alia forma homini nociuum. Forma metalli medicis non vſitatum. Plura de hoc metallo v. apud B. I. H. POTT (Obſervationum et animaduerſionum chymicarum praecipue zincum, boracem et pſeudogalenam tractantium Collectio ſecunda. Berol. 4. 1741. p. 3 ſqq.), G. FR. CHRN. FVCHS (*Geſchichte des Zinks in Abſicht ſeines Verhaltens gegen andere Körper und ſeiner Anwendung auf Arzneywiſſenſchaft und Künſte.* Erfurt. 1788. 8.), et E. H. GELLER (diſſert. zincum chemicum inquirens. Ienae. 1784.).

PRAEPARATA.

Flores zinci, *Lana philoſophica*, *Luna fixata Ludemanni*, *Calx zinci*, dum metallum hoc aëre aperto comburitur, fumi denſi, mox floccorum niueorum ſpecie, in altum acta, colorem album, quo gaudet, excalefacta in flauum conuertens, odoris et ſaporis expers, aqua quidem nequaquam, facile tamen acidis ſoluenda, quorum acrimoniam mitigat, igne quanuis violento exagitata neutiquam in vapores abiens, cum carbonum puluere exactiſſime miſta atque in vaſis ſollicite clauſis igni expoſita, in

zum vere metallicum rediens, ex quo prodierat, cuprum, cum quo carbonum pulueri intertrita alternis ſtratis igne torquetur, flauo colore tingens.

Qui tamen vulgo veneunt flores zinci, non raro alienis, creta potiſſimum et ſimilibus corrumpuntur, quod quidem vitium facile patet, quando ſolutioni per fortius ſalis communis acidum peractae vitrioli acidum meracum inſtillatur, quo facto, ſi quidem creta inhaereat, ſedimentum album, ex lamellis minutis conflatum, in fundum delabitur.

Extrinſecus adhibiti hi flores exſiccante, leniter adſtringente ac roborante virtute inter medicos iam dudum celebres ſunt, multiplici nomine a GLAVBERO (Furni noui philoſophici. Francof. ad Moen. 1652. 8. P. I. p. 94.) praedicati; Cancroſis aliisque mali moris vlceribus inſperſos multum facere ad foetorem eorum imminuendum, experti ſunt (ll. cc.) GLAVBER et IVSTAMOND; in exſiccandis inveteratis crurum vlceribus efficaciſſimos deprehendit Ill. THEDEN (ap. MARTINI de zinco medico recent. obſeruat. Helmſt. 1780. 4. p. 27.), cum tribus partibus pinguedinis miſtos in lichenibus pertinacibus BELL (treatiſ. on ulcers etc.), cum pinguedine quadam in vnguenti ſpeciem redactos commendant alii, ad fiſſuras papillarum (CRELL apud MARTINI l. m. c.) et labiorum conſolidandas, ipſosque lichenes pellendos; in ſanandis vulneribus (BROWN medic. comment. by a Society of phyſicians at London. Vol. IV. P. 2. p. 214.), et, quas vocant, excoriationibus, iis, qui diuturnis morbis decumbunt, atque in femoribus infantibus ab vrina diſtillante frequentibus,

tibus, aut cum aqua ſubactos aut ſiccos et linteo exceptos ſaluberrimos inuenit ROSENSTEIN (*Berlin. Sammlung. zur Beförderung der Arzneywiſſenſchaft etc.* Berlin. 8. Vol. IV. 1772. P. 4. n. 4. p. 586.) et (l. m. c.) GLAVBER: Cum aqua roſarum permiſtos in diſſipandis oculi inflammationibus, praeſertim chronicis atque humidis vtiles plurimi (GLAVBER l. c. H. D. GAVBIVS aduerſaria varii argumenti. Leid. 1771. 4. p. 117. DE HAEN ration. medend. T. IX. p. 242. MONRO l. c. I. p. 324. et alii); in lippitudine cum fructu adhibuit Ill. SOMMER (apud MARTINI l. m. c.), vaporum ſpecie oculis excipiendos ſuadet VAN SWIETEN (apud H. D. GAVBIVM l. m. c.).

Sed ne in huius quidem remedii vſu externo ſubſtitere medici; GLAVBERVS enim iam (l. c. p. 93.), deglutitum a granis quatuor ad duodecim, ſudorem, interdum vomitum atque aluum mouere, et MVZELIVS (apud HIRSCHEL *medicin. Nebenſtunden* p. 190.) ante quinquaginta et plures annos ſpecifici nomine contra epilepſiam adhibitum a multis fuiſſe, teſtis eſt; ſerioribus tamen temporibus inter veri nominis medicos primus GAVBIVS (l. c. c. 8. p. 113 ſq.), empirici cuiusdam Amſtelodamenſis, cui LVDEMANN nomen erat, periculis ſapiens, ſua ipſius poſtmodum experientia ſuffragante, medicis commendauit: Et ille quidem homines, ſpaſmis, etiam periodicis, infantes diriſſimis conuulſionibus vexatos, tum receptis ex LVDEMANNI conſilio hiſce floribus cum ſanitate in gratiam redeuntes nouit, tum ipſe (l. c. p. 118 ſqq. et apud I. HART de zinco eiusque florum vſu medico, obſeruationibus confirmato. Lugd.

 Bat.

Bat. 1772.) expertus eſt, infantum, praecipue difficulter dentientium conuulſiones ex acido primas vias infeſtante natas, tuſſim conuulſiuam, epilepſiam, ipſam haereditariam, turbas feminarum irritabilium ſyſtema neruoſum exagitantes, etiam atrociſſimas ac pertinaces, ſingultum hyſtericum ſimplici huic medicamini non raro feliciſſime cedere.

Et confirmat ſane hanc florum zinci eximiam efficaciam multiplex aliorum experientia: Ita B. LIEUTAUD (*Innbegriff der ganzen mediciniſchen Praxis, aus dem Franzöſiſchen überſ.* Leipz. P. II. Vol. 2. 1779. p. 348. n. 5.) et STOLTE (apud HART l. c.) puellas grauiſſimis conuulſionibus afflictas, et puerum ex terrore eidem malo opportunum, B. VAN DOEVEREN (apud HART l. c.) puellam, HART ipſe (l. c.) feminam, pariter ex terrore conuulſas, B. PALLAS (apud HIRSCHEL l. m. c. p. 191.), et Ill. METZGER (aduerſar. medic. P. II. p. 98.) alios, Ill. CRELL (ap. HVRLEBVSCH diſſ. zincum medicum inquirens. Helmſt. 1776. 4. p. 40. et apud MARTINI l. c. p. XLIX.) infantes; ita Ill. BEIREIS (apud HVRLEBVSCH l. c. p. 34. 35.) tres iuuenes et feminam, malo hoc infeſtatos, duos horum ab incuſſo terrore, alios adhuc (apud MARTINI l. c. p. XXXII.), ita Clar. MARTINI (apud HVRLEBVSCH l. c. p. 40.) colonum a vermibus conuulſum, Cl. DUGUD (Medical Commentar. by a Society of phyſicians at London. Vol. IV. P. 3. p. 305.) puellam omnibus fere muſculis conuulſam, Cl. DE LA ROCHE (Journal de medecine, chirurgie, pharmacie 1779. Dec.) plurimos, a neruorum nimia mobilitate, ſiue a variolis aliisque exanthema-

tibus

tibus imminentibus, ſiue a pauore, Cl. ODIER (ibid. l. m. c.) infantem a gallinae morſu, virginem a nimia neruorum mobilitate ſimili malo correptos, Ill. BRÜCKMANN (ap. MARTINI l. c. p. LIV.) in febris epidemicae inſultu conuulſos, Cl. Viri MVMSEN (ap. eundem p. LXVII.) infantes a dentium difficili protruſione, aut a vermibus, Cl. NOSE (ibid. p. LXIX.) et NICOLAI (*Recepte und Curarten.* Iena. 8. 1780. p. 719. 722.) iufantes ex ſimili cauſſa in idem malum incurrentes hac ſola aut hac ſaltem potiſſimum medicina ſanarunt.

Epilepſiae feliciter oppoſuere flores zinci praeter Sueciae (Veckoſkrift för Läkare och Naturforſkare. Vol. V. 1784.), et Galliae (PARMENTIER in ſua editione libri: Chymie hydraulique pour extraire les ſels eſſentiels des vegetaux par M. le Comte DE LA GARAYE. Paris. 1775. FOUQUET gazette de ſanté par GARDANE. ann. 1775. ARNAUD journal de medecine, chirurgie, pharmacie. T. LXXV. 1788. Jul.) medicos, HIRSCHEL (l. m. c. p. 161.), Ill. BEIREIS (apud HVRLEBVSCH l. c. p. 35), Ill. STOERCK (*mediciniſch - practiſcher Unterricht für Feld - und Wundärzte.* Vol. I. p. 348.), Ill. CRELL (apud MARTINI l. c. p. L. et apud HVRLEBVSCH l. c. p. 37.), MARTINI et POTT (apud HVRLEBVSCH l. c. p. 40.), Ill. METZGER (l. m. c.), Cl. LICHTENSTEIN (apud MARTINI l. c. p. LI.), B. DEHNE (ibid. p. LVI. — LXII. LXIV.), Ill. REIMARVS (ibid. p. LXVIII.), BELL (medic. and philoſophic. comment. by a Society at Edinburg. Vol. I. P. 2. p. 126.), PERCIVAL (apud DUNCAN medical commentar. Vol. II. P. 2. p. 257.),

RUSH

RUSH (ibid. Vol. III. P. 1. p. 114.) et HAYGARTH (ibid. P. 2. p. 187.), in epilepſia, quae vermibus ſuos debebat natales, fauſtos eius videbat effectus Ill. MÖNCH (*Syſtematiſche Lehre von den einfachen und gebräuchlichſten zuſammengeſetzten Arzneymitteln.* Marburg. 1789. 8. p. 277.), in altera ex pauore et ſuppreſſis menſibus nata Ill. STARKE (*Einrichtung des kliniſchen Inſtituts zu Iena.* 4. 1782.), et in ea ipſa a vermibus oriunda aeque ac in aliis morbis per vermes excitatis IDEM (ibid. ann. 1784. p. 13.).

Similiter in chorea S. Viti medicanda eius vſus pluribus medicis egregie ceſſit; ita Ill. BEIREIS (ap. MARTINI l. c. p. 32.), M. HERZ (*Briefe an Aerzte.* Mietau. 8. Samml. 1. 1778.) et Ill. RICHTER (*mediciniſche und chirurgiſche Bemerkungen.* Goetting. 8. Vol. I. 1793. p. 137.) inter germanos, Cl. WHITE (Medic. comment. Vol. IV. P. 3. p. 305.) et WRIGHT (Memoirs of the medical ſociety at London. 8. Vol. III. 1792.), inter anglos, Cl. DE LA ROCHE (l. c.), inter heluetos, et anonymo cuidam (Gazette ſalutaire de Bouillon. Ann. 1780. n. XVI.) Gallo.

Tetanum vniuerſalem hac medicina deuictum refert Ill. BEIREIS (apud HVRLEBVSCH l. c. p. 34.), et ſymptomata tetanum ſimulantia Ill. CRELL (ibid. p. 38.); ſpasmos varios medici Leodienſes (Gazette ſalutaire de Bouillon. 1775. n. 17.) et Galli (ibid. 1774. n. 35.), BAUMES (journal de medecine, chirurgie, pharmacie. T. LXX. 1787. Febr.), Cl. DE LA ROCHE (l. c.), Ill. THEDEN (apud MARTINI l. c. p. LXIX.), ALBRECHT (apud BALDINGER *neues Magazin für Aerzte.* Vol. I. faſc. 3. p. 244.), ZIEGLER

Beobach-

Beobachtungen aus der Arzneykunde, Chirurgie und gerichtlichen Arzneykunſt. Leipz. 1787. 8.), Ill. STARKE (l. c. 1782 et 1784.), Ill. CRELL (apud MARTINI l. c. p. L.) et Cl. LOEFFLER (*Beyträge zur Arzneywiſſenſchaft und Wundarzneykunſt.* Leipz. und Altona. 8. P. II. 1791.), periodicos ſpaſmos Cl. LICHTENSTEIN (apud MARTINI l. c. p. LII.) et DESAIVE (Gazette ſalutaire de Bouillon. 1774. n. 52.), hyſtericos GOODSIR (medical and philoſoph. commentar. by a ſociety at Edinburg. Vol. I. P. 4. p. 422.), DE LA ROCHE et ODIER (ll. cc.), Gallus quidam medicus (Gazette ſalutaire de Bouillon 1774. n. 35.), MACLACHNAN (apud DUNCAN medical commentar. of Edinburg. Vol. X. n. 4.), Ill. CRELL (apud MARTINI l. c. p. XLVIII.), Cl. LICHTENSTEIN (ibid. p. LIII.) et Ill. STARKE (l. c. 1784. p. 13.). Palpitationem cordis, loquendi et deglutiendi difficultate ſtipatam, floribus zinci ceſſiſſe, teſtimonium exſtat apud Ill. BALDINGER (*neues Magazin für Aerzte.* Vol. I. faſc. 5. p. 414.); idem expertum ſe eſſe profitetur Ill. CRELL (apud HVRLEBVSCH l. c. p. 38.): Singultum, qui ſenem mire excruciabat, eorum vſu ſublatum vidit B. DEHNE (apud MARTINI l. c. p. LX. LXI.), tuſſim conuulſiuam praeter Gallum quendam Medicum (Gazette ſalutaire de Bouillon. 1774. n. 35.), Ill. TODE (*mediciniſch-chirurgiſche Bibliothek.* T. VII. p. 568.), DOBSON (apud DUNCAN medical commentar. Vol. V. P. 2. p. 166.), LEITH (ibid. Vol. VI. p. 343.), LETTSOM (medical memoirs. p. 257.), DE HAGEN (apud HVRLEBVSCH l. c. p. 40.), REIMARVS (apud MARTINI l. c. p. LXVIII.), HVFELAND (*über die natürlichen und eingeimpften Blattern etc.*

und

und über verſchiedene Kinderkrankheiten. 2te Auflage. 1793. 12. p. 508.), KLINGE (*Etwas über den Keichhuſten.* 1792. 8. p. 33. 35. 135.), Ill. STARKE (l. c. 1784.), aſthma KOHLMANN (obſeruationes clinicae, quarum ope florum zinci vires in morbis aſthmaticis examinantur. Exford. 1791. p. 12. 13.), ſpaſmodicum inprimis WITHERS (*von der Engbrüſtigkeit und den Heilskräften der Zinkblumen nebſt Krankheitsfällen und Bemerkungen, aus dem Engl. überſ. von* CHR. FR. MICHAELIS. Leipz. 1787. 8. p. 73.), aphoniam ex onaniſmo natam C. PH. BRÜCKMANN (enarrationes choreae S. Viti et epilepſiae, quae per fontes medicatos et thermas Embſenſes curatae ſunt. 8. Francof. 1786.), tineam, arthritidem, ſequelas ſuppreſſi menſium et lochiorum fluxus Ill. STARKE (l. m. c.).

At crebro non ſolidam medicationem, ſed lenimen tantummodo mali praeſtiterunt hi flores; in epilepſia infantes affligente eorum vſu non niſi prolongauit interuallum lucidum, inter binos inſultus intercedens, et inſultus ipſos mitigauit Clar. HERZ (apud MARTINI l. c. p. LIV. LV.), neque ipſe, neque B. DUROI (ibid. l. m. c.) eo ſolo remedio deuicit epilepſiam, nunquam penitus ſanauere D. MONRO (l. m. c. I. p. 303.) et HILL (materia medica, tit. Zincum), neque KOHLMANN (l. c. p. 11.) aſthma.

Neque raro omnem medici ſpem fefellit haec calx: Conqueruntur certe de irrito eius vſu inter Danos de MEZA (Collect. ſocietat. medic. Havnienſ. Vol. II.), inter Britannos BLOND (apud DUNCAN medical Commentar. for 1780. P. 2.), inter Gallos de LASSONE (Mémoir. de la Societé de medecine à Paris.

ann.

ann. 1777.), inter Italos B. CARMINATI (Opuſcul. therapeutic. Pauiae. 8. Vol. I. 1788. n. 2.), inter Germanos Ill. SELLE *neue Beyträge zur Natur- und Arzneywiſſenſchaft.* Vol. I. p. 178.), BLOCH et PELISSON, aliique Berolinenſes medici (apud MARTINI l. c. p. LXX.), HERZ et HEIM (ibid. p. LXXV.), medici Caſſellani (Pharmacia rationalis denuo correcta et aucta. Caſſell. 1782. 8. p. 179.), HARTMANN (quaeſtio ſuper zinci florum vſu interno. Francof. ad Viadr. 1778. §. 7.), FR. GVIL. MVTZELL et I. G. STOLTE (apud HARTMANN l. m. c.).

Incaſſum florum horumce vſum in conuulſionibus ſanandis tentauit LETTSOM (l. c. p. 392.); ſaepius exſpectationi non reſpondiſſe fatentur ODIER (medical commentar. Vol. III. P. 2. p. 164.), Ill. TODE (diſſ. de praeſtantiſſima ratione illuſtrandi materiam medicam practicam. Havn. 1778.), MVMSEN (l. c.), et RICHTER (l. m. c.): In epilepſia rarius vtiles invenit DE LA ROCHE (l. c.), nunquam RAHLWES (ap. MARTINI l. c. p. LXXVI.); ſine fructu hoc morbo laboranti adhibuit B. DUROI (ibid.); chorea S. Viti exagitatis Ill. HERZ (apud HARTMANN l. c. §. 5.), coniunctiſſimus CHR. FR. IAEGER (apud MARTINI l. c. p. LXXV ſq.). et WILSON (apud DUNCAN medic. comment. for 1787. Dec. II. Vol. 2. Edinb. 1788.), phthiſico tuſſienti Ill. NOSE (apud MARTINI l. c. p. LXXVI.) aſthmaticis KOHLMANN (l. c. p. 12-14.).

Vnde igitur hoc efficaciae vnius eiusdemque medicamenti diſcrimen? Plura vtique medico quotidie occurrunt exempla praeſtantiorum remediorum, quae eidem morbo, quem toties vicerunt, fruſtra

fruſtra opponuntur, ne dicas, mala haec aliquando nimium inueterata, aliis quoque (MELLIN l. c. p. 272.) efficaciſſimis non obtemperantia, aliis, quibus debellandis impar eſt, complicata, a medicis ipſis non ſemper curate ſatis definita, medicinae ipſi, ſi quidem analogiam conſulas, non ſemper ſatis appropriata, iuſto minore (DE LA ROCHE l. c.), nec ſatis continuata doſi crebro fuiſſe tentata: Plurimum ſane intereſt, ex quo fonte propullulet malum; ſi ex inſanabili cerebri vitio proficiſcatur, facile des B. HIRSCHELIO (l. m. c. p. 161.) nihil effectum iri vſu florum zinci; incaſſum adhiberi, ſi in humoribus aut ſolidorum vitio lateat cauſſa, Ill. GRVNERO (apud MARTINI l. c. p. LXVIII. et LXIX.), ſi putridis ſordibus ſcateat ventriculus, B. HIRSCHELIO (l. m. c.); neque tamen eo ſolo in caſu profuturos putes, in quo morbi cauſſa medicum inquirentem fugit, aut alia ſpecifica ſpem eius fruſtrata ſunt (SELLE medicina clinica. Edit. III. Berol. 1786. p. 619.), quum memorata quoque numeroſa exempla aperte loquantur, infantibus praeſertim iisque ſaepe tenellis, quorum plurima profecto mala ex acido primas vias obſidente naſcuntur, feliciter ceſſiſſe: quamuis igitur longe abſim, vt a florum horum vi (GAVBIVS l. c. p. 48.) acidum infringendi et abſorbendi, quam cum multis aliis terreis et metallicis materiis haud perinde efficacibus communem habent, omnem eorum ſalutarem virtutem deducam, probabile tamen videtur, illo cum acido digeſtionem turbante connubio ſalem vitriolo albo analogum generari, qui, prouti iam ſubolfecit HIRSCHELIVS (l. c. p. 190), clarius pronunciauit Clariſſ. HAHNEMANN (apud

apud MONRO l. c. I. p. 324.), largiori praebio deglutitus, nauſeam et vomitum, quem plures medici florum zinci vſum iuſto liberaliorem inſequi experti ſunt, minori autem pondere exhibitus, more aliorum emeticorum ſudorem mouet, ſpaſmos et neruorum turbas ſedat, ea florum parte, quae haud diſſoluta acido reſtat, roborantem potius in canalem inteſtinalem virtutem exſerente.

Variat autem doſis huius remedii pro aetate aegri et indole ac duratione mali: Infantibus (GAVBIVS, HIRSCHEL, DE LA ROCHE et alii) primo quarta, aut dimidia grani pars, vt tamen et in his liceat augere prudenter doſin, ſi praeter nauſeam ferant, ſemel, bis, quater per diem exhibetur; adultis 2 — 3 — 6 grana bis, quater et pluries per diem ingeruntur, in pertinacioribus malis paulatim adaugendo doſin, et tunc demum imminuendo, quando vomitum excitant: Ita ſcrupulum imo dimidiam eius drachmam exhibet KERKSIG (obſeruationes et experimenta circa vſum calcis zinci et biſmuthi. Hal. 1792. 8.): Praeberi poſſunt pani butyro illito inſperſi, cum lacte aut infuſo theae calido, aut aqua menthae piperitae cum ſaccharo, vel elaeoſaccharo citri (HIRSCHEL l. c. p. 162.), cum tribus partibus cremoris tartari (STARKE l. c.), cum aequali moſchi et media camphorae parte, cum magneſia alba et rhabarbaro (NOSE et CRELL ll. cc.), cum nitro, cum gummi arabico (WITHERS l. c.) contriti, cum cortice cinchonae et aurantiorum (LICHTENSTEIN l. c.), aut cum aquis aromaticis et ſyrupo quodam, aut cum gummi, emulſione amygdalarum, ſpiritu

Mindereri, aqua cinnamomi et ſyrupo balſamico (WITHERS l. c.) ſubacti, aut cum conſerua roſarum rubrarum, ſpermate ceti, et ſyrupo corticum aurantiorum, vel cum caſtoreo, confectione cardiaca, conſerua cynosbati et ſyrupo (WITHERS l. c) in bolum, aut cum extracto gentianae (BELL l. c.), vel cum eodem, ſapone hiſpanico et ſyrupo (MACLACHNAN l. c.), vel cum ſpeciebus aromaticis et ſyrupo balſamico, vel cum extracto liquiritiae et ſyrupo balſamico (WITHERS l. c.) in pilulas redacti.

Calx zinci, ea zinci pars, quae metallo hoc ignis potentia exardeſcente fixa in catilli fundo ſupereſt, ſi quidem zincum purum fuerit, ac penitus exuſtum ſit, parum a floribus zinci diſtans, vt certe, per elutriationem ab inhaerentibus forte adhuc metalli nondum calcinati particulis liberata eandem polliceatur virtutem medicam.

Calx zinci praecipitata ex floribus zinci vitrioli acido diſſolutis, et per ſalem lixiuioſum praecipitatis nata, iam NEVMANNI tempore (praelection. chem. p. 1870.) praedicata contra epilepſiam potentia inclaruit.

Tinctura zincea, liquor ex ſalis, quem acetum cum zinci floribus progenerauit, in ſpiritu vini et ſalis ammoniaci ſolutione per diſtillationem obtentus, rutilus (DEHNE apud MARTINI l. c. p. XI ſqq.), quem B. Vir vna cum floribus zinci, vti ſibi quidem perſuadebat, cum fructu iuueni epileptico exhibuit.

Nihilum album vel *Nil* medii aeui, Πομφολυξ Graecorum (GALENVS de ſimplicium medicamentorum

rum facultatibus, interpr TH. G GAUDANO. Pariſ. 1547. 12. L. IX. p. 298. DIOSCORIDES l. c. L. V. cap. 41.) calx zinci alba, dum cadmia vritur, vel aes funditur, in altum acta, et tum, memoratorum modo medicorum iam aeuo in camera fornacibus ſuperimpoſita, aut, quod etiamnum in officinis artificum occurrit, operculis catillorum, in quibus metalla eiusmodi igne tractant, excepta, exigui ponderis ſpecifici, virtute exſiccante atque adſtringente, et iam a GALENO (l. c.) in vlceribus cancroſis aliisque malignis, in vlceribus ani et partium genitalium, potiſſimum tamen, quo vſu hodienum vnguenti praeſertim (*Vnguentum diapompholygos*, *Vnguentum nihili*) ſpecie venit, ad oculos lippos, inflammatos, exulceratos ſanandos commendata.

Spodium graecorum (DIOSCORIDES et GALENVS l. m. c.), Calx zinci minus pura, eadem ceterum, qua pompholyx, occaſione impetrata, at ex alto in fundum relapſa, et inde peregrinis aliorum metallorum particulis inquinata, virtute ceterum ad praecedentem accedens.

Tutia, *Tutia alexandrina*, *Nihil griſeum*, *Cadmia botrytes*, ſimilis ſatis priori materies, at magis impura et cupri particulis praeſertim corrupta, magis ponderoſa, cruſtacea, extrinſecus aſpera atque ex pallide caeruleo cinerea, intus laeuis ex flauo cinerea, fornacum, in quibus aurichalcum liquatur, internis parietibus adhaerens, et elutriatione a rudioribus particulis liberata (*praeparata*), olim frequentius quam hodie, ſcopo exſiccandi nunc pulveris, nunc vnguenti (*Vnguentum de tutia*) ſpecie

 ad

ad vulnera et vlcera ſordida, etiam corneae, ſananda, oculorum inflammationes haemorrhoidumque dolores ſanandos vſitata.

Cadmia fornacum, vix vere diſtincta a tutia, et furnorum, in quibus minerae zinco praegnantes torrentur et eliquantur, parietibus adhaerens (DIOSCORIDES l. c. c. XL. GALENVS l. m. c. p. 292.), virtute et vſu ſimilis.

Cadmia natiua, *Lapis calaminaris* (LINN. *Syſt. nat. III. p.* 306.), natiua zinci calx, ferri calce infecta, et tinctu magis minusue ferrugineo perfuſa, ſimili virtute praedita, adſtringendi fine pulueris tenerrimi, vnguenti, emplaſtri forma ſaepe extrinſecus, priori vtraque in oculi praecipue inflammationibus, et (PELLIER apud BELL ſyſtem of ſurgery. Edinb. 8. Vol. IV. 1786.) corneae obſcuratione adhibita; nuperius (apud DUNCAN medic. Commentar. for the year 1783. 1784. Vol. IX. 1785.), a Cl. ADAIR intus quoque a granorum quinque ad ſcrupuli vsque pondus in alui fluxibus cachecticorum cum fructu tanquam roborans ingeſta.

5. *Stannum* (LINN. *Syſt. nat. III. p.* 310.), nitore ſtabiliori et ad argenteum accedente, mollitie inſigni, ſtridore quodam, quem dum diffringitur, edit, pondere ſpecifico mediocri, (= 72914 : 10000 BRISSON hiſtoir. de la Societ. de medec. à Paris. ann. 1780. 1781. p. 377.), facili in igne (iam 408° thermometri Fahrenheitiani) fluxu, quo durante nulla iridis colorum varietas apparet, calce alba, vlteriore ignis efficacia colorem haud mutante,

mutante, difficulter liquanda, et, ſi liquefiat igne, non in vitrum, ſed in maſſam vitro aemulam opacam lacteam abeunte, paulo difficiliori atque inconſtanti in acidis, quorum acrimoniam auget, ſolutione a reliquis affinibus metallis, et a plumbo potiſſimum diſcrepat.

Etſi facile des, ſtannum purum arrodi (MARCGRAF *chymiſche Schrift.* P. II. p. 90. 91. §. 7-9.) a ſuccis vegetabilibus acidis, (MISSA recueil periodique d'obſervations etc. T. II. a. VI. 1755. n. III. p. 292-297.) a liquoribus fermentatis, (MISSA l. m. c. p. 299. 300.), a pinguedinibus, (MISSA l. m. c. I. A. C. HOEFFLER praeſ. A. E. BÜCHNER de circumſpecto vſu vaſorum ſtanneorum ad potuum ciborumque ſpeciatim ex ouis conficiendorum praeparationem neceſſario. Hal. 1753. 4. §. XXV. p. 32.) et iuſculis ſalſis poſſe, difficilius tamen omnia haec adoriuntur ſtannum, quam quoduis aliud minus perfectum metallum, eiusque tam parcam ſoluunt copiam, vt vix vllus inde in ſanitatem redundare queat effectus; accedit, quod ſtannum variis aliis metallis, e. gr. plumbo, cupro, arſenico, antimonio minus nocivum ſit (FR. HOFFMANN opp. pathologico-practica. Hal. Dec. II. 1738. p. 434), vt veri ſimile ſit, damnorum, quae improuidus vaſorum ſtanneorum vſus in culinis praeſertim (MISSA, et HOEFFLER ll. cc.) intuliſſe legitur, plurimam partem non ſtanno ipſi, ſed peregrino potius huic vel illi metallo ſtannum vitianti deberi.

Et crebro ſane aliis iisque noxiis metallis corrumpitur ſtannum, vt ea de cauſſa in terris Boruſ-

ſiae Regi ſubditis lex (v. b. pyl *Magazin für die gerichtliche Arzneykunde und mediciniſche Policey.* Stendal. 8. Vol. II. faſc. 3. 1784. art. 8. et 19.) omnem vaſorum ſtanneorum in pharmacopoliis vſum interdicat, et tum in his tum in terris auſtriacis (v. meidinger *Verſuch einer Eintheilung des Mineralreichs.* p. 68.) artifices ad incruſtandum ferrum et cuprum ſtanno meraco et puriſſimo vti iubeat.

Et primo quidem maculam arſenici etiam optimo anglico et malaccenſi inhaerentis ſtanno inuſſit (l. m. c. §. 19 p. 102.) marcgraf, aſſentiente nuperius Clar. hagen (diſſ. exhibens ſtannum. Regiom. 4. P. I. 1775. §. XXV. p. 32.), ſuſpicionem vtique iam mouente fumo, qui, dum vruntur ſtanni minerae, ab interſperſo copioſe pyrite arſenicali aſſurgit; at hariolante iam b schinzio tale quid (diſſ. de ſtanni et eius miſcelae cum plumbo in re oeconomica vſu. Tigur. 1770. §. VI.), peſſimo etiam ſtanno, quod quidem ipſis examinandum occurrit, vix $\frac{1}{576}$, meliori vix $\frac{1}{1152}$ arſenici ineſſe, et ſi quis per 48 annos continuos omnes cibos ex vaſis ſtanneis ſumſerit, cum tribus circiter ſtanni eo temporis ſpatio abraſi vnciis, vnicum arſenici granulum deglutire, arſenico, etiam, ſi vna eius libra 48 ſtanni admiſceatur, omnem huius nitorem et ductilitatem deſtrui, numeroſis ſuis experimentis demonſtrarunt, quibus ſupremus Galliae magiſtratus curatius ſtanni venalis examen demandauerat, rouelle, bayen et charlard (recherches chymiques ſur l'étain, faites et publiées par ordre du gouvernement. à Paris. 1781. 8.).

Etiamſi

Etiamſi igitur a graui arſenici culpa abſolutum videatur ſtannum, aliis tamen haud inſontibus metallis crebro corrumpitur; v. g. wiſmutho (v. ROUELLE, BAYEN et CHARLARD l. c.) illud, quod Angli fine Tin nuncupant ($\frac{1}{100}$), facile dignoſcendo, ſi ſtanni, quod adulteratum wiſmutho eſſe ſuſpicio eſt, in grana diuulſi vncia in vaſe vitreo cum vnciis duabus et media aquae fortis purae calori ſenſim aucto exponitur, tum liquor, vt primum plane limpidus eſt, defunditur, per chartam griſeam traiicitur, et cum aqua diſtillata puriſſima per guttas confunditur, quo facto ſi non turbetur, nihil wiſmuthi continere, ſin autem lactis tenuioris inſtar turbetur, eo contaminatum eſſe coniicies.

Antimonium, et ea quidem ſpecie, qua regulus audit, ab anglis artificibus ſtanno, cui maiorem duritiem, et ſi politio accedat, viuaciorem impertitur nitorem, adiici SCHVLZE (Mors in olla. Altdorff. 1722. p. 5.) et H. PETRAEVS (diſp. de natura metallorum nonnullisque eorum artefactis. Marburg. §. 30.) perhibent; octauam crebro ſtanni venalis efficere partem HOEFFLER (l. c. §. X. p. 16.); in Germania quoque et aliis Europae terris illi ſtanno, ex quo noduli veſtimentorum, (KLINGHAMMER in SCHREBER *Sammlung verſchiedener Schriften, welche in die öconomiſche, Policey- und Cameral- auch andere Wiſſenſchaften einſchlagen.* Halle. 8. Vol. XVI. 1765. p. 316 ſq.), cochlearia, furcae, pocula (CADET memoir. de l'Academie des ſciences à Paris. ann. 1772.) conficiuntur, admiſceri, alii; qua quidem corruptela id efficitur, vt potulenta praeſertim acida, in

 iſtius-

iſtiusmodi vaſis ſtanneis aſſeruata praeter omnem exſpectationem vomitum excitent; dignoſcitur autem hoc vitium, ſi portio metalli in catillo terreo, qui altero inuerſo ſuperimpoſito et probe agglutinato tegitur, vehementiori paulo igni exponitur, quo tortum antimonium, ſpiculorum argenteorum ſpecie in ſuperiorem catillum aſcendens ponderis iacturam haud exiguam in ſuperſtite ſtanno progignit.

Aurichalco permiſceri ſtannum tradit (l. m. c.) SCHVLZE, verius eſt, cuprum (SCHVLZE, PETRAEVS, ROUELLE, BAYEN et CHARLARD ll. cc. Gazette ſalutaire 1762. art. 2. GEOFFROY tr. de matier. medic. T. I. p. 282.) saepius immiſtum ſibi habere, ſiue illud vitium ab interſperſis ſtanni formis natiuis minutim cupri mineris (B. DIETRICH apud LA METHERIE journal de phyſique. T. XV. 1780. Maj. p. 383.) proueniat, ſiue (DE LA FOLLIE ibid. T. XIV. Oct. 1779. p. 309.) cuprum, illi potiſſimum ſtanno, quod obducendis aliis metallis impenditur, quemadmodum v. g. in officinis bohemicis (G. JARS voyages metallurgiques ou recherches et obſervations ſur les mines et forges de fer etc. à Lyon. 4. Vol. I. 1774. p. 82. I. I. FERBER *neue Beyträge zur Mineralgeſch. verſchiedener Länder erſter Band, der zugleich Nachricht von einigen chemiſchen Fabriken enthält.* Mietau 1778. 8. p. 20.), ex conſilio addatur: Facile autem patet hoc cupri conſortium, quando ſtannum eadem ratione, quae ſupra dicta eſt, cum aqua forti tractatur; ſi enim aquae forti immergas politam ferri laminam, cupri cortice obducta exinde redibit.

At pernicioſiſſimum et vulgatiſſimum ſtanni vitium, de quo iam a GALENI (Περι ἀντιδοτων. L. I. Op. Baſil.

Baſil. 1738. fol. I. p. 431. lin. 2.) inde aeuo conqueſti ſunt medici, eſt plumbi connubium, quod videlicet metallum ne hoc quidem vinculo ligatum aut ſuam in liquoribus omnis fere generis ſolubilitatem amittit, aut ſubdolam exitioſamque indolem exuit.

Plumbi conſortium minuit vtique argenteo ſatis affinem ſtanni nitorem, vt cui comparare cum inquinato purum et meracum ſtannum licet, iam ex obſcuriore in caeſium vergente colore augurari illam labem poſſit; minuit quoque ac tandem delet notam illam ſtanni meraci, quod quando diffringere tentas, crepitum quendam auribus propinquis facile percipiendum edit; auget vero (ROUELLE, BAYEN et CHARLARD l. c. p. 147. BRAND Kongl. Svenſk. Vetenſk. Academ. Handling. ann. 1740. p. 211 ſq. SCHEFFER ibid. ann. 1755. BERGENSTIERNA Kongl. Svenſk. Vetenſk. Academ. nya Handling. Vol. I. ann. 1780. p. 156-181. *Technologiſches Taſchenbuch für Künſtler, Fabrikanten und Metallurgen, auf das Iahr* 1786. Goetting. 8. p. 189-205.) ſtanni pondus ſpecificum, ita vt pondere aquae = 1000 poſito a $\frac{1}{32}$ parte plumbi immiſta adeo increſcat, vt aequale ſit 7321, ab aequali portione tantopere, vt aequet 8817 (R. WATSON chemical eſſays. Cambridge. 8. Vol. IV. 1786. p. 165.).

Quum porro acidis, etiam mitioribus longe facilius cedat, quam ſtannum, iisque dulcem impertiatur ſaporem, his quoque explorari illud vitium poteſt; quodſi certe acetum paulo acrius ſcobi ſtanni ſuperfuſum, ac leni calori per noctem commiſſum dulcem ex eo nactum fuerit ſaporem, ab inſtillato

T 5 cinerum

cinerum clauellatorum lixiuio, ſalis communis ſpiritu vel vitrioli, quod vocant, oleo lactis tenuioris ſpecie turbetur, a ſoluto in aqua vel vini ſpiritu ſulphuris, quod audit, hepate, quocunque modo parato, aut aëre hepatico nigreſcat, iure tuo colliges, contaminatum plumbo eſſe ſtannum. Quae ſuſpicio confirmatur, ſi diſco ſtanneo de hac labe ſuſpecto aceti acrioris tantillum, vt fundus eius contectus ſit, infundas, iſtique nunc diſco ouum recens at ad duritiem vsque coctum per longitudinem in medio diſciſſum plana facie impoſitum per nycthemerum relinquas; iuſta enim ſi fuerit, plenum conſpicies altero die venis liuidis ouum.

Aqua etiam fortis adhiberi illi inueſtigationi poteſt, quae ſi meraca ſtanno explorando et in grana diuulſo infuſa igni ſenſim fortiori exponitur, vt primum limpida iterum fit, defunditur, ac per chartam traiicitur, et cum aqua ab eluendo ſtanno ſuperſtite reduce ſimiliter per chartam griſeam depurata confuſa igni exponitur, donec pelliculam in ſuperficie contrahat, naſcentur in frigore cryſtalli, verum nitrum ſaturninum referentes, quae, repetito iſto artificio, collectae atque exſiccatae pondere ſuo copiam plumbi inhaerentis prodent, quippe quae tres quintas huius metalli partes continent.

Vſui medicorum ſtannum malaccenſe ſiue puriſſimum Anglorum, quod Grain-Tin, aut ſi hoc deſit, quod illis Blocktin nomine venit, praeſertim inſeruit, ſeu (The new diſpenſatory. II. Edit. 8. Lond. 1765. p. 503.) in granula diuulſum, ſeu radulae, aut, quae methodus reliquis praeſtare videtur (BLOCH *Abhand-*

Abhandlung von der Erzeugung der Eingeweidewürmer und den Mitteln wider dieſelben. Berlin. 1782. 4. GOETZE *Verſuch einer Naturgeſch. der Eingeweidewürmer thieriſcher Körper.* Blanckenburg. 1784. 4. FOTHERGILL medical obſervat. and inquir. by a Society of phyſicians. London. 8. Vol. VI. 1784.), eo quod mechanico effectu augeri ſalutarem probabile eſt, limae ope raſum, vnius, duorum ſcrupulorum, drachmae, drachm rum binarum, vnciae dimidiae, imo integrae et plurium pondere, cum theriaca (ALSTON Medical eſſays and obſervations of a Society at Edinb. Vol. V. P. I. p. 89 ſq.), coralliorum, quae vocant praeparata, aequali portione et conſerua abſinthii (MEAD monit. et praecepta medic. Lond. 1751. 8 p. 116 ſq.), aut cum melle (MARX obſeruata medica. Berol. 1770. 8.) in bolum vel electuarium redactum.

Principem inter medicamenta vermibus inteſtina obſidentibus debellandis paria locum huic metallo tribuit ſuo iam tempore PARACELSVS (*Bücher und Schriften, herausgegeben durch* I. HVSERVM. Baſel. 4. P. VI. 1590. p. 245.), vix tamen, qui eum ſequeretur, inueniens, donec noſtro demum ſeculo (1719) per anum quandam batauam empiricam edoctus Edinenſium Medicus ALSTON (l. c.) fauſtiſſimo cum ſucceſſu non ad aſcarides modo, ſed ad taenias quoque enecandas vteretur, quem effectum ſeriora quoque MEADII (l. c.), D. MONROI (*Arzneymittellehre.* Vol. I. p. 226.), SIBBERN (collectan. ſocietat. medic. Havnienſ. Vol. II.), NAVIER, GOETZII, BLOCHII et MARXII experimenta confirmant, quamuis aliquoties incaſſum illud tentaſſe referat (diſſ. de vermibus in-

teſtina-

teſtinalibus hominum. Lugd. Bat. 1754. 4. p. 69 ſq.), VAN DOEVEREN, et effectu minus conſtanti ALIX (obſervat. chirurg. Altenburg. 8. Faſc. II. 1776.): Sunt etiam, qui in epilepſia efficax ſe inueniſſe teſtantur (D. MONRO l. m. c.), at recte idem monet, conſentiente FOTHERGILL (l. m. c.), in ea tantum morbi caduci ſpecie conducere, quae a vermibus natales trahit: Sunt, qui ſtanni meraci loco ſtannum cum argento viuo permiſtum, a Medicis nonnullis quotidie ſcrupuli vnius doſi ad lepram quoque perſanandam (ap. BARBOU Recueil periodique d'obſervations de medecine, de chirurgie et de pharmacie. à Paris. 8. T. II. 1755. Febr. art. III. n. 2. p. 140.), aut pulverem, terendo eam mixturam cum aqua impetratum, felici cum euentu adhibitum tradunt, ſunt alii (PITCARNIVS element. medic. Leid. 1737. 4. c. 19. PIETSCH *erklärte Urſachen und Cur von den Unmachten und Convulſionen.* Hamb. u. Leipz. 1753. 8. p. 101.), qui aquam, in quam ſtannum igne liquefactum coniectum fuit, eius loco praeſcribunt.

Quacunque vero adhibeatur forma, per plures dies inſequentes continuare eius vſum opus eſt, et, niſi, quod aliis magis arridet, cum purgantibus combinetur, vt vermes enecati aluo expellantur, ſingulis quatuor, quinque, ſex diebus interponere medicamen aluum laxans, ſi praeſertim conuulſiones excitauerint, iubent nonnulli, vt exterminatis quoque vermibus, proximis lunae phaſibus ſtanni vſus repetatur.

Sunt denique, qui ſtanni ſcobem in hydrophobia quoque commendarunt.

PRAE-

PRAEPARATA OMNIA OBSOLETA.

Cineres ſtanni.

Aurum muſiuum, ex ſulphure et ſtanno conflatum, a TACHENIO (Hippocrat. chymic. p. 133.), hypochondriacis et hyſtericis, quin in ipſo malo venereo et febribus malignis praedicatum.

Sudoriferum magnum Fabri, puluis magnam quoad partem ex ſtanni calce compoſitus, ab ETTMÜLLERO (Colleg. ptactic. p. 973.) et aliis eius aeui in paſſione hyſterica commendatum.

Bezoardicum iouiale ſubſequenti, quod parandi modum indolem internam, et effectum, quem in corpus animale edere perhibetur, ſpectat, ſatis ſimile, a ſcrupulo dimidio ad integrum adhibitum, non innocens modo, contra TRILLERVM (Diſpenſatorium vniuerſal. T. II. p. 11.) et I. FR. CARTHEVSERVM (pharmacologia. Berol. 8. Ed. 2. 1770. p. 505.), a R. A. VOGELIO (ap. ST. I. AVG. ALBRECHT diſſ. exhibens medicamentorum ſaturninorum et iouialium hiſtoriam et vſum. Goetting. 1772. 4. p. 34.) pronunciatum, ſed, praeeuntibus ETTMÜLLERO (Oper. omn. colleg. chemic. et colleg. practic p. 769. 973.), BAGLIVIO et aliis, in doloribus capitis, paſſione hyſterica, hydrope, cachexia, immodicos ſanguinis fluxus ſequente, ipſis febribus ardentibus commendatum.

Antihecticum Poterii, a POTERIO (Oper. omn. edit. FR. HOFFMANNI p. 297.) primo praeſcriptum, praedicatum, denominatum, et eo praecipiente ex duabus ſtanni partibus et vna reguli antimonii cum nitro detonantibus confectum, ab eo ipſo, quemad-

modum

modum ſerius a B. R. A. VOGELIO (praelection. de cognoſc. et curandis corporis humani affectibus. §. 646.), ALBRECHTIO (l. c. p. 21. 22.), et HOFFMEISTERO (apud eundem l. m. c.), contradicentibus quamuis STAHLIO (mater. medic. c. 6. p. 83.), IVNCKERO (conſp. therap. ſpecial. t. LXIX. p. 564.), SCHVLZIO (praelect. in diſpenſator. Brandenburgic. p. 180.), CARTHEVSERO (l. c.), TRILLERO (l. m. c. et diſſ. de dubia ſpecificorum fide Vitemberg. 1751.), non innocens modo pronunciatum, ſed vermes pellere, obſtructiones reſerare, reſpirationem difficilem iuuare (POTERIVS l. m. c.), temperare, ſudorem pellere, humores degeneres emendare (FR. HOFFMANN in not. ad POTERII pharmacop. ſpagyric. c. XVIII.), in febribus malignis, morbo venereo, malo hyſterico atque hypochondriaco (ALBRECHT l. c. p. 24.), in tuſſi conuulſiua, infantes tantopere interdum vexante (FR. HOFFMANN medic. ration. ſyſtemat. T. III. ſect. II. cap. 3. §. 5. p. 113. ETTMÜLLER Oper. T. II. L. 1. ſect. XIV. p. 472. TISSOT l. c. p. 106. HOFFMEISTER, cui tamen, etſi raro opem denegauit, l. c. p. 23. 24.), in febre hectica (POTERIVS ac DOLAEVS encyclopaed. L. II. c. 5. RIVINVS diſſ. de phthiſi. §. 53. ETTMÜLLER Op. T. IV. conſult. colleg. caſ. 31. conſult. cent. 1. ſect. II. caſ. LXXI. et C.), et potiſſimum in phthiſi pulmones adorta (Commerc. litterar. Noric. ann. 1734. p. 67. MVRALTVS Miſcellan. Acad. Caeſ. Nat. Cur. dec. II. ann. 1. obſ. IX. FR. HOFFMANN Oper. omn. T. II. ſect. 2. c. 13. 14. et Conſultat. cent. I. ſect II. caſ. LXXI. THIERRY medecin. experimental. p. 163. ETTMÜLLER colleg. conſult. caſ. XXX. LXI. VOGEL

l. m.

l. m. c. HOFFMEISTER et ALBRECHT l. c. p. 21. 22.) eximiam opem ferre perhibitum; fugacem tamen comperit in hoc ipſo morbo (l. m. c.) ALBRECHT, leuamen potius, quam verum auxilium WEPFERVS (obſeruat medico-practic. obſ. LXXVII.), aliquando penitus nihil praeſtitit (ALBRECHT l. m. c. p. 22. TISSOT l. m. c.), vt interdum potius nocuiſſe (TISSOT l. m. c.) videatur.

Magiſterium iouis, calx ſtanni, ex peracta per acidum ſolutione praecipitata, intus in morbo hyſterico ad grana quatuor, extrinſecus in cancro, vlceribus ſordidis et fiſtulis potiſſimum commendatum, (SCHRÖDER theſaur. pharmacolog. p. 387.).

6. *Ferrum*, *Mars*, in omni mundo corporeo occurrens, omnium metallorum vtiliſſimum ac ſaluberrimum, ideo a primis iam artis ſalutaris incunabulis medicis vſitatum, tenacitate ac duritie inſigni, qua, chalybis praecipue forma indutum reliqua in officinis obuia metalla ſuperat, colore obſcuriori in caeſium vergente, nitore minus conſtanti, vt aëri potiſſimum humido atque impuro expoſitum, facilime rubiginem contrahat, pondere ſpecifico, ſi cum aliis ſui generis compares, ſatis exiguo (= 72070 — 77880 : 10000 BRISSON l. c.), facili cum magnete, qui metallico ſplendore conſpicuum fortiſſime trahit, coitu, difficilimo in igne, ſi quidem ſolum illius vim experiatur, fluxu, ingenti colorum nitidorum varietate, quam variis ignis lenioris gradibus tortum in ſuperficie exhibet, facili, per ſolam adeo frictionem excitanda excandeſcentia, lucidis ſcintillis,

tillis, quas vehementior ignis aut frictio ex eo, praeſertim chalybis ſpecie obuio, extorquet, facili metallici ſplendoris per ſolam quoque ignis violentiam iactura, facili in omnibus acidis, aliis quoque ſalibus, ipſis adeo oleis ſolutione, ſapore adſtringente, quo omnia haec imbuit, colore caeruleo, quo per ſanguinis, quod vocant, lixiviam, colore atro, quo per gallas aut infuſam his aquam vel vini ſpiritum ex his ſolutionibus iterum praecipitatur, leui opera ab aliis metallis diſcernendum.

Praeter multifarium vſum, quem mechanicis potius dotibus, quibus pollet, tanquam princeps plurimorum inſtrumentorum chirurgicorum, quibus chalybis ſpecie optime inſeruit, et multorum vaſorum in officinis medicamentariis et culinis neceſſariorum materies praeſtat, vt poſterioribus etiam ſcopis, ſi praeſertim ſuperficies eius interna, quo minus arrodatur, et corpora contenta inquinet, aut cortice vitreo (RINMAN Kongl. Svenſk. Vetenſk. Academ. Handling. för Ar. 1779. Vol. XL. p. 200 ſq.), aut vernice (BINDHEIM *chemiſche Annal.* 1784. Vol. II. p. 5 ſq.) obducta ſit, reliquis metallis et ipſis vaſis terreis cruſta plumbi calces recipiente intus tectis merito praeferatur, praeter eum, quem candens chirurgis quoque praeſtat, alio loco enumerandum, adſtringente, roborante, ſuccos condenſante virtute egregie prodeſt (A. S. SCHOLZEN praeſ. R. W. KRAVSSEN mars ſalutifer omnigenum morborum debellator. Ienae. 1672. 4. I. S. VOGEL praeſ. I. VESTI de martialium natura, vſu et abuſu. Erford. 1713. 4.

I. S.

I. S. HENNINGER praeſ. G. H. EISENMANN de medicamentis martialibus. Argentor. 1715. 4. M. ALBERTI praeſ. I. CHRPH. FINDEISEN de ferro. Hal. 1738. 4. I. I. WEBER de remediorum martialium interno vſu. Hal. 1748. 4. ED. WRIGHT de ferri hiſtoria naturali, praeparatis et vſu medico. Edinb. 1753. 8. I. S. KAEHLER de ferro eiusque praecipuis praeparatis. Lipſ. 1768. 4. I. P. RIESENBERGER de ferro et nonnullis inde originem petentibus medicamentis. Goetting. 1771. 4. I. W. VIRMOND praeſ. D. W. NEBEL de ferro. Heidelb. 1780. 4.).

Et conſtringentem quidem facultatem, eamque ſatis validam externo iam vſu exercet ferrum, vt ſint, qui ad nimium pedum ſudorem inhibendum ferri ſcobem, temerario vtique ſaepe auſu, commendent: Ea quoque nititur virtus, quam Veteres, DIOSCORIDES (l. c. L. V. c. XLVI. LXI. LXII. LXV. LXVI. p. 445. 457. 459. 460.), C. CELSVS (l. c. L. V. c. I.), PLINIVS (Hiſtor. mundi, a SIG GELENIO diligent. caſtigat. Lugd. 1582. fol. L. XXXIV. c. XII. et XV. p 614. 617.), ORIBASIVS (Synopſis ad Euſtathium filium, quibus tota medicina in compendium redacta continetur, interpr. I. B. ROSARIO. Venet. 1554. 8. L. IX. c. XVIII. p. 197.), aliis atque aliis ferri extrinſecus adhibiti formis natiuis ſpontaneisue aut factitiis, chalcitidi et proxime affini miſy (DIOSCORIDES l. c. c. XXV. et LXVI.), rubigini (DIOSCORIDES l. c. c. XLVI. et PLINIVS l. c. c. XV.), ſquamae ferri (IIDEM ll. mm. cc. et CELSVS l. c. L. V. c. I.), atramento ſutorio (CELSVS l. m. c.) in ſanguine ex vulneribus (PLINIVS (l. m. c.), vulua

(DIOSCORIDES l. c. c. XLVI. LXV. PLINIVS ll. cc.), ano (PLINIVS l. c. c. XV. I. MANARDVS epiſtol. medicinal. Baſil. 1535. fol. L. V. Ep. 1. p. 53. ORIBASIVS l. c.), naribus (DIOSCORIDES l. c. c. LXV.) prorumpente ſiſtendo, ſerior ſuperſtitio (R. A. VOGEL hiſtor. materiae medicae. p. 406. FR. B. OSIANDER. l. c. St. 2. p. 365.), ſi quid veri habet, haematitae manibus contento in ſedanda narium haemorrhagia, DIOSCORIDES (l. c. c. LXI. p. 457.) rubricae clyſmatis ſpecie iniectae in alui fluxibus compeſcendis tribuerunt; ea auxilium, quod in gingiuis laxis firmandis tuliſſe perhibetur (DIOSCORIDES l. c. c. XLVI.) rubigo, ea vis roborans aquae, in quam profluens ex furnis, vt in grana diuellatur, liquatum ferrum irruit, balnei (*Eiſengranulirbäder*) ſpecie cum egregio fructu in debilitatis a diuturna paralyſi aut arthritide membris articulisque adhibitae (LENTIN apud BALDINGER *neues Magazin für Aerzte*. Lipſ. 8. Vol. III. 1781. faſc. 3. p. 193—214.); ea vis exſiccans ſquamae ferri, rubiginis aliarumque ferri calcium, quam ſuo iam tempore in vlceribus etiam pertinacibus et malignis proficuam inuenere GALENVS (l. c. L. IX.), AETIVS (Tetrabiblos per IAN. CORNARIVM. Baſil. 1549. fol. I. Serm II. c. LIX. p. 80. et II. ſerm. II. c. XXV. p. 757.) et P. AEGINETA (l. c. L. VII. p. 625.), et toties in delendis cutis aſperitatibus, genas (DIOSCORIDES et PLINIVS ll. cc.), mentum (ORIBASIVS qui atramentum ſutorium eo fine commendat l. c.), oculos et vicinas illis (DIOSCORIDES l. c. c. XLVI. LXV. PLINIVS l. c. c. XV.) aliasue partes (IIDEM ll. cc.) defoedantibus, ipſis exanthematibus chronicis (IIDEM

ll. cc.

ll. cc.), expertos ſe eſſe teſtantur; ea, ſi quid vnquam bonae frugis heic praeſtitit, effectus, quem in eryſipelate (AVICENNA lib. Canonis. Baſil. 1556. fol. L. II. Tr. 2. c. 252. p. 231.), et podagra (IDEM l. m. c. DIOSCORIDES et PLINIVS ll. cc.) externus rubiginis potiſſimum vſus exſeruiſſe fertur. Nolo morari globulorum et balneorum martialium, nec non balneorum terreorum, quorum efficacitas partim certe debetur contentae ferri calci, alio loco amplius dicendum effectum.

Potior certe et longe frequentior externo eſt internus vſus ferri et ſexcentorum ex eo confectorum medicaminum, iam MELAMPO, ſeculo mundi viceſimo ſeptimo florenti, cognitus, qui, teſte APOLLODORO (Bibliothec. ſiue de Deorum origine L. III. interpr. BENED. AEGIO Spolatino, recenſ. Hieronym. COMMELINO. 1599. 8. L. I. p. 38. 39.) rubigine per duos dies cum vino potata IPHICLO potentiam progenerandi reddidit, multis, etiam ſerioris aetatis, ipſis iis, qui medicamenta ex aliis metallis, ex antimonio praeſertim atque argento viuo parata, aut deteſtabantur, aut certe tanquam ambigua pronunciabant, decantatus.

Sunt tamen multa, quae ferri et ferreorum vſum interdum vetant; nocent certe, vbicunque fibrae rigidae, viſcera pertinaciter obſtructa, aluus, niſi ex laxitate inteſtinorum et ventriculi, obſtipata, vaſa praeter modum repleta, circulatio ſanguinis iuſto velocior, primae viae ſordibus bilioſis, putridis refertae ſunt, et parum proderunt aegro,

viribus adeo exhauſto, vt motui corporis vacare amplius non poſſit, quo ſane opus eſt, vt hae medicinae plenum ſortiantur effectum: Plethora certe, ſi adſit, venaeſectione praemiſſa tollenda, ſordes, ſi obſtent, pharmaco purgante ingeſto, ex primis viis eliminandae, et ſi ſoluta praeſertim forma praeſcribatur ferrum, cauendum, vt cibi, potus vel medicaminis ſpecie aliquid terrei aut alcalini in ventriculum perueniat, quod ochram inertem praecipitare, et ſperatos a ferri vſu effectus deſtruere poſſit: Vtplurimum feces aluinae, quod quidem multis bonum omen portendit, ſub eo vſu nigro imbuuntur colore: Cauendum quoque vt mox ante vel poſt paſtum deglutiantur: Inprimis etiam curandam, ne, quacunque forma ingeratur, cupri vel aurichalci, cum quo vtroque nociuo metallo combinatum in vita communi toties occurrit, labe infectum ſit; ſcobs igitur ferri, niſi a pharmacopoeo ipſo limae ope ex ferro vel chalybe puriſſima paretur, ſiue hac ſua forma, ſiue aliis remediis conficiendis adhibeatur, caute magnetis ope ſeligenda et ab alienorum metallorum aliisque peregrinis particulis liberanda, quod vt tanto certius fiat, ſcobs chartae firmiori acu multoties perforatae iniicienda, et magnete ſubtus admoto ferrum ſenſim extrahendum.

Quibus cautelis non neglectis merito ferrum praeſtantiſſimis medicamentis accenſeas: Princeps eius virtus eſt roborans, quam quidem felicius in corporibus ſpongioſis, mucoſis, nimia humorum tenuitate laborantibus exſerit, et ingeſtum primo exercet in ventriculum atque inteſtina, horum laxitati

tati medens, et mala ex ea prouenientia e. gr. lienteriam et alia alui profluuia tollens; inde laudes illae, iam a DIOSCORIDE (l. c. c. 43), CELSO (l. c. l. 4. c. 9.), PLINIO (l. c. c. 15.), GALENO (l. c. l. 9.), AETIO (l. c. 1. ſerm. 2. c. 45.), AL. TRALLIANO L. VII. c. 2. et L. VIII.), P. AEGINETA (l. c. L. VII.), aquae, vino, lacti, in quibus ferrum candens ſaepius exſtinctum fuerat, in ſedandis fluxu caeliaco, lienteria, dyſenteria, cholera, diarrhoea tributae: Ex ea ventriculum atque inteſtina confortante facultate profluit etiam illa, quam ſcobem ferri (E. H. WEDEL diſſ. de vermibus. Ienae. 1707. 4. P. G. WERLHOF obſeruation. de febribus. Hannov. 1745. p. 142. G. VAN DOEVEREN diſſ. de vermibus inteſtinalibus hominum. Lugd. Bat. 1753. 4. p. 68. 71. MELLIN l. c. p. 57. RVSH l. c.), forſan ſua quoque ſcabritie, prouti ſcobs ſtanni (M. E. BLOCH *Abhandlung von der Erzeugung der Eingeweidewürmer und den Mitteln wider dieſelben.* Berlin. 1782. 4.) efficaciorem, in vermes inteſtina occupantes, ipſam adeo interdum taeniam et colicam a vermibus ſuſcitatam (DARLUC journal de medecine etc. T. XII. 1760. Jun. n. 3. p. 506.) exercere, teſtes locupletes proſtant, tanto certius, ſi laxior ſimul, ventriculi potiſſimum, compages, et acida primarum viarum ſaburra obtineat.

Quum autem ferrum, acidis praeſertim ſiue iam dum ingeritur, ſolutum, ſiue in ventriculo inteſtinisue demum nubens, quicquid ſolitario experimento nixus, contradicat E. WRIGHT (Philoſoph. tranſact. Vol. L. P. II. 1758. n. 79. p. 594.), in vaſa (I. WOLFF obſerv. chirurgico-medic. Quedlinb. 4.

 1704.

1704. p. 78. V. MENGHINI Comment. de bonon. ſcient. et art. inſtit. atque academ. T. II. P. I. p. 475 ſq. P. H. FORCKE diſſ de martis tranſitu in ſanguinem. Ienae. 1783. 4. p. 10 ſq.) tranſeat, quorum oſcula in canalem alimentarium patentia ſubit, et vna cum humoribus in omne corporis punctum deferatur, potentia eius multo latius patet; roborando enim vaſa, circulationem ſanguinis languidam, qualem in cachecticis, leucophlegmaticis, chloroticis crebro animaduertimus, excitat, vt arteriae fortius et plenius pulſent, et multa mala, ex hoc languore oriunda, melancholiam, ex hoc fonte promanantem (BOERHAAVE elem. chem. II. p. 441. 442.), leucophlegmatiam, chloroſin praeſertim (L. MERCATVS gynaec. Baſil. 1586. 4. H. MONTVVS practic. medic. Venet. 1626. 4. M. ETTMÜLLER Oper. omn. Francof. 1696. fol. T. I. p. 472. V. BRVNN ap. DAN. NEBEL et BERN. WEPFER de medicamentis chalybeatis. Heidelb. 1711. §. 9 — 16. TH. SYDENHAM Oper. med. T. I. p. 267. VAN SWIETEN l. c. I. p. 107. et IV. p. 447.), alias cachexiae, potiſſimum pituitoſae ſpecies (ETTMÜLLER l. m. c.), ipſum, modo non a pertinaciter obſtructo aut ſcirrhoſo proficiſcatur viſcere, febrem hecticam ſufflaminante, hydropem (B. WEPFER l. m. c. §. 29. BOERHAAVE de morbis neruorum p. 156.), ſero ſtagnante per punctionem prius euacuato (SYDENHAM l. c. I. p. 345. D. W. NEBEL l. c. p. 73.), tympanitidem (R. A. VOGEL de cognoſcendis et curandis praecipuis corporis humani affectibus. Goetting. 1772. 8. p. 573.) feliciter ſanat, ipſas febres intermittentes, ex hac praeſertim ventriculi laxitate natas, tum profligat (MEAD monita et praecepta medica.

medica. p. 25.), tum, ſi, ne reuertantur, metus ſit, auerruncat (ALLEN ſynopſ. vniuerſ. medicin. practicae. Lipſ. 1749. 8. p. 16.), in capitis doloribus et vertigine, ex mera ſolidorum laxitate oriundis (BOERHAAVE de morbis neruorum. p. 506.), in rhachitide (A. BENEVOLI diſſertazioni ed oſſervazioni, tre delle quali ſulla rachitide etc. p. 229. ZEVIANI de rhachitide. C. IV. p. 135. BOERHAAVE element. chemiae. II. p. 442. VAN SWIETEN l. c. V. p. 629 ſq. MELLIN l. c. p. 205.) confert; vires ſolidorum, per morbos, (MELLIN l. c. p. 206.), aerumnas, improbos labores, multifariam intemperantiam, praeſertim veneream (TH. C. MEDICVS *Sammlung von Beobachtungen aus der Arzneywiſſenſchaft.* Zürich. 8. T. II. p. 678.) labefactatas (BOERHAAVE Elem. chem. II. p. 445. 446.), ipſas genitales (MELAMPVS l. c. ANGELVS SALA Oper. medico-chymic. p. 202.) reſtaurat, in fluore albo (Ephemerid. Acad. Caeſar. Nat. Cur. Dec. III. ann. 9. et 10. p. 297. L. FR. IACOBI de fluore albo mulierum. Erf. 1708. 4. §. XIII.), et gonorrhoea ſecundaria (J. HUNTER treatiſe on the venereal diſeaſe. London. 1786. 4.) haud contemnendum auxilium; valerianae quoque in epilepſia vincenda potentiam augens (LETTSOM memoirs of the medical ſociety of London. 8. Vol. III. 1792.),

Quum hypochondriacorum atque hyſtericarum calamitates haud raro in fibra debili et laxa fundentur, mirum non eſt, et his crebro ſolamen et auxilium praebere ferrum et ferrea medicamenta, quae iam a ZACVTO LVSITANO (introitus ad praxin et pharmacopoeam. Amſtelod. 1641. 8.), I. TH. SCHENCK diſſ. de malo hypochondriaco. Tub. 1668. cap. 2. punct. 2.

 §. 2.),

§. 2.), R. LENTILIO (Iatromnem. p. 232. 244.), TH. SYDENHAM (diſſert. epiſt. de affectione hyſterica et proceſſ. integri in morbis fere omnibus curandis. Oper. omn. Vol. I. p. 267 ſq. 491.), BENED. SYLVATICO (conſil. et reſponſ. medicinal. Cent. IV. acced. method. collegiandi. Patav. 1656. fol. p. 66.), I. DOLAEO (Oper. omn. Francof. 1703. fol. p. 301.), FR. HOFFMANNO (Medicin. rational. ſyſtemat. T. IV. P. III. C. 6. §. 11. p. 239.), MEADIO (l. m. c. p. 149.), R. WHYTTIO (obſervat. on the nature, cauſes and cure of thoſe diſorders, which have been commonly called nervous, hypochondriac or hyſteric etc. London. 1765. 8. cap. 7. p. 329 ſq.), MELLIN (l. c. p. 205.), VOGLERO (l. c. p. 66.) et aliis commendata et cum fructu fuere adhibita; caueas tamen (FR. HOFFMANN l. m.) ab eorum vſu, quoties excretiones naturales, niſi ex laxitate organorum, iuſto ſegnius procedunt, vaſa humoribus turgeat, primae viae ſaburra, niſi acida, ſcatent, viſcera infarctibus aut obſtructionibus laborant, aut praegreſſis vel interpoſitis huic fini accommodatis remediis memorata obſtacula prius auferes.

Neque tamen in omni (HIGHMORVS libr. de affectionibus hypochondriacis. c. 9. p. 133 ſq.) viſcerum infarctu aut obſtructione damnandus martialium vſus; quodſi enim ſtagnatio humorum in vltimis vaſorum finibus haerentium cum nimia vaſorum ipſorum relaxatione coniuncta fuerit, robur his additum eorum vim in contenta fluida reſtituendo, horumque circuitum reſtaurando, obſtructa reſerabit; vnde patet, quod primo intuitu virtuti eorum conſtrin-

conſtringenti refragatur, cur martialia (G. W. WEDEL amoenitat. mater. medicae. Ienae. 1704. 4. p. 71. LVBOSCHÜZ de aperitiua martialium virtute. Hal. 1773. TH. P. CAELSI ratio occurrendi morbis ex mineralium abuſu produci ſolitis acc. LVD. DORASCENTIVS de vſu chalybis atque mercurii in obſtructione curanda. Rom. 1783. 8.), potiſſimum ea, quae ſal quoddam ſecum coniunctum habent (VOGLER l. m. c.) in aperientium cenſum delata ſint: Referandis viſcerum obſtructionibus feliciter certe oppoſuit BENED. SYLVATICVS (l. c. p. 89.), C. BARBEIRAC (quaeſtion. medic. duodecim. Monſpel. 1658. 4.), VAN SWIETEN (l. c. T. I. p. 195.), VOGLER (l. m. c.); in lienis potiſſimum infarctibus commendarunt aquam alioſue liquores, in quibus ferrum candens fuerat exſtinctum, DIOSCORIDES (l. c. c. XCIV.), C. CELSVS (l. c.), CAELIVS AVRELIANVS (de morbis acutis et chronicis cum notis AMMANNI et ALMELOVEENII. Amſtelod. 1709. 4. morb. chronic. L. III. c. IV. p. 452.), GALENVS (de compoſitione medicamentorum. L. IX. c. 2.), ORIBASIVS (l. c. c. 24.), AETIVS (l. c. III. ſerm. 2. c. 11.), ALEXANDER TRALLIANVS (Oper. in art. medic. principib. ex editione HALLERI. Lauſann. 1777. 8. T. VI. L. VIII. C. XIII. p. 392.), P. AEGINETA (medicin. totius enchiridion interpr. ALB. TORINO. Baſil. 1552. 8. L. VII. p. 623.), AVICENNA (Lib. canon. Baſil. 1556. fol. L. II. Tr. 2. cap. 252. p. 231.), G. W. WEDEL (l. m. c. p. 183.); ſimilem ferri effectum in liene obſtructo viderunt MERCATVS (Oper. omn. Francof. 1608. fol. T. III.) et FORESTVS (Oper. Rotomag. 1653. fol. p. 402. 405.), in hepate obſtructo RIVERIVS (Oper. omn. medic. Lugd.

 1679.

1679. fol. p. 323.), in glandulis colli induratis MELLIN (l. c. p. 205.), in meſenterii glandulis eodem malo laborantibus et nata exinde atrophia VOGLER (l. m. c.); morbum adeo comitialem ex liene turgido et maximopere dolente natum partim certe ferri virtute debellauit N. TVLPIVS (obſeruation. medic. Amſtel. 8. Edit. nov. 1672. L. I. c. 9. p. 17 ſq.).

Eadem ferri vis eſt in turbis haemorrhoidum (PLINIVS l. c. c. 15. ORIBASIVS l. c. c. 18. p. 197. MESUE de re medica interpr. IAC. SYLVIO. Lugd. 1560. 8. L. III. de antidot. p. 245. RHAZES Oper. exquiſit. per ALB. TORINVM. Baſil. 1544. fol. de re medica. L. IX. c. 80. p. 265. AVICENNA l. m. c. MANARDES epiſtol. medicinal. Baſil. 1535. fol. L. V. Ep. 1. p. 53. MAYERNE (ſyntagma prax. medic. Lond. 8. P. I. 1690. VOGLER l. m. c.), et fluxus muliebris menſtrui (DIOSCORIDES, MESUE, AVICENNA ll. cc. RHAZES l. c. c. 80. V. RIEDLIN curarum medicinalium millenarius. Vlm. 1709. 4. M. ETTMÜLLER collegium practicum. p. 943. 944. 946. G. W. WEDEL l. m. c. p. 193. MEAD l. c. p. 158. 161. V. BRVNN apud D. W. NEBEL l. c. §. 32. FR. HOFFMANN medicin. conſultator. Hal. 4. T. XII. 1739. Dec. IV. Caſ. 5. p. 292. TISSOT l. c. cap. 26. §. 320. 4. p. 350. 535. 537.), ſi quidem a laxitate fibrae, et humoribus nimium tenuibus aut mucoſis ortum ducant, ſedandis, tum emanentibus aut ſuppreſſis (TURQUET DE MAYERNE, TISSOT et alii, ll. cc.), epilepſiam (VAN SWIETEN l. c. III. p. 447.) cauſſantibus, tum iuſto largius profluentibus quemadmodum etiam in ſiſtendis aliis praeter naturam ex ſimili cauſſa contingentibus ſanguinis

guinis profluuiis (CELSVS l. c. L. V. C. 1. VOGLER l. c. p. 65. 66.) eximiam aliquando opem praeſtat.

Acidum porro potenter abſorbet ferri ſcobs (I. G. WENDELIN diſſ. de nonnullis medicamentis metallicis eorumque effectu in corpore humano. Hal. 1743. 4. §. XXVIII. p. 52.), eapropter quoque chloroticarum, hyſtericarum, hypochondriacorum (I. A. BRETSCHNEIDER diſſ. exhibens aegrum occaſione mali hypochondriaci melancholicum. Erford. 1705. 4. §. XVII. p. 17.), arthriticorum (B. EWALD diſſ. de podagra. Erf. 1697. WERLHOF curation. medic. Hannov. 1784.) aliorum (WENDELIN l. c. §. XXIX. p. 54.) ventriculi acore afflictorum, infantum rhachiticorum (GLISSON de rachitide. Lond. 1660. 12.) et verminoſorum, grauidarum pica laborantium (M. B. VALENTINI prax. med. infallib. I. p. 87.) exoptatum ſolatium, vt tamen non raro, niſi (TRALLES de vſu opii ſalubri et noxio. Sect. III. p. 63. 64.) rhabarbaro iuncta, aëre, qui dum ferrum in acido ſoluitur, prodit, et natiuo ventriculi calore mirum in modum expanditur, non ructus modo flatusque nidoroſos, ſed in debilioribus etiam anxietates, cardialgias, colicas creet.

Neque denique praetermittendum eſt, ferrum ſiue potius eius calcem principem ſanguinis partem (IOS. BADIA opuſc. ſcientif. filolog. T. XVIII. p. 242. GALEACIVS Comment. inſt. et Acad. Bonon. T. II. P. 2. p. 20 ſqq. MENGHINVS ibid. p. 241 ſq. RHADES de ferro ſanguinis. Goett. 1753. *M. Hamburg. Magaz.* Vol. XIII. p. 31 ſqq. G. WIDMER *vom mineraliſchen Gehalt und mediciniſchen Gebrauch des Badner Bads*

Bads etc. p. 188.), a qua potiſſimum eius rubor pendet (A. HALLER element. phyſiol. corporis humani. Lauſann. 4. T. II. 1760. p. 316. FOURCROY elem. de l'hiſtoire naturelle et de la chymie Ed. 2. T. II. p. 310.) conſtituere, eo igitur etiam ex capite chloroticis, quorum pallidus cruor niſi carere penitus, ſaltem non ſufficienti, qualem natura poſtulat, eius copia gaudere videtur (TH. WILLIS diatr. de febribus. Leid. 1680. 12. p. 108. TH. SYDENHAM l. c. p. 267.), cum ſanguinis particulis coëundo, eumque defectum ſupplendo prodeſſe.

At multum quoque intereſt, qua forma exhibeatur ferrum, alii enim medici natiuas, alii alias atque alias formas factitias ferri praetulerunt.

A. *Formae ferri natiuae, a medicis commendatae.*

Fuere ſane inter medicos (V. TH. SYDENHAM l. m. c. RIESENBERGER l. c. §. VII. p. 14.) qui naturae opera artis productis hoc etiam in caſu potiora habentes, mineras ferri ferro ex iis excocto maiori longe ſalutari efficacia pollere ſibi perſuaſerunt; cum tamen plurimae ferrum contineant calcis forma indutum, qua difficilius longe humoribus ſoluitur, vix videtur illa praerogatiua firmo niti fundamento, ne dicam, plurimis earum inhaerere particulas peregrinas, niſi nociuas, certe ferri efficaciae obſtantes.

Minera martis ſolaris, in Anglia, Haſſia frequens, nihil niſi pyrites ferri (LINN. *Syſt. nat. III. p.* 289.) fatiſcens, et effloreſcente alumine ac ferri vitriolo grauidus, cui quoque, quam (R. LENTILIVS l. c.

l. c. p. 703.) in turbis fluxus muliebris exſeruiſſe fertur, efficaciam debet. Hodie auri coctoribus, qui mira de ea ſomniant, melius adhuc officinis, in quibus alumen et ferri vitriolum coquitur, relicta.

Magnes (LINN. *Syſt. nat. III. p.* 323. n. 12.), virtute, qua ferrum trahit, lippis et tenſoribus notus, illa tamen euaneſcente, vt primum in puluerem conteritur, ea igitur in conditione laudibus indignus, quibus HELMONTIVS (de magnetica vulnerum curatione. ed. VALENTINI. 1707. 4. p. 706.) in herniis ſanandis, abortu praecauendo, partu promouendo, crematum et contritum PLINIVS (l. c. L. XXXVI c. 16.) in ambuſtionibus ſanandis, cum plumbo contritum et linteo, muliebri lacte tincto, illigatum, in ſterilitate tollenda HIPPOCRATES (Oper. ed. FOESII. T. I. ſect. 5. p. 686.), in emplaſtri formam redactum in ferreis ſpiculis ex vulneribus extrahendis efficacem veterum multi, et ex recentionibus GUERIN (ſur les maladies des yeux. Lyon. 1769.), cum potu ſumtum in ſcobe ferrea in corpore retinenda atque educenda AVICENNA (l.c. c. 470. p. 269.) potentem exornarunt.

At integrum magnetem extrinſecus corpori applicatum ſuo in illud influxu non carere, iam ex ſenſatione quadam frigidae quaſi aurae colligas, quae (QVELLMALZ diſſ. de magnete. §. 5.), ſi ſcobi ferri in dorſo manus poſitae magnes admoueatur, naſcitur: In oculorum morbis, maxime in epiphora commendauit (l. m. c.) PLINIVS, in ſingulari viſum afficiente morbo, oculorum inflammatione et obfuſcatione repetitum vſum egregie profeciſſe expertus eſt CHPH. WEBER (*Die Wirkung des künſtlichen Magnets*

an

an die K. Societät der Wiſſenſchaften von Göttingen geſendet, und jetzt durch einige andere Geſchichten von Augenbeſchwerden beſtärkt. Hannov. 1767. 8.), in manu detentum partum accelerare, ex collo geſtatum ſpaſmum ſanare tradidit (Magnes ſiue de arte magnetica. Colon. 4. 1643. L. III. C. 7. p. 679.) ATH. KIRCHERVS, conuulſis opitulari AETIVS (l. c. ſerm. 2.) et I. D. REICHEL (diſſ. de magnetiſmo in corpore humano. Lipſ. 1772. 4.), brachio vtrique alligatum, epilepſiam adeo ſanaſſe ANONYMVS (Gazette ſalutaire. Bouillon. 1761.), motum artuum dextri lateris poſt conuulſiones deſtructum a magnete carpo dextro, et aliis duobus vtrique ſurae alligatis reſtitutum I. CHPH. VNZER (*Beſchreibung eines mit dem künſtlichen Magneten angeſtellten mediciniſchen Verſuchs.* Hamburg. 1775. 8.).

Maior tamen eius fama fuit in doloribus ſedandis; ex collo geſtatum neruorum dolores compeſcere refert (l. m. c.) ATH. KIRCHERVS; manu detentum chiragricorum ac podagricorum dolores lenire (l. m. c.) AETIVS, digitorum rigidorum acerbos dolores poſt inflammationem totius manus relictos ab eo ter applicato euanuiſſe I. A. PH. GESNERI (*Schwaben zur Arzneygelahrtheit u. Naturkunde.* Nördling. 8. Vol. I. 1769. p. 220.); collo aut circa caput alligatum dolori capitis mederi MARCELLVS EMPIRICVS (de medicamentis in collect. STEPHANI p. 253.), applicatum polum borealem oculorum dolores mitigaſſe DE LA CONDAMINE (journal de medecine, chirurgie, pharmacie. 1767. T. XXVII. menſ. Sept. n. 12. p. 265 ſq.).

Princeps

Princeps eius dentibus affectis admoti virtus in atrocibus dentium doloribus profligandis efficax, recentioribus demum temporibus in cenſum venit, vt tamen plurima eorum experimentorum cum magnete artificiali capta ſint; multoties in eo ſolatium inuenit B. KLAERICH (*Hannöveriſches Magazin.* 1765. St. 25. et *Götting. Anzeig. von gelehrten Sachen.* 1765. St. 89. p. 713. 714.) et aliquoties HOLLMANNVS (*Götting. Anz. von gel. Sachen.* 1765. St. 97. p. 777. 778.), ſemel Ill. KAESTNER (ibid. St. 31. p. 252. 253.), vt mittam alios; fruſtra tamen tentauit in iisdem doloribus (l. c.) DE LA CONDAMINE, aliquoties quoque B. KLAERICH (l. c.), qui poſterior etiam, perinde ac F. E. GLAVBRECHT (analecta de odontalgia eiusque remediis variis, praecipue magnete. Argentor. 1766. 4.) eius vſu dolores quidem pulſos, verum interdum breui temporis ſpatio redeuntes vidit. Vix notabilem a quatuor magnetibus, quorum bini pone aures, bini plantis pedum, affixis in femina hyſterica, quae in mali acceſſu altero latere caeca et omni ſenſu orba erat, comperit effectum I. FR. BOLTEN (*Nachricht von einem mit dem künſtlichen Magnete gemachten Verſuche in einer Nervenkrankheit.* Hamb. 1775. 4.).

Qui plura de vſu magnetis medico legere cupit, adeat praeter memoratos Cl. HEINSIVM (*Beyträge zu den Verſuchen, welche mit künſtlichen Magneten in verſchiedenen Krankheiten angeſtellt worden.* Leipz. 1776.), E. G. BALDINGERVM (progr. ſuccinct. narratio hiſtorica de magnetis viribus ad morbos ſanandos. Goetting. 1778. 4.) et Cl. ANDRY et THOURET (Memoires de la ſocieté royale de medecine à Paris. 4. à Paris. ann. 1779.).

De

De animali, quem vocant, magnetiſmo alio magis congruo loco dicetur.

Haematites (LINN. *Syſt. nat. III. p.* 326-328. n. 21. et praeſ. V.) ferri diues minera vel potius calx indurata, aut in ſolidis iam maſſis, aut in puluere, quem contrita exhibet, ſanguinea, hinc eo tempore, quo medici in externis eiusmodi rerum ſignaturis naturae nutum deliteſcere ſibi perſuadebant, pro remedio ſanguinem ſiſtente potentiſſimo habita, vt eſſent (V. R. LENTILIVS l. c. p. 707.) adeo, qui ad hunc lapidem intra volas compreſſum aut axillis ſuppoſitum in quocunque cruoris profluuio, inprimis ex naribus procedente (R. A. VOGEL hiſtor. materiae medicae. p. 406.), aut ex vtero, quale inprimis poſt partum ſaepe contingit (B. FR. OSIANDER l. c. p. 365), tanquam ad ſacram anchoram confugerent: Neque negari certe poteſt, ſiue intus adhibeatur, ſiue extrinſecus eius in pollinem tenerrimum contriti haematitae vis adſtringens atque exſiccans, quam cum aliis ferri calcibus communem habet, in oculorum praeſertim morbis efficax, iam a DIOSCORIDE (l. c. L. IV. c. 90.), GALENO (de ſimplicium medicamentorum facultatibus. L. IX. interpr. TH. G. GAUDANO. Pariſ. 1547. 12. p. 282. a.), PLINIO (.m. c.), AVICENNA (l. c. cap. 470. p. 369.) depraedicata, noſtro aeuo euileſcens, vt vix, et nonniſi rarius ad parandos flores ſalis ammoniaci martiales (*haematiſatos*) recipiatur.

Rubrica (LINN. *Syſt. nat. III. p.* 139. n. 15.), *Rubrica fabrilis*, *Creta rubra*, argilla ferri calce praegnans et obſcure ſanguineo tinctu infecta, fragilis,

gilis, vt aquae ope emolliri non amplius queat, ſed potius ad aliud corpus attrita ſcripturam rubram exhibeat. More aliarum ferri calcium ſiccat atque adſtringit, rarius intus in alui ſanguinisque profluviis, vix crebrius extrinſecus adhibita; nuperius ea copia, vt laetior roſae color naſcatur, cum cremore lactis ſubacta in angina commendata, ea lege, vt duo eius cochlearia ori ingeſta per fauces et tonſillas diſpertiantur. (*Reichsanzeiger.* 1794. n. 92. p. 881.).

Aëtites, *Lapis aquilinus*, *Lapis geodes*, crebro non niſi ferri minera (LINN. *Syſt. nat. III. p.* 332. nr. 29. I.) magis minusue globoſa, intus caua, rarius vacua, quam aqua, terra, aut altero lapide vtplurimum libero repleta, veteribus (DIOSCORIDES l. c. l. V. c. 93.) magni aeſtimata, qui lapidem praegnantem in ea ſibi fingentes, ſiniſtro brachio alligatam abortum praecauere, femoribus affixam parturientium dolores auferre, miro ingenii lapſu perſuaſum ſibi habebant.

B. *Formae ferri artificiales, medicis vſu venientes.*

Scobs ferri, *Limatura ferri*, *Limatura martis*, aut in pharmacopoliis ipſis limae ope ex ferro puriſſimo parata, aut ex officinis, in quibus ferrum per mechanica eiusmodi inſtrumenta comminuitur, comparata, modo a rubigine, perinde ac, monente iam G. W. WEDELIO (pharmac. acroamatica. Ien. 1686. 4. p. 20.) a particulis cupri atque aurichalci, oſſibus in carbonem exuſtis atque in puluerem conuerſis

 (I. c.

I. C. PH. ELWERT *Repertorium für Chemie, Pharmacie und Arzneymittelkunde.* Leipz. 8. Vol. I. P. 1. 1790. p. 57. 58.) aliisque ſordibus libera ſit; quod ſi non ſit, qualis officinas medicamentarias intrat, magnetis ſubtus admoti auxilio ex ſcobe per chartam denſiorem acus ope cribri ad inſtar foraminibus pertuſam diſperſa extrahendae ferri particulae.

Quae cautela niſi negligatur, haec ſcobs vtique inter optima remedia ferrea referenda, adeo vt, ſi audias TH. SYDENHAMVM (l. c. I. p. 267. 269.), MELLIN, RUSH (ll. cc.), omnibus reliquis palmam praeripiat, efficacior omnino, ſi acidum in ventriculo deprehendat, et huic abſorbendo egregie inſeruiens, forſan quoque ipſis particularum angulis et acumine in torquendis, qui inteſtina occupant, vermibus, potentior; vt ſpem medici impleat, motum corporis, paulo violentiorem, quam ea medicamenta, in quibus ferrum acido cuidam iunctum eſt, poſtulans: Singularem eius ad octodecim vsque grana quotidie ingeſti vim in memorabili ventriculi meteoriſmo a ſex inde menſibus increſcente expertus eſt GRAVES (medical facts and experiments. London. 8. Vol. I. 1791.).

Exhibetur autem pro alia atque alia morbi aegrotique indole alio atque alio pondere a ſex, decem (TH. SYDENHAM l. c.) granis ad ſcrupulum, et drachmam (WERLHOF l. c.), adultis adeo, qui vermibus laborant, ad duas drachmas, imo ad mediam vsque vnciam (RUSH l. c.), rarius meraca, quam aut ſaccharo condita (*Mars ſaccharatus.* New diſpenſatory. Lond. 8. Ed. 2. 1765. p. 337.), aut cum ſaccharo

et

et aromatibus in morſulorum (*Morſuli martiales* Pharmac. rational. Caſſell. 1782. p. 221. 222.), vel trochiſcorum, aut cum melle in electuarii vel (MELLIN l. c. p. 206.) in pilularum ſpeciem redacta.

Potior aliis (ANGEL. SALA Oper. medico-chymica. Francof. 1647. 4. p. 262. G. BAGLIV. de anatome fibrarum Oper. omn. 4. Ed. nona. Antw. 1715. p. 421. TH. SYDENHAM l. c. p. 267-269. V. BRVNN ap. D. NEBEL l. c. §. 30-32. I. SCHRÖDER pharmacopoea medico-chymica, ſtud. P. ROMMELII. Vlm. 4. 1685. p. 370. MONTVVS l. c.) viſus fuit chalybis, aliis, et quidem eo quod facilius in humoribus ſolvitur, maiori iure ferrum (WERLHOF l. m. c. FR. HOFFMANN de prudenti medicamentorum continuatione. §. 25. Opuſc. medico-practic. Hal. 4. 1706. p. 104. P. HERMANNI cynoſur. mater. medic. cura I. BOECLERI. Argent. 4. 1726. P. III. p. 143. LOESECKE materia medica. VI. Aufl. 1790. p. 433. RIESENBERGER l. c. §. VIII. §. 17.) efficacius; vtrumuis, ſi pulueris forma praeſcriptum reliquis puluerem, electuarium etc. ingredientibus materiis aequabiliter permiſceri debeat, in pollen tenuiſſimum (*Chalybs praeparatus*, *Limatura martis alcoholiſata*), quod ſollicite contra rubiginem muniri debet, redigendum, aut, ferrei piſtilli ope in mortario ferreo contérendo et contuſum per ſubtiliſſimum cribrum vel linteum traiiciendo (BAGLIVIVS, TH. SYDENHAM, A BRVNN, G. W. WEDEL ll. cc.), aut, quoniam ferrum ductilius piſtilli vi in puluerem redigi nequit, per plures hebdomades quotidie cum aqua ſuperinfuſa agitando, aquam turbidam decantando, et

 ſedimen-

ſedimentum (*Aethiops martialis* Pharmacop. ſuecic. 8. Lipſ. et Alton. 1776. p. 35.) ex aqua ſenſim ſenſimque limpida delapſum velociter exſiccando, quod ſi circumſpecte ſatis factum fuerit, non niger modo eſt puluis, atque auide a magnete trahitur, ſed facile quoque atque efferueſcendo in acidis ſoluitur.

At ſubtiliori etiam illa forma vix ſolum porrigitur ferrum, ſed modo ſaporis ergo cum ſaccharo, ſiliqua dulci et aliis atque aliis aromatibus, nunc ne gas, quod, dum ſoluitur ferrum, extricatur, in hyſtericis praeſertim moleſtias creet (TRALLES de vſu opii ſalubri et noxio Sect. III. p. 63. 64.), cum rhabarbaro, nunc pro conditionibus morbi cum hoc illoue medicamento permixtum, cum extractis amaris (A BRVNN l. m. c.) in pilulas, vel cum conſeruis, conditis, ſyrupis in electuarium (*Chalybeatum* New diſpenſatory. p. 498.) ſubactum.

Rubigo, *Ferrugo*, *Aerugo ferri*, ſponte ſua in expoſita aëri, praeſertim humido atque impuro, ſuperficie ferri, quanto deterioris et minus politi, tanto citius et copioſius naſcens MELAMPO, DIOSCORIDI, PLINIO, AVICENNAE (ll. cc.) inter primarias ferreas medicinas relata, omnino ob eam dotem ſcobi praeferenda, quod ingeſta incommodos illos ructus nidoroſos non excitat (HAHNEMANN ap. MONRO l. c. I. p. 203.), at, quum acida difficilius longe ſubeat, minus efficax.

Croci martis ſiue ferri calces, modo magis in rubrum, modo magis in flauum colorem vergentes, magnetem conſueta ratione admotum non ſequentes, ſapore

ſapore adſtringente linguam ferientes, quamuis a multis (TH. ERASTO ap. CRATONEM l. c. L. III. p. 332. P. HERMANNO l. m. c. et aliis inter veteres), eo quod tenerioris ſint compagis, ſcobi antepoſitae fuerint, quoniam difficilius multo ſoluuntur acidis, difficilius igitur corporis quoque humores ſubeunt, ſuam efficaciam parum vltra primam digeſtionis officinam extendere videntur, hinc noſtris temporibus neglectae; pro alio atque alio praeparationis modo alia atque alia cognomina ſortitae: Alii enim parantur ignis ope, alii humectando ferrum variis liquoribus, quorum vi in rubiginis ſpeciem abit, alii corrodendo et ſoluendo ferrum per varia acida: Ita ſunt (v. g. A. LIBAVIVS alchym. Francof. 1606. fol. P. II. p. 21.), qui ſcobem aut laminas ferri ſola ignis violentia in calcem (*Crocus martis obſtructiuus* I. SCHRÖDER l. c. p. 370.), alii, qui intermiſto ſale communi (SCHRÖDER l. m. c.), tartaro (IDEM l. m. c.) nitro, nitro et ſulphure ſimul (*Puluis cachecticus* I. BOECLER l. m. c.), aut ſulphure (I. SCHRÖDER l. m. c. p. 370. 371) vrunt, aut fruſtum ſulphuris ferro vel chalybi candenti affricando, et guttas delabentes in aqua frigida collectas conterendo (*Crocus martis aperitiuus*, *Crocus martis niger*, *Chalybs cum ſulphure praeparatus* New diſpenſatory. p. 494.), aut ſcobem ferri chalybisue per ſtrata commiſcendo cum aequali, duabus tribusue ſulphuris contuſi partibus, humectando, vt primum intumeſcit miſtura, conterendo, et in catillo terreo candenti igne ſub continua agitatione tam diu vrgendo, donec in puluerem nigrum (*Crocus martis ſulphuratus*, *Chalybs ſulphuratus*, *Mars ſulphuratus* New diſpenſatory. p. 494.)

 facil-

facillime inter digitur comminuendum, et ſulphuris acido hac vſtione extricato et cum ferri portione in vitrioli ſpeciem abeunte aliis martis crocis omnino efficaciorem conuerſa ſit, qui, vlteriori ignis actione parte inhaerentis acidi iterum expulſa, rubrum (nunc New diſpenſatory. p. 495. *Anglis Crocus martis aperiens* audit) adipiſcitur colorem, diuturno et violentiori ignis effectu tandem in meram ferri calcem (*Crocus martis adſtrictorius* ANGEL. SALA exegeſ. chymiatrica. Sect. II. Op. p. 742. *Crocus martis adſtringens* New diſpenſatory. p. 495.) omni ſalina ſolubili parte priuam abiens.

Alii laminas vel ſcobem ferri rori (JOSSE Hiſtoire de la Societé de medecine à Paris. ad ann. 1776. p. 326.) exponendo, aut (*Martis limatura praeparata* New diſpenſatory. p. 493.) aëri humido, aqua (G. W. WEDEL pharmac. acroamat. L. II. Sect. II. C. 4. §. 6. p. 289. FR. HOFFMANN de prudenti medicamentorum continuatione. §. 26. Opuſc. medico-pract. Hal. 4. 1736. Dec. I. n. 4. p. 105.), lotio praeſertim puerorum (SCHRÖDER l. c. p. 370.), aceto (*Chalybis rubigo praeparata* New diſpenſatory. p. 493.), aqua ſale communi (SCHRÖDER l. m c.) vel (*Crocus martis emmenagagus*) borace (G. W. WEDEL l. m. c.), arcano tartari (IDEM l. m. c.) impraegnata, ſalis communis acido (I. I. ROSENSTENGEL inſtitution. chymico-pharmaceutic. Francof. 4. 1718. p. 774.), vitrioli oleo (SCHRÖDER l. c. p. 372.) vel ſpiritu (*Crocus martis ſaccharinus* G. W. WEDEL l. m. c. §. 5. p. 288.) conſpergendo aut obliniendo, ferruginem inde natam abradendo, denuo conſpergendo, iisque alternis

alternis artificiis pergendo, donec omne ferrum in rubiginem conuerſum ſit, collectam vero rubiginem conterendo, aquae auxilio elutriando atque exſiccando, vel etiam (JOSSE l. c.) exurendo; alii aquae fortis (I. SCHRÖDER l. c. p. 371.) vel ſpiritus ſalis communis (ROSENSTENGEL l. m. c.) vaporibus exponendo, aut aquam fortem cochleari ferreo per aliquod temporis ſpatium infundendo (SCHRÖDER l. m. c. p. 372.), ceterum eadem ratione procedendo; alii (SCHRÖDER l. c. p. 371.) vitrioli, ſalis ſpiritu, vel aqua forti ſoluendo, et ex his aut per alcalia, praeſertim cauſtica (DARCET et FOURCROY hiſtoire de la ſocieté de medecine à Paris, ad ann. 1776. p. 324. 325.), quae vtplurimum crocum magneti obtemperantem largiuntur, potiſſimum ſpiritum ſalis ammoniaci (MARET hiſtoir. de la ſocieté de medec. à Paris. ad ann. 1726. p. 324.) praecipitando, eluendo ac ſiccando, aut humorem in vaſis apertis (SCHRÖDER l. m. c.), vel per diſtillationem in vaſis clauſis ignis vi iterum expellendo; repetito tali labore (SCHRÖDER l m. c.) cum aqua forti ſuſcepto *martem rubificatum* ſiue *crocum chalybis rubrum* pulcerrima profecto rubedine conſpicuum, et ab inuentore inſignibus encomiis exornatum confecit ANGELVS SALA (Septem planetar. ſpagyric. recenſ. et myrothec. ſect. VII. n. 36. Oper. medico-chymic. p. 201. 805.). Alii denique cum aqua in machina Garayana (ROUELLE Hiſtoir. de la ſocieté de medecine à Paris. ad ann. 1776. p. 325.), aut cum aceto multoties denuo ſuperadfuſo (ROSENSTENGEL et ROUELLE ll. mm. cc.), aut cum aqua forti multum diluta (CROHARÉ hiſt. de la ſoc. de medecin. à Paris ad ann. 1776.) violenter

 agitando,

agitando, paſtam inde naſcantem eluendo, et pulverem tenerrimum tandem ſubſidentem exſiccando *crocum martis* ſibi compararunt.

Squama ferri, *Scoria ferri*, *Stercus ferri*, quod ferrum candens mallei ictibus percuſſum eiicit, vtique iam in ſcoriae ſpeciem conuerſum, Veteribus, DIOSCORIDI (l. c. c. XCIV.), PLINIO, GALENO, AETIO, AL. TRALLIANO, P. AEGINETAE, AVICENNAE (ll. cc.), ORIBASIO (ad Eunapium L. IV. interpr. I. B. ROSARIO. Venet. 1558. 12. L. II. C. 5. p. 102.), MESUAE (de re medica. L. III. interpr. I. SYLVIO. Lugd. 1560. 8. L. III. p. 245.) et RHAZEO (de re medica. L. III. c. 35. et L. IX. c. 63. Oper. exquiſit. per ALB. TORINVM. Baſil. 1544. fol. p. 82. 247.) multum celebratum, hodie apud medicos obſoletum, niſi forte (V. PIEPENBRING apud I. C. PH. ELWERT l. c. p. 14.) per fraudem limaturae ferri nomine in pharmacopoliis veneat.

Vitriolum ferri. V. ſupra.

Flores ſalis ammoniaci martiales. V. ſupra.

Oleum martis. V. ſupra.

Mars ſolubilis alcaliſatus (New diſpenſat. p. p. 495.) exurendo cum aequali ſcobis ferreae copia permiſtum tartarum album, qui eo labore omni fere acido ſpoliatur, et, quod ſupereſt, contundendo et per cribrum traiiciendo paratus, hodie vix adhibitus.

Mars ſolubilis, *Chalybs tartariſatus*, *Tartarus chalybeatus*, humectatione aut coctione ſcobis ferri et tripla vel quadrupla portione cremoris tartari cum aqua natus, facile, et ſi quidem rite paratus fuerit, totus in aqua ſoluendus, ſaporis haud

ingrati,

ingrati, coloris ex luteo fuſci, inter principes ex ferro confectas medicinas, cum neque facultate excalefaciente, neque virtute adſtringente, reliquorum vſui toties obſtante, nocere facile poſſit, in rhachitide atque vermibus infantibus a granis 5 — 12, in aliis per ferrea debellandis morbis adultis a granis 15 ad drachmam vsque mediam exhibendus, ſiue aqua quadam ſuaueolente ſolutus (*Tinctura martis tartariſata*) et ſyrupo edulcatus, ſiue in bolum redactus, ſive cum nitri depurati $\frac{1}{8}$, et ſacchari $\frac{3}{8}$ terendo permiſtus (vocat nunc Cl. VOGLER l. c. p. 65. *Martem ſolubilem nitratum*), quo in connubio in necandis vermibus, reſerandis obſtructionibus, ſedandis neruorum turbis, ſiſtendis, et, ſi quidem ſalutaria ſint, reſtituendis ſanguinis profluuiis, mirifice efficacem expertus eſt Cl. VOGLER (l. c.).

Globuli martiales parum a marte ſolubili diſcrepantes, vt tamen minore tartari copia inſtructi, rarius toti aqua vel vini ſpiritu ſoluantur, et, quamuis vino virtutem, qua interno quoque vſu pollent, impertiantur, externo potiſſimum vſui deſtinati ſint, quo vtique aqua vel aceto vel vino macerati, donec haec fluida colore et ſapore ferrum ſolutum iis inhaerere teſtentur, vel cum aqua ſaturnina Goulardi coniuncta, et fomentorum forma adhibita, in ſanguinis profluuiis, vulneribus ſclopeto inflictis, contuſionibus, luxationibus, anchyloſi egregiam opem praeſtant.

Tinctura ferri acetata, Tinctura martis Radcliffii, Tinctura martis acetoſa, Acetas ferri, nonnullis (Pharmacop. Wirtemberg. p. 209.), ſi

praeterea accedat ſpiritus cydoniorum *Tinctura martis adſtringens*, ex ſcobe aut aethiope martiali, aut ea ferri calce, quae per cineres clauellatos ex facta per aquam vitrioli viridis ſolutione praecipitata fuit (DE MORVEAU elemens de chymie pour l'académie de Dijon. Vol. III. cap. X.) et aceto vini vel communi, vel per artem, quod vocant, concentrato (DE MORVEAU et VEIRAC ll. cc.) coloris fuſci, ſapore pauliſper atramentoſo, colore atro, quem ab infuſa cum gallis decocta aqua, ſedimento caeruleo, quod ab inſtillato ſanguinis lixiuio dimittit, aliis martis tincturis ſimilis, virtute roborante, vermibus adverſa (BOERHAAVE elem. chem. Vol. II p. 447.), rhachiticis ſalutari (VEIRAC l. c.), reliquis (DE MORVEAU l. c.) forte ſuperior: Exhibetur autem ad guttas centum et vltra vel ſaccharo ſyrupoue edulcata, vel vino alioue grato liquore temperata, vel poſtquam leni calore in extracti (*Extractum martis* Pharmac. rational. Caſſell. p. 169.) ſpeciem redacta fuit, pondere granorum octo ad viginti vsque pilularum forma.

Tinctura martis cydoniata, ſuccus cydoniorum depuratus ferro ſoluto grauidus (I. A. WEDEL progr. 1. et 2. de tincturam martis cydoniatam parandi et conſeruandi modo optimo. 4. Ien. 1740. et 1741.), et aqua cinnamomi ſpirituoſa temperatus, reliquis, ſi ſaporis rationem habeas, martis tincturis gratior, rarius tamen hodie, hinc inde ventriculi roborandi aut ſanguinis ex vtero puerperarum profluentis ſiſtendi (B. FR. OSIANDER l. c. p. 368.), gratia cochlearis parui vel conſueti, etiam duorum menſura, vino vel aqua temperata, vel poſtquam

calore

calore leni in extracti (*Extractum martis cydoniatum*) ſpeciem redacta fuit, cum extractis amaris pilularum forma exhibita.

Tinctura martis pomata, ex ferro in ſucco pomorum expreſſo ac depurato et aqua cinnamomi ſpirituoſa progenerata, cydoniatae, ſi virium rationem habeas, etiam in ſanguine ſiſtendo (OSIANDER l. m. c.) ſimilis, ſapore inferior; olim quoque interdum extracti (*Extractum martis pomatum*) ſpecie vſitata.

Tinctura martis cum vino maluatico et pomis aurantiis, grata vtique, partes ex quibus componitur, iam in fronte gerens, ferri certe parum continens, vt potiorem ſane efficaciae partem reliquis debeat, a quibus denominatur, ventriculum atque inteſtina roborandi ergo a drachma media ad ſcrupulos duos propinata.

Tinctura martis, *Tinctura martis Londinenſium*, *Tinctura martis in ſpiritu ſalis*, ſolutio ferri per ſpiritum ſalis communis dulcem peracta, coloris aurei, inter tincturas ferri in officinis adhuc obuias ferro ditiſſima, quum mineralia, quae vocant acida, maiorem eius copiam diſſoluant, et inter haec ſalis communis acidum firmius teneat diſſolutum ferrum.

Tinctura neruina Beſtuchef, *Tinctura neruino-tonica flaua*, *Guttae aureae Lamottii*, *Liquor neruinus albus*, *Liquor anodinus martiatus*, olim inter arcana remedia relata, cuius compoſitio noſtris demum temporibus munificentia Auguſtiſſimae

ſimae Ruſſorum Imperatricis innotuit, non niſi aether vitrioli ſalem ex connubio ferri cum ſalis communis acido progeneratum in ſe continens, et depurato vini ſpiritu temperatus, coloris nitide aurei, ſi ſolis radiis exponatur, penitus euaneſcentis, in vmbra redeuntis, ab infuſo ſanguinis lixiuio ſedimentum caeruleum dimittens, et virtute roborante, quemadmodum reliquae martis tincturae gaudens, efficacitate in neruos has forte ſuperans.

Tinctura martis vinoſa, *Vinum chalybeatum*, *Vinum martiale*, iam Arabibus medicis, RHAZES (l. c. l. IX. c. LXIII p. 247.) et AVICENNA (l. c. L II. c. 688. p. 311 ſqq.) dictum, ab ANGELO SALA (Septem planetarum terreſtrium ſpagyrica recenſ. Oper. p. 202.), TH. SYDENHAMO (l. c.) et BOERHAAVIO (Elem. Chem. II. p. 446.) inter principes ex ferro paratas medicinas relatum, et ad vires exhauſtas reſtaurandas, tonum fibrarum in chloroticis et rhachiticis reſtituendum maximopere commendatum, ſaporis paulisper dulcis et auſteri, niſi eius emendandi gratia aromata aut ſaccharum, cum quo etiam (TH. SYDENHAM l. c.) in ſyrupi ſpeciem redigi poteſt, aut virtutis roborantis adaugendae ergo radix gentianae aut alia amara adiecta fuerint, coloris parum grati, niſi coccinellae aliquid vino additum ſit. Paratur autem, vinum potiſſimum germanicum paulo generoſius, quod ſuo acore potentius in ferrum agit, et maiorem eius copiam diſſoluit, ſcobi ferri infundendo, vas, cui commiſſum fuit, obturando, et ſeptimanis aliquot elapſis defundendo. Porrigitur, vtplurimum per aliquot hebdomades continuas, drachmae et adeo mediae vnciae pondere.

Serum

Serum lactis chalybeatum, ſerum lactis conſueta ratione p..atum, in quo candens ferrum extinctum fuit, roborantem ferri virtutem cum attenuante ſeri coniunctam poſſidens.

7. *Cuprum*, *Aes*, *Venus*, ipſa, qua in terrae viſceribus occurrit, frequentia, crebro ferri connubio, et, multis aliis dotibus, tenacitate et duritie, pondere ſpecifico, difficiliori in igne fluxu, multiplici colorum, quibus, ſi ignem, antequam candeat, experiatur, in ſuperficie ludit, varietate, facili ſiue ignis violentiae, ſiue aëris contactui, ſiue ſalium exponatur, nitoris metallici iactura, facili denique in ſalibus acidis aliisque, et ipſis oleis, prae reliquis metallis ad ferrum propius accedit; at multis quoque notis diſcrepat, rubedine ſui generis conſpicuum, in aëre tardius, quam ferrum rubiginem, aeruginem contrahens ex caeruleo viridem, ſi fricetur, odorem diſtinctum ſui generis emittens, tenacitate ferro cuſo bonae notae inferius, neque vlla arte chalybis duritiem nanciſcens, pondere ſpecifico (=77880 — 88785 : 10000 BRISSON l. c.) ferrum ſuperans, magnetis imperium reſpuens, ſi ignis violentiae exponatur, flammulam viridem eructans, et viuacioribus longe, antequam excandeſcit, quam ferrum, coloribus ludens, leniori tamen eius gradu liqueſcens, in eo autem ſtatu liquido aquam violentiſſime, vehementius, quam quaeuis alia metalla eadem in conditione conſtituta, repellens, continuato ignis effectu aërisque contactu in calcem ex caeruleo atram, et auctiori igne in ſcoriam

riam rubram abiens, corporibus, praeſertim fluidis, quibus ſoluitur, arctius nubens, illis saporem ſui generis nauſeoſum, et tinctum amoenum, modo ad caeruleum, modo ad viridem propius accedentem, impertiens, cum ſalibus facile in cryſtallos abiens, tum aqua tum vini ſpiritu facile iterum diſſoluendas, et flammae, qua poſterior ardet, colorem non raro in egregie viridem commutantes, ex acidis per alcalia et terras calcis dilute viridis, per ſanguinis lixiuium ſedimenti profunde rubri, per zincum, ſtannum, ferrum cupri metallici ſpecie praecipitandum, ſpiritu quoque ſalis ammoniaci ſimplici facile ſoluendum, cui colorem ſuauiſſime caeruleum conciliat.

Verum princeps nota, qua cuprum a ferro diſtat, nititur ea, quam in corpus animale exercet, efficacia. Cuprum enim, quacunque forma deglutitum, millenas excitat turbas, in digeſtionis negotio potiſſimum conſpicuas, et haud raro morte (in canibus et cuniculis G. C. HILLEFELD experimenta quaedam circa venena. Goetting. 1760. 4. p. 47.) in hominibus (RHODIVS Act. Acad. Caeſ. Nat. Curioſ. Cent. III. obſ. 95. FR. HOFFMANN medicin. rational. ſyſtemat. T. II. p. 290. I. I. SCHEVCHZER it. alpin. I. London. 1708. p. 10. I. R. ZWINGER Act. Heluetic. 4. Baſil. 1762. p. 252. 254-256. MISSA apud VANDERMONDE recueil periodique d'obſervations etc. à Paris. Vol. II. 1755. p. 149. FABAS gazette ſalutaire. 1762. n. 30. PERCIVAL medical transactions. Lond. 8. Vol. III. 1785. n. 9. RAHN Gazette de ſanté *oder gemeinnütziges mediciniſch. Magazin.* Zürich. 8. Iahrg. I.

1782.

1782. faſc. 6. p. 701. PYL *Aufſätze und Beobachtungen aus der gerichtlichen Arzneywiſſenſchaft.* Berlin. 8. Samml. VIII. 1793. n. II. *Mediciniſche Ephemeriden.* Chemniz. 1793. 8. p. 58.), rarius (ZWINGER (l. m. c.), ſaporem tetrum aeruginoſum vix ex ore et lingua delendum, defectum omnis cibi appetitus, nauſeam, niſus vomendi, pectoris oppreſſiones horrendas, vomitus enormes, dolores atrociſſimos, modo ad ardoris, modo ad punctionis ſenſationem propius accedentes, colicos, regionem epigaſtricam, aut cartilaginis enſiformis, nunc abdomen, nunc pectus, nunc caput praeſertim afficientes, modo continuos, modo remittentes, modo fixos, modo vagos, vertiginem, alui profluuia, nonnunquam cruenta, rarius obſtipationem pertinacem, aliquando perpetuam animi agitationem, ad agrypniam vsque, ne doloribus quidem ceſſantibus deſinentem, auctam, deliria, animi deliquia, faciei pallorem, pulſum debilem paruum, alia virium labentium ſigna, alias conuulſiones, alias paralyſes, hemiplegiam, apoplexiam, rarius exanthemata, et ea quidem interdum leprae aemula.

Numeroſa haec malorum, cupro deglutito ſuam originem debentium, caterua medico potius id officii iniungit, vt caueat, ne vlla occaſione cuprum funeſta ſua vi noceat, quod quidem tanto facilius contingit, quum ſolui tam facile liquoribus omnis fere generis poſſit: Offert vero cuprum, perinde ac varia metalla ex eius cum zinco et ſtanno connubio progenita, conſuetam et aptam cetera vaſis materiam, in quibus alia atque alia tum medicamenta, tum

tum alimenta et potulenta parantur, coquuntur, aſſeruantur, non raro inde cupri nunc ſapore, nunc colore, quem aliquando laete viridem hiſce corporibus conciliat, manifeſti, labe infecta, vt ſatis copioſa habeantur exempla ſuccorum, vti quidem audiunt, inſpiſſatorum atque extractorum (WESTRVMB *neueſte Entdeckungen in der Chemie*. Vol. V. p. 92. EHRHART ap. BALDINGER *Neues Magazin für Aerzte*. II. 2. IV. 4. p. 314.), ſyruporum e. gr. ſyrupi rhamni cathartici (SCHVLZE Mors in olla. Altdorf. 1732. p. 11. §. 11.), linctuum (PARMENTIER recreations phyſiques, economiques et chymiques. à Paris. 12. Vol. 2. p. 282.), emulſionum (Miſcellanea Acad. Caeſar. Natur. Curioſor. Dec. II. Ann. IX. obſ. 11. HOCHSTETTER de noxiis quibusdam circa medicamenta officinalia. 4. Ien. 1738.), aquarum diſtillatarum (New diſpenſatory. p. 573. TACHENIVS Hippocrat. chymicus. p. 152.), oleorum aethereorum e. g. olei Cayeput (BINDHEIM *neueſte Entdeckung. in der Chemie*. Vol. III. p. 81. 82.), ſpirituum ardentium (ANGEL. SALA hydrelaeolog. Sect. I. C. 6. Oper. p. 60. 61. W. G. PLOUCQUET *Warnung an das Publicum für einem in manchen Brandeweinen enthaltenen Gifte, ſamt den Mitteln es zu entdecken und auszuſcheiden*. Tübing. 1780. 8. A. FOTHERGILL letters and papers ſelected from the correſpondence book of the ſociety inſtituted at Bath. Bath. 8. Vol. V. 1790. p. 400.), ſalium (MAUCHART Ephemerid. Acad. Caeſar. Natur. Curioſor. Cent. I. obſ. 13.), praeſertim cremoris tartari (EHRHART l. m. c. Vol. IV. faſc. 4. p. 313.), aliorumque pharmacorum (HARTLEY ap. LOBB treatiſe on diſſolvents of the ſtone and on curing the

ſtone

ſtone and the gout by aliments. Lond. 1739. app. p. 6. HOCHSTETTER l. c. A. FOTHERGILL l. c. p. 393. 394. 401 ſq.), theae (A. FOTHERGILL l. c. p. 406.), aquae communis (SCHVLZE l. c. p. 810.), diu in vaſis aeneis apertis aſſeruatae, aut per tecta cuprea delabentis (A. FOTHERGILL l. c. p. 394. 402. 403.), potuum calidorum (Gazette ſalutaire 1762. n. 43. ZÜCKERT *von Nahrungsmitteln.* p. 124.), lactis (I. I. SCHEVCHZER l. c. p. 13. THOMASIVS ap. SCHVLZE l. c. §. XVII. p. 26. FABAS l. c. FALCONET obſervations and experiments on the poiſon of copper. London. 1724. THIERY quaeſt. med. an ab omni re cibaria vaſa aenea prorſus ableganda. Paris. 1749. HUEBER de aenea culinari ſupellectili. Argentor. 1766. p. 17.), caſei (MAUCHART et THIERY ll. cc. WEIGEL apud PYL *neues Magazin für die gerichtliche Arzneykunde und mediciniſche Polizey.* Stendal. 8. Vol. I. 1785. faſc. 1. art. 1. et WILLICH ibid. faſc. 4. art. 4. *Mediciniſche Ephemeriden.* p. 58.), butyri (FALCONET et SCHEVCHZER ll. cc. HUEBER l. c. p. 13.), oleorum (FALCONET l. c. THIERY l. c. §. III. PARMENTIER l. c. p. 283.), aliorum atque aliorum ſuccorum vegetabilium (HUEBER l. c. p. 13. 15. CHPH. FR. W. BVSCH de noxis ex incauto vaſorum aeneorum vſu profluentibus. Goetting. 1790. 8.), vini (MAUCHART et RAHN ll. cc. HORSTIVS comment. ad LEMNII libr. de occultis naturae miraculis. SPLEISSIVS ap. I. H. HEVCHER Mithridates. §. XXIV. Oper. edit. cur. CHRN. FR. HAENEL. Lipſ. 4. T. I. 1745. p. 427. HUEBER l. c. p. 12. STRACK journal de medecine, chirurgie etc. T. XXIV. 1766. Febr. p. 149. A. FOTHERGILL l. c. p. 399. 400.), cereuiſiae (A. FOTHERGILL

l. m. c), aceti (THIERY l. c. A. FOTHERGILL l. m. c.), acetariorum (MAUCHART l. c. THIERY obſervations de phyſique et de medecine. Vol. I. p. 98.), et variorum aceto conditorum, phaſeolorum (Journal de medecine, chirurgie etc. T. XXIV. 1766 Febr. p. 150. TONDI iſtituzioni di chimica. Napoli. 1786. 8. p. 162. NAVIER contrepoiſons de l'arſenic, du ſublimé corroſif, du verd de gris et du plomb. à Paris. 8. 1777. T. 2. STRACK l. c. p. 150.), cucumerum (FALCONET l. c. SCHVLZE l. c. §. 10. p. 11. *Götting. Anzeig. von gel. Sachen.* Zugab. 1776. p. LXXXVIII.), capparidum (DARLUC hiſtoir. natur. de Provenc. Vol. III. 1786. p. 10.), foliorum crithmi maritimi (PERCIVAL medic. transact. by the College of phyſicians at London. London. 8. Vol. III. 1785. art. 9.), piſcium et carnium (HUEBER l. c. p. 15.), porro iuſculorum (PERCIVAL l. m. c.), ouorum cum acetoſa et butyro (SCHEVCHZER l. m. c.), ciborum cum vino (ZWINGER l. c. p. 288.), aut lacte (HUEBER l. c. p. 12. 15.) coctorum, ex carnibus (MISSA l. c. p. 149. STRACK l. c. p. 150. HUEBER l. c. p. 13. PARMENTIER l. c. II. p. 283. *Frankfurt. Reichspoſtzeit.* 1776. d. 7. Dec. *Mediciniſch. Ephemerid.* l. c.), piſcibus (RHODIVS, RAHN ll. cc. MISSA l. c. p. 148. CRATO A KRAFTHEIM conſil. et epiſtolar. medicinalium. T. I. 1654. conſ. 7. p. 73.), leguminibus (RHODIVS l. c. DAVIDSON medical facts and obſervations. London. 8. Vol. III. 1792. p. 59 ſq.), oryza (RHODIVS l. m. c.) paratorum, aliorum (BOVIUS flagello contro dei medici communi detti rationali. Venez. 1583. 4. LANZONI Ephemer. Acad. Caeſar. Natur. Curioſor. Dec. III. ann. 7. obſ. 102. VALISNIERI ibid. Cent. I. p. 62.

p. 61. A. FOTHERGILL l. m. c. p. 395 ſq.), in nauibus praeſertim obuiorum (Gazette ſalutaire. 1762. n. 43. FORSTER voyages round the world. 4. Lond. Vol. I. 1777. p. 175. I. TRAVIS medical obſervat. and inquir. by a Societ. of phyſic. at London. Vol. II. p. 1 ſq.), pharmacopoeorum (BLIZARD experiments and obſervations on the danger of copper and Bellmetal in pharmaceutical and chemical preparations. Lond. 1786. 8.), aliorum artificum, coquorum, vaſis atque inſtrumentis cupreis aut aurichalceis, non raro aerugine iam infectis vtentium, incuria veneni crimine notatorum, adeo vt poſtremo dictus medicus haud vereatur, principem ſcorbuti nautis tantopere funeſti cauſſam in incauto hoc cupri vſu ponere.

Quibus indubiis cupri corpus humanum ingreſſi effectibus permoti non medici tantum aut valde circumſpectum et limitatum (v. HEYER apud I. C. PH. ELWERT l. c. p. 126 ſq.) modo cupri et aurichalci in pharmacopoliis vſum permiſere, ſummam munditiem, aeruginis, facilius longe, quam politum cuprum humores omnis fere generis ſubeuntis, originem arcentem, aut, vt noxas praeuertant, ab aere diſſoluto imminentes, vt interna iſtiusmodi vaſorum ſuperficies vernice (BINDHEIM *Chemiſch. Annal.* 1784. Vol. II. p. 5 ſqq.), vitro (RINMAN *neueſte Entdeckung. in der Chemie.* Vol. VII. p. 137.), zinco (MALOUIN Mémoir. de l'Académ. des ſcienc. à Paris. ad ann. 1742. p. 100.), aut ſtanni puriſſimi, aut metalli cuiusdam nobilis cruſta ſolito craſſiori obducatur, imperarunt, aut omnem plane in pharmacopoliis

AMBR. PAREVS Oper. p. 746. A. FOTHERGILL l. c. p. 400 ſq.), culinis et cellis (THIERY quaeſt. med. etc. A. FOTHERGILL l. c. p. 394-400. 405.), officinis lactariis (A. FOTHERGILL l. c. p. 394. 405. HAYES ibid. Vol. IV. 1788. p. 186 ſq.), iisque, in quibus cereuiſia (A. FOTHERGILL l. c. p. 404.), vini ſpiritus, aquae et olea diſtillata (IDEM l. m. c.), acetum, ſaccharata, ſal commune, cremor tartari parantur (Serious reflexions on the manifold dangers attending the uſe of copper veſſels and other utenſils of copper and braſs in the preparation of all ſuch ſolids and liquors, as are deſigned to food the human bodies. Monthly Review. Vol. XII. p. 148 ſq.) eorum vſum interdixerunt, ſed ſummi quoque magiſtratus, quibus ciuium ſalus curae cordique eſt, mandatis publicis his medicorum monitis robur addiderunt (e. gr. 1753 ſenatus ſupremus Sueciae A. FOTHERGILL l. c. p. 410. nuperius ſummus Pomeraniae magiſtratus CHR. EHR. WEIGEL *Magazin für Freunde der Naturlehre und Naturgeſchichte, Scheidekunſt, Land- und Stadtwirthſchaft, Volks- und Staatsarzney.* Berlin, Stralſ. u. Greifsw. 8. Vol. I. 1794. faſc. 1. art. VII. p. 60 ſq.), Collegium medicorum Londinenſium (pharmacopoea Londinenſis for 1788.).

Neque ſane adeo difficile eſt, tum ex prauis illis, quos vtplurimum ſatis cito producunt, enarratis effectibus, tum ex aliis alimentorum aut medicamentorum ingeſtorum notis, ſapore, colore, labem iſtam veneream augurari, in iis, quae magis volatilis ſunt indolis, quemadmodum olea aetherea, diſtillationis ope, qua leni calore peracta, cuprum remanet, et liquor cum cupro omnis coloris expers

tranſit,

tranſit, tum manifeſtandam tum eluendam; alia, ſiue ſolida, modo prius in puluerem contuſa, ſiue fluida, modo non obſcuriori colore infecta, ſpiritui ſalis ammoniaci ſuperinfuſo tinctum caeruleum impertiendo vitium iſtud produnt; alia ſiue meraca, ſiue, niſi ſint ipſa acida, acido quodam v. g. tartari addito (BINDHEIM l. c. Vol. III. p. 81.), zincum vel ferrum politum immiſſum cortice cupri rubro obducendo cuprum inhaeſiſſe demonſtrant.

In aegrotis cupri veneno mulctatis vix opus eſt emeticis, quibus ex ventriculo eliminari, antequam vlterius progrediatur, poſſit, quum vtplurimum vomitus enormes iam cieat (quod ſi non fiat, vitrioli albi ſcrupulus aqua ſolutus conducit), niſi velis, ingenti potuum tepidorum copia ingurgigata ſalutarem iſtum naturae medicatricis conatum juuari eximie poſſe; efficacius acre hoc venenum mitigant butyrum, olea vnguinoſa (THIERY obſerv. de phyſique etc. l. c. JEANROI memoir. de la Societé de medecine à Paris. ad ann. 1777. et 1778.), mel, potus mucilaginoſi (JEANROI l. c.), et niſi acidum cupro adhaerens obſtet, lac et puls lactea. Si ſuſpicio adſit, non omne venenum per vomitum eſſe eiectum, lixiuium ex cineribus ligni paratum valde dilutum, aut ex vncia media cinerum clauellatorum et ſex libris aquae tepidae paratum, cuius ſingulis horis dimidiis libra, vel libra vna cum dimidia, aut cum cochleari paruo magneſiae vſtae deglutituenda, aut ano iniicienda praecipitur, et niſi haec omne malum auferant, hepar ſulphuris cum lacte et mucilaginibus medicationem perficiet (A. FOTHERGILL l. c. p. 415. 416.).

Quum igitur medici potius videatur, inuigilare, quo minus improuido vſu interno noceat cuprum, plurimi ſane medici (v. inter alios ANGELVM SALAM ſynopſ. aphoriſm. chymic. Sect. II. Aph. XXXVII. Oper. p. 261.. A. FOTHERGILL l. c. p. 417.) ab eo abhorruerunt, alii vix externum admittentes: Nec defuere tamen audaciores, qui in hoc nequaquam acquieſcentes cuprum varia forma indutum debita cum circumſpectione in difficilioribus caſibus interne quoque adhibuerunt, perſuaſi, atrociſſimam etiam veneni virulentiam, cauto et tempeſtiuo vſu, aut idoneis additamentis cicuratam, conuerti in ſalutarem efficaciam poſſe.

A. *Formae cupri natiuae.*

Malachites, Cupri calx natiua acido aëreo foeta, laete viridis, quem tamen colorem ab inſtillato ſalis armoniaci ſpiritu in amoene caeruleum commutat, indurata atque elegantem politura nitorem adipiſcens, hinc olim inter gemmas recenſita, ſuperſtitioſo veterum medicorum vſu celebris, qui in cordis formam exſculpta et amuleti inſtar de collo ſuſpenſa infantes contra epilepſiam aliosque terroris effectus praemuniri ſibi perſuadebant.

Chryſocolla, *Viride aeris natiuum*, Calx cupri natiua viridis mollior, acida, quibus ſoluitur, viridi, ſpiritum ſalis ammoniaci nitide caeruleo tinctu perfundens, DIOSCORIDI (l. c. L. V. c. LIV.) inter medicamenta carni luxurianti exedendae atque vlceribus purgandis idonea recenſita.

Caeru-

Caeruleum montanum, cu pri calxnatiua caerulea, ſpiritu ſalis armoniaci perinde ac acidis ſoluenda, ab his viridem tinctum adipiſcens, inter erodentia pharmaca a DIOSCORIDE (l. m. c. c. LVI.) relata.

Lapis armenus, vtplurimum calcarius cupri calce perfuſus, et caeruleo colore tinctus, qui tamen ab acidis adfuſis in viridem tranſit: DIOSCORIDI (l. m. c. c. LV.) ad externum tantummodo, prouti chryſocolla, vſum commendatus, aliis intus quoque adhibitus, vomitum ciens, hodie iure ſuo obſoletus.

B. *Formae cupri factitiae.*

Scobs cupri, Limatura cupri: Eo remedio, aluum, vrinam et ſaliuam mouente, iam a KOENIGIO (apud C. NEVMANN chymia medic. Züllich. 4. Ed. alt. T. II. 1756. p. 678.) et aliis (v. C. FR. STRVVE de rabiei caninae therapia. Lipſ. 1774. §. 17. p. 21. commendata, ante ſex a vulnere inflicto horas praeterlapſas cum pane butyro oblito deglutito, et per tres continuos dies ieiuno adhuc ventriculo repetito, quatuordecim homines a cane rabido demorſos contra hydrophobiam praemuniuit, duos iam hydrophobos ſeruauit COTHENIVS (apud LOESECKE l. c. p. 350.): Inſignem quoque huius ſcobis ad duo grana per ſingulos dies ſumti efficaciam in malignis ad oſſa vsque progredientibus, canum et hominum, ipſis haec arrodentibus venereis vlceribus vidiſſe ſe teſtatur LIEB (apud BALDINGER *neues Magazin für Aerzte.* Vol. VII. 1785. faſc. 7. p. 547 ſq.): Cum ſtanni ſcobe mixtam demorſis ab animali rabido commendant alii (v. C. FR. STRVVE l. m. c.).

Limatura aurichalci nonnullis pariter ad hydrophobiam arcendam aeque ac ſanandam praedicata (C. FR. STRVVE l. m. c.).

Fuligo de cupreo aheno deraſa multorum in eodem triſtiſſimo caſu ſacra anchora (C. FR. STRVVE l. m. c.).

Flos aeris, cuprum repentino in vſtrinis refrigerio capillorum quaſi ſpeciem nactum, a DIOSCORIDE (l. c. L. V. c. XLIII.) vſu tum externo, tum craſſos humores extrahendi ergo, ipſo interno commendatum.

Squama aeris a cupro candente, dum malleo percutitur, delabens, DIOSCORIDIS (l. m. c. cap. XLIV.) aeuo vſu tum externo, tum interno, aquam trahendi fine, apud medicos veniens.

Aes vſtum, ex cupro ſiue ſolo (*Crocus veneris*), ſiue addito ſulphure, ſale communi, alumine, aut pluribus ſimul, aut aceto, vſto natum, vtplurimum ex fuſco atrum, DIOSCORIDI (l. m. c. cap. XLII.) ad vlcera purganda, a carnibus luxuriantibus liberanda atque exſiccanda, ad oculorum vitia emendanda collaudatum, cardomomo iunctum et cum mulſa propinatum, interno vſu epilepticis commendatum, qui inde aut vomunt, quod pariter obſeruauit (l. m. c.) DIOSCORIDES, aut aluo laxantur, ab ARETAEO (de curatione morbor. acutor. L. I. c. 5. Oper. edit. BOERHAAV. Lugd. Bat. 1735. fol. p. 84.).

Sulphur cupri, puluis ex viridi nigricans, cupri puluerem per ferri laminam ex acido praecipitatum cum quatuor argenti viui partibus in mortario vitreo niter

leniter calefacto terendo, in phiala parua per menſis ſpatium leni (100° thermometri Fahrenheitiani) calori exponendo, et cum aqua pluuia triturando ex hac ſecedens, a I. B. PASQUALLATI (diſſ. de epilepſia. Vindob. 1766. 8.) interno vſu in epilepſia ſuperanda multis laudibus exornatum, quas tamen nequaquam mereri in ſuis certe experimentis vidit (apud C. G. WEITZENBREYER l. c. §. IX. p. 36.) GREDING.

Aes viride, Viride aeris, Aerugo raſilis, Cuprum per acidum vinaceorum aceſcentium, cum quibus per ſtrata per aliquod temporis ſpatium diſpoſitum erat (MONTET Memoir. de l'Acad. des ſcienc. à Paris. ad ann. 1750. 1753. 1776.) in aeruginem, partim ſalinae indolis, in meridionali praeſertim Gallia corroſum, acinis hinc vuarum et racemorum reliquiis non raro impurum, fragile, laete viride, aquae, qua partim ſoluitur, et acidis, quae ſubit, eundem, ſpiritui ſalis ammoniaci, qui eandem in illud vim exercet, elegantiſſime caeruleum colorem impertiens, ſapore acri aeruginoſo, praeeunte DIOSCORIDE (l. c. C. XLV.), apud medicos externo tantum vſu valuit, ad mundanda vlcera, exedendas excreſcentias potiſſimum, alia atque alia forma, peculiari vtplurimum nomine inſignita, adhibitum.

Nuperius tamen Cl. LIEB (l. c.) eandem aeruginem non extrinſecus ſolum cum eſſentia myrrhae aut melle roſarum ſubactam in fiſtulis et aphthis, ſed intus quoque, hauſtibus ſanguinem depurantibus iunctam, tum in vlceribus malignis ad oſſa vsque ſerpentibus, ipſis venereis oſſa infeſtantibus, tum per tres dies continuos ſiue meracam, ſiue cum

turbith minerali combinatam in pecoribus et hominibus a canibus et lupis rabidis morſis, trium ad ſex granorum pondere optimo cum ſucceſſi deglutiendam ſe praecepiſſe, teſtatur. Pilulas quoque, aeruginem recipientes, arcano tamen modo compoſitas, deglutiendas cancro GERBIER (Journal de medecine, chirurgie, pharmacie. 1780. T. LIII. Jun.) et aliud eandem recipiens arcanum medicamen cancro mammarum potiſſimum oppoſuit medicus Pariſienſis GAMET (FISCHER ap. RICHTER *chir. Bibliothek.* Vol. VIII p. 74.), valde inaequali (RAMILLARS journal de medecine etc. l. m. c.) et fugaci (FISCHER l. m. c.) effectu vterque.

Vnguentum aegyptiacum Veteribus, melius recentioribus *Oxymel aeruginis*, ex aerugine cum melle et aceto ad vnguenti rubicundi ſpiſſitudinem cocta natum, L. HEISTERO (Inſtit. chirurg. I. p. 19. 309. 373 ſq.) in abſtergendis vulnerum vlcerumque ſordibus, erodendis callis et carnibus luxuriantibus commendatiſſimum, oſſibus tamen infenſum, quae ab eius contactu arceri ſollicite debent, aliis etiam in oris interni et gingiuarum vlceribus vſitatum, quibus penicilli ope illinitur.

Vnguentum apoſtolorum (Pharmacop. Wirtemb. p. 221.) colorem viridem, aeque ac efficaciae ſuae partem viridi aeris acceptam refert, cum lithargyrio, oleo, cera, terebinthina, reſina, gummireſinis et ariſtolochia in vnguentum redacto. In mundandis vlceribus frequentis olim vſus.

Balſamum viride (New diſpenſatory. p. 645.) a nonnullis *Metenſium* cognomine inſignitum, eidem

viridi

viridi aeris cum terebinthinae et ſeminum lini oleo cocto colorem et vim detergentem in vlceribus ſanandis vtilem (I. V. BILGVER *Anweiſung zur ausübenden Wundarzneyk. im Feldlazareth.* Leipz. 1763. §. 91.) debet.

Vnguentum ſibiricum, incolis vrbis Vdinſk (I. G. GMELIN *Reiſe durch Sibirien.* Goetting. 8. P. II. 1752. p. 146.) in ſananda panaritii quadam ſpecie vulgatum, praeter alumen, vitriolum caeruleum et mercurium ſublimatum corroſiuum aeruginem quoque recipit cum reſina vulgari et axungia porci in vnguentum redactam.

Cera viridis colorem et partem virtutis in emolliendis, vel potius erodendis verrucis pedumque clauis efficacis (I. Z. PLATNER inſtit. chirurg. §. 891.) viridi aeris debet, quod cum cera flaua, reſina pini et terebinthina veneta ſubigitur: Ad hanc multum accedit emplaſtrum, quo linteo illito et per quatuordecim dies impoſito clauos pedum ſaepiſſime exſtirpatos eſſe teſtatur ROUGERES (Journal de medecine, chirurgie, pharmacie etc. T. XL. 1773. Dec.). Componitur ſcilicet illud ex viridi aeris cum cera flaua et gummi ammoniaco ſubacto.

Aes viride diſtillatum, *Aes viride cryſtalliſatum*, *Flores viridis aeris*, *Cuprum acetatum*, *Acetas cupri*, verum ſal, quod totum aqua perinde ac ſpiritu vini diſſoluitur, et vtrique colorem viridem, ſalis autem ammoniaci ſpiritui tinctum caeruleum impertiens, igne violentiori tortum acidum ſuum, conſtat enim ex aceto et cupri calce, et

paratur

paratur ex viridi aeris per illud ſoluto, et in cryſtallorum formam redacto, dimittens, et puluerem ex fuſco atrum relinquens, his iam notis, colore obſcurius viridi, acrimonia maiori a viridi aeris vulgari diſtinctum, aqua ſolutum virtute arrodente chirurgis commendatum; penicilli ope bis quotidie oculo illinendam iubet in pannis oculorum hanc eandem ſolutionem BELL (ſyſtem of ſurgery. Vol. III. 1785.); in vlceris cancroſi ſanatione ad finem perducenda eius vna cum mercurio ſublimato corroſiuo aqua ſoluti vſum externum feliciter tentauit LA CHAPELLE (apud DESAULT journal de chirurgie. T. I. 1791.), grana ſex ad decem menſura iactis ſoluta ad venenum narcoticum ex ventriculo eiiciendum deglutienda propoſuit SCHEFFERVS (*chemiſche Vorleſungen.* Greifswald. 1779. 8. §. 126.).

Magiſterium cupri (ANGELVS SALA ſynopſ. aphoriſm. chymiatr. aph. XXXVIII. Oper. p. 262.) haud multum a cryſtallis viridis aeris videtur diſtare, ob mundificantem vlcera facultatem ANGELI SALAE laudes promeritum.

Spiritus aeruginis, *Acetum eſurinum*, *Acetum radicale*, ſi quidem rite et circumſpecte per diſtillationem ex cryſtallis viridis aeris paretur, nihil aeruginis continet, acrimonia tamen per ſaporem et odorem ſe manifeſtante alia aceti genera ſuperat, vt tanquam odoramentum ad reſuſcitandos animi deliquio laborantes efficacius profecto agat. V. Vol. I. Ed. alt. p. 463.

Aqua viridis ab HARTMANNO (Oper. medico-chymic. Francof. 1684. fol. T. I. p. 29.) vulgo dicta,

dicta, quamuis iam a F. PLATERO, ampliori vtique ingredientium copia locupletata, adhibita, viride aeris hoc quoque recipit, quod breuiori et meliori ſane formula cum aequali aluminis vſti, dupla mellis portione, et 32 vini albi partibus permiſcetur, in purgandis narium et oris interni, etiam foetidiſſimis, tum ſcorbuticis, tum venereis vlceribus celebris, quibus paululum calefacta vel penicilli, vel ſtupae aut goſſypii auxilio adplicatur (KLEIN ſelect. rat. med. Francof. et Lipſ. 1765. 8. p. 18.); in mundandis ab vlceribus ſordidis ſerpentibus digitorum vnguibus etiam efficax (E. G. BALDINGER *neues Magazin für Aerzte*. Vol. III. faſc. 1. p. 26.).

Tinctura cupri alcalina, ſolutio cupri acris nitidiſſime caerulea per ſpiritum ſalis ammoniaci peracta, odoris penetrantis, cum acidis efferueſcens, ab iis inſtillatis turbata, et a largius infuſis colorem caeruleum cum pallido viridi commutans, ſiue cum ſcobe cupri (H. BOERHAAVE elem. chem. T. II. proc. 192.), ſiue cum aerugine (HECKER *von den veneriſchen Krankheiten*. Erfurt. 1791. 8. LIEB l. c.) parata, tum externo vſu commendata, ad cancros venereos exſtirpandos (HECKER l. m. c.), ſiue naribus attrahatur, ſiue goſſypio aut linteo carpto excepta denti dolenti admoueatur, ad dolores dentium tollendos (apud WEITZENBREYER l. c. p. 24.), tum interno per longum temporis ſpatium continuato, guttarum trium ad viginti quatuor vsque menſura cum mulſa aut alio potu ſorbta, in pertinaciſſima (LIEB l. c.) epilepſia, et (BOERHAAVE l. m. c.) hydrope, vt tamen, etſi in vno aegroto largiſſimum

lotii profluuium excitaſſet, in aliis omni effectu caruiſſe candidiſſimus Vir fateatur.

Parum ab hac tinctura diſcrepant plures *tincturae lunae* Veteribus dictae, tinctu caeruleo conſpicuae, quem cupro argento fere ſemper inhaerenti debent, et probabiliter ipſa *tinctura martis caerulea Ettneri* (Pharmacop. Wirtemberg. p. 210.) colorem, quo ab aliis martis tincturis tantopere differt, cupro in ferri ſcobe deliteſcenti acceptum refert.

Neque multum abludit

Aqua ophthalmica ſapphirina, *Aqua ophthalmica caerulea*, ex aqua calcis, parca ſalis ammoniaci portione, et cupro, vel granulis aliquot cryſtallorum aeris viridis confecta, niſi velis aqua magis eſſe dilutam, in oculorum morbis, praeſertim inflammationibus, iis potiſſimum, quae poſt operationes in oculis peractas ſuperueniunt, praedicata, in ſicca tamen ophthalmia minus conueniens; in varicibus vaſorum albugineae diſſipandis efficacem expertus eſt DUSSAUSSOY (Journal de medecin. chirurg. pharmac. T. LXVIII. 1786. Sept.).

Tinctura aeris vinoſa ſmaragdi virore conſpicua, ex bracteolis aurichalci cum vino maluatico digeſti confecta, in oculorum maculis delendis, vlceribus malignis ſanandis, aliis malis tollendis externo vſu, ſi ANGELO SALAE (ſeptem planet. terreſtr. ſpagyric. recenſ. Oper. p. 211.) credas, potentiſſima.

8. *Wismuthum*, *Bismuthum*, *Marcaſita*, *Marcaſita argentea*, *Plumbum cinereum*, metallum

ſeriori-

ſerioribus demum temporibus cognitum, BASILIO tamen VALENTINO iam notum (*letztes Teſtament.* Strasburg. 1712. 8. p. 145. 146.), fragile, nitoris argentei, vt tamen color paulíſper in rubicundum vergat, et ſi aëri exponatur, variis iridis coloribus ludat ſuperficies, texturae lamelloſae, ponderis ſpecifici ſat inſignis (=98217:10000. BRISSON l. c.), facilime (460°) ignis vi fluens, dum fluit, fumans, et vehementiori, ſi vaſis clauſis torqueatur, in altum actum, apertis vaſis fumans, diutius vſtum in calcem abiens, quae partim auolat, partim fixior, ſi agitetur, flauicat et tandem rubrum colorem induit, violentiori autem igne in vitrum abit, plurima quoque alia metalla fixa ignobilium nomine indigitata ſecum in vitrum conuertens; acidis facile, facilime et efferveſcendo aqua forti ſoluitur, nullum iis tinctum, at maiorem longe acrimoniam impertiens, ex omnibus iam per aquam meracam, prouti per ſalia lixiuioſa ſpecie calcis lacteae, per ſanguinis lixiuium ſedimenti ochroleuci, per zincum et ferrum metalli nitentis ſpecie praecipitandum.

Wismuthum hoc, raro omnis arſenici, cobalti et argenti expers, in Bohemiae, Saxoniae, Sueuiae fodinis obuium, metallica hac forma nunquam adhibitum a medicis fuit; at

PRAEPARATVM.

Magiſterium wismuthi, *Magiſterium marcaſitae*, multis quoque *Album* hiſpanicum, *Album Candienſe*, et, additis tenerrime comminutis margaritis,

ritis, *Album perlarum*, calx wismuthi alba, per aquam, vtplurimum diſtillatam et vini ſpiritum ex aqua forti praecipitata, ſumma cum cura elota, et ſiccata, ſi cum carbonum puluere igni exponatur, in globulum metallicum wismuthi rediens, dudum inter coſmetica relatum, et tanto maioris aeſtimatum, quod albedo eius leuiſſime in rubedinem cuti humanae ſanae propriam inclinet, eo fine aut cum aqua quadam aut cum vnguento quodam odorato cutis partibus denudatis, ſiue pulcritudinis conſeruandae, ſiue ſi impetigine, aliisque eiusmodi vitiis (SCHRÖDER l. c. p. 447.), ipſa ſcabie (KERKSIG l. c.) defoedata ſit, reſtituendae ergo illitum, vt tamen poros cutis oppilando, continuo certe hoc etiam externo vſu et tranſpirationi obicem ponendo nocere, et quod crebro obſeruatum fuit, cutem corrumpere poſſit, ne dicam, minus ſollicita elotione id etiam euenire poſſe, vt pars acidi nitroſi acerrimi remaneat, quae ſua etiam acrimonia offendere poteſt: Ab eo ori immiſſo dentium dolores ſopitos vidit ODIER (*Götting. Anzeigen von gelehrten Sachen.* 1791. St. 48. p. 475.).

Ab vſu interno eiusdem magiſterii praecordiorum anxietates ingentes ſurrexiſſe, memorat iam POTT (de wismutho Obſeruat. Collect. I. Berol. 1739. 4.); in fauſto hoc effectu non deterriti auſi tamen ſunt medici, intus idem praeſcribere; contra morbos a nimia neruorum ſenſibilitate proficiſcentes potens in eo multoties deprehendit auxilium ODIER (Journal de medecine, chirurgie, pharmacie. T. LXVIII. Jul. 1786.), in ventriculi potiſſimum et

partium

partium cum eo proxime connexarum morbis (l. m. c.), iis praecipue, qui a nimia fibrarum eius carnoſarum irritabilitate pendent (ODIER *Götting. Anz. von gel. Sachen.* l. m. c.), etiam ſymptomatibus hyſtericis, colica, alui fluxu, turbis fluxus muliebris, cordis palpitatione, doloribus capitis ſtipatis (ODIER l. m. c. p. 474.), et maxime in gaſtrodynia (ll. cc.); in hoc etiam morbo, perinde ac in debilitate ventriculi in ſpaſmos proni, et in ipſo malo hyſterico efficax expertus eſt CARMINATI (Opuſc. therapeutic. Pav. 8. Vol. I. 1788. n. 2.); in doloribus ventriculi chronicis BONNAT (Journal de medecine, chirurgie, pharmacie. Vol. LXXIV. Januar. 1788.); dolorum, quos ſcirrhus pylorum obſidens excitauerat, atrociſſimorum inſigne crebro ab eius vſu lenimen comperit ODIER (*Gött. Anz. v. gel. Sach.* l. c. p. 475); in epilepſia tamen, aut conuulſionibus ſolum nihil effecit (ODIER l. m. c.), neque ſemper in ventriculi morbis cum viſcerum labe notabili aut aliis malis complicatis cum fructu adhibitum (ODIER l. m. c. p. 474): Eius vſu aluus alias obſtipatur, alias iuſto magis relaxatur.

Exhibetur autem pulueris ſpecie, vel (BONNAT l. c.) cum ſaccharo et mucilagine tragacanthae in trochiſcos redactum, grano vno vel duobus, ſenſim ſex (BONNAT l. c.), et niſi haec manifeſtum exſerant effectum, duodecim (ODIER l. c.), bis vel ter (CARMINATI l. c.), melius quater vel quinquies (ODIER et BONNAT ll. cc.) per diem deglutitis.

Calx wismuthi alba, per cineres clauellatos ex eius per aquam fortem peracta ſolutione praecipitata,

 pitata,

pitata, a nonnullis loco magiſterii praecipitur, a quo etiam parum diſtat; cum tamen non raro wismuthum cobalti particula contaminatum ſit, quae cum eo aqua forti ſolui, et per cineres clauellatos praecipitari poteſt, haec vtique niſi vitiare, alterare tamen poſſet exſpectatum a calce wismuthi effectum (ODIER *Gött. Anz. v. gel. Sachen.* l. c. p. 475.).

Calx wismuthi igne vſta, nec non alia ex wismutho parata medicamina maximopere laudantur a L. FR. IACOBI (Diſſert. de bismutho. Erfurt. 1697. 4. Cap. III. p. 20 ſq), quae tamen laudes cum ex genio ſaeculi et autoris principiis medicis ſomniis alchemicis potius nitantur, quam firmis argumentis et fida experientia, vix operae pretium eſt, eas vlterius enarrare.

9. *Argentum*, *Luna*, metallum candidum, nitoris eximii, ad aëris, niſi ſulphuris aut aquae fortis vaporibus aut gas hepatico inquinati, contactum conſtantis, ponderis ſpecifici ſat ingentis (= 104743 — 105107 : 10000 BRISSON l. c.), violentum ſatis (vltra 999°), vt liquetur, ignem poſtulans, eoque quamuis vehementiſſimo et diuturno, niſi alia addantur, neque in calcem, neque in vitrum, neque, ſi focum optimae lentis vſtoriae exceperis, in vaporem abiens, nitro ipſi, cum quo ignis violentia liquato, nequaquam detonat, et plumbi calcibus, cum quibus neutiquam in vitrum abit, reſiſtens, a ſulphure tamen, et ſulphuris, quod appellant, hepate per ignem liquefacto, ab hoc etiam ſi cum facta eius per aquam puram ſolutione coquitur, diſſoluitur, facilius

cilius adhuc acidis pluribus, quibus nullum quidem, modo purum ſit, tinctum, at maiorem longe acrimoniam impertitur, facile cum nonnullis eorum in cryſtallos abiens, quae facile aqua pura, et partim ipſo vini ſpiritu ſoluuntur, prouti alia quoque argenti cum ſalibus connubia et calces, lucis radiis expoſita, obſcurum in ſuperficie colorem induunt, ex omnibus per acidum ſalis marini et omnia ſalia, quae illud continent, ſpecie ſedimenti albi, quod, ſi igne vrgeatur, facile in fluidum pellucidum tenue abit, vlteriori fumi albi ſpecie auolat, per cupri, ferri, zinci laminam forma pulueris nitentis metallici, per argentum viuum facie elegantiſſima arboris argenteae (*Arbor Dianae*) praecipitatur: Cryſtalli, quas cum nitri acido format, igne facile liqueſcunt, et aquae plurima parte expulſa coëunt in maſſam paulo duriorem, aqua adhuc facilime ſoluendam, ad aërem humeſcentem, in prunis detonantem, et purum nitens argentum relinquentem, nigredinem cuti et cuicunque corporis animalis parti inurentem, ob infernalem acrimoniam *Lapis infernalis* nuncupatam.

Quoniam argentum ab eſculentis, potulentis, medicamentis interno certe vſui deſtinatis non corroditur, diuitibus commendata ſunt vaſa, aut argenti cortice intus obducta, aut ex argento confecta; recte quidem, ſi argentum ſemper meracum, nulla labe cuprea infectum, recipiatur; quod, quum vulgo non fiat, certe non mireris, vinum optimum et ſincerum, obſeruante VAN SWIETEN (l. c. Vol. IV. p. 733.)

p. 733.) in phiala argentea, at intus aerugine vitiata, clauſa aſſeruatum, potatum, peſſima mala produxiſſe.

Quamobrem quoque cruſta illa argentea, qua olim pilulae multae ornabantur, non inepta modo eſt, eo quod ingreſſum fluidorum et ſolutionem per illa peragendum impediendo, effectum pilularum ipſum retardat, ſed facile etiam nociua, quum in vita communi vix occurrat argentum, ab omni labe cuprea liberum.

PRAEPARATA.

Solutio argenti in aqua forti, excolor et limpida, ſiquidem, prouti debet, cum argento meraco, et cum aqua forti puriſſima confecta ſit, facile tamen ab inſtillata aqua communi lactis tenuis inſtar turbida, et reliquis ſupra memoratis notis facile diſcernenda, ob acrimoniam ſuam externo vſu prodeſſe poteſt; multis inter coſmetica relata, et ad denigrandos potiſſimum capillos, hinc inde, vti nonnullis videtur, *aquae graecae* titulo adhibita, quo tamen in vſu ſumma cautela opus eſt, niſi enim acrimonia ſua cutem et bulbillos capillorum erodi, et caluum caput eſſe velis, non lauari modo, vt cicuretur illa, lixiuio tenui ex cineribus lignorum excocto caput prius, ſed dilui etiam plurima aqua diſtillata et pectinis ope circumſpecte applicari capillis debet.

Cryſtalli argenti, *Vitriolum argenti*, *Argentum nitratum*, *Nitras argenti*, ſal, aqua caloris ope expulſa ex ſolutione illa delapſum dotibus enarra-

enarratis facile dignoſcendum, aqua diſtillata ſolutum ob acrimoniam rodentem, vim roborantem, exſiccantem et putredini aduerſam externo vſu proficuum. Aqua, quae non niſi quingenteſimam eius partem diſſolutam continebat, per quatuordecim dies maceratam carnem, nullo alieno odore imbutam, exſicceſcere, indurari, vermibus et putredini diutiſſime reſiſtere, comperit HAHNEMANN (*Chem. Annal.* 1788. Vol. II. p. 485.); aqua, in qua milleſima eiusdem ſalis pars diſſoluta erat, vlcerum foetorem putridum et luridam faciem breuiſſimo temporis ſpatio euaneſcere; eandem aquam gargariſmatis et collutionibus additam in angina gangraenoſa atque vlceribus oris interni ex abuſu argenti viui prouenientibus mirifice prodeſſe teſtatur (l. m. c. p. 48.) IDEM: Ipſam fluuiatilem aquam diutius incorruptam ſeruari, nullam noxam inde recipiendo, ſi in 100000 eius partibus vna huius ſalis pars ſolvatur, modo ſolis lumen arceatur, et quicquid ſalis ingreſſum ſit, facile iterum ſeparari et pulueris nigri ſpecie delabi, vtprimum, admiſſa luce aut ſole, pauxillum ſalis communis adiiciatur.

Lapis infernalis, *Cauſticum lunare*, *Magiſterium lunae* ſiue *argenti* (ANGEL. SALA ſeptem planet. terreſtr. ſpagyr. recenſ. Oper. p. 194. 195.), *Lapis lunaris* (IDEM l. c. p. 196.), fundendo leni (ANGEL. SALA l. m. c.), aequabili, neque nimis diuturno igne (HERMBSTAEDT *neueſte Entdeckungen in der Chemie.* Th. IX. 1783. p. 64 ſq.), qui partes cryſtallorum aqueas fugat, in vaſis vitreis aut porcellaneis argentum nitratum, et liquefactum in mo-

 dulos

dulos metallicos excalefactos et ſeuo illitos effundendo natum, ſi puriſſimum et omni labe aliena liberum receptum fuerit argentum (SCHEELE *chem. Annal.* 1784. Vol. II. p. 124.), et lucis ſolisue radii arceantur (ANGEL. SALA l. m. c. p. 196.), albus, ſi argentum viuum forte intermiſtum fuerit, ſulphurei coloris (HAGEN ibid. p. 229.), ſi cupri maior portio, aeruginis maculis, ſi aliquandiu aſſeruatus fuit, defoedatur, ſi argentum purius, cupri tamen adhuc pauxillum continens ſumtum fuerit, quale in melioribus et antiquioribus monetis argenteis occurrit, qui vulgatiſſimus eius color eſt, niger, formae vtplurimum bacillorum cylindricorum, ob ſummam, qua pollet acrimoniam, princeps cauſticum, multiplici vſu apud Chirurgos celebre, ſiue ſolida ſiccaque adhibeatur forma, ſiue ſoluta.

Solida ſi adhibeatur forma, quo tamen in caſu aut lapis, aut partes, quae eo continguntur, antea humectantur, parti, quam tangit, cruſtam albam inducit, paulo poſt nigreſcentem, ea praerogatiua prae aliis rodentibus gaudet, quod cito ſine notabili dolore effectum ſuum exſerat, rarius, quam alia, inflammationem excitet, et commodius ac facilius, quam v. g. lapis cauſticus, definitae cuicunque parti, vicinis inde non affectis, applicari queat.

Conducit primo cauto vſu verrucis exedendis, quae ſaepius illo contingi debent, licet non raro primo aut altero contactu dolores creet (BELL ſyſtem of ſurgery. Vol. V. 1787.), et in iis, quae tendinibus aut neruis propinquae ſunt, euitandus ſit; etiam ne cultro exciſae verrucae denuo propullulent,

cauet,

cauet, ſi locus quem occupabant, eo contingatur (BELL l. m. c.): Sunt etiam, qui lapide hoc infernali ad conſumenda ſarcomata, aut, ſi aegri cultrum nimis reformidant, ad aperienda apoſtemata, ad ſuppurationem bubonum inguinalium, quorum calloſi margines aliaque eiusmodi loca eo continguntur, promouendam (BELL l. m. c.), in medicatione panaritii, ſiue per puncturam excitati, foramini ipſi lapidis fruſtulum imponendo, ſiue pure iam maturo et per foramen lanceolae vi factum effluente, quoties aeger deligatur (EMANUEL Journal de medecine, chirurgie, pharmacie etc. T. LXXXIII. 1790. Maj.), foramen ipſum lapide contingendo, in curatione, quam vocant, radicali hydroceles (I. ELSE eſſay on the cure of hydrocele of the tunica vaginalis teſtis. London. 1770. 8. ACRELL Kongl. Svenſk. Vetenſk. Academ. Nya Handling. Vol. I. 1780.); in herniis ſanandis, qui cauſticis vtuntur, oleo vitrioli inferiorem experti ſunt lapidem infernalem (GAUTHIER et MAYOT Journal de medec. chirurg. pharmacie etc. T. XL. 1773. Novembr. GAUTHIER diſſ. ſur l'uſage des cauſtiques pour la gueriſon radicale des hernies, de façon à n'avoir pas beſoin de bandages. à Londr. 1774. 12. et apud eum GAMET).

Multum porro praeſtat in carne luxuriante vlcerum immundorum conſumenda, modo multoties illo contingatur (TERRAS journal de medecine, chirurgie, pharmacie. T. LXXXIV. 1790. Aug.), et vlceribus (LENAEUS Kongl. Svenſk. Vetenſk. Acad. nya Handling. Vol. XI. 1790.), etiam oſſium (I. F. W. NEV diſſ. exhib. obſeruationes medico-practicas

et chirurgicas. Goetting. 1776. 4. I. D. METZGER adverſar. medic Francof. ad Moen. 8. P. II. 1778.); ad virus veneneum vlcerum genitalia infeſtantium, quae crebro contingi illo debent (S. F. SIMMONS on the cure of gonorrhoea); ad fiſtulam ſaliualem ab vlcere venereo ſerpente ſuperſtitem (LANGE apud SCHMVCKER *vermiſchte chir. Schriſten.* Vol. II. 1779.), et ipſam lacrymalem (LANGLEBERT Journal de medecine, chirurgie, pharmacie etc. T. LXXXV. 1790. Nov. et TILLOLOY Recueil et periodique d'obſervations de medecine, chirurgie, pharmacie etc. T. IV. 1756. Jun. p. 449.).

Facilius tamen et potentius agit in vlceribus ſinuoſis, et fiſtulis, praeſertim lacrymalibus, aqua diſtillata ſolutum et aliquoties de die iniectum; ita A. FR. VOGEL ſcrupulum duabus aquae plantaginis et totidem ſpiritus vini gallici vnciis ſolutum imperat (*chir. Wahrnehmungen.* Lübeck. 8. II. Samml. 1780.); ita Celeberr. JANIN (Memoir. et obſervations anatomiques, phyſiologiques et phyſiques ſur l'oeil, et ſur les maladies, qui affectent cet organe. à Lyon et Paris. 1772. 8. p. 453.) drachmam dimidiam, aquae fontanae vnciis duabus ſolutam, ad carnes fungoſas ſacci lacrymalis et ductus naſalis delendas, et octo eiusdem vnciis ſolutam ad roborandum ſaccum lacrymalem mane et veſperi iniici iuſſit.

Eadem temperata lapidis infernalis ſolutione frequenter adplicata Ill. RICHTER (*chirurgiſche Bibliothek.* Vol. VIII. 1785. p. 34.) feliciſſime vſus eſt ad encanthidem tollendam.

Argentum

Argentum hydragogum, *Luna purgatiua*, ex aequali nitri et lapidis infernalis portione paratum, ſaporis valde amari, at vix acris, praeeunte R. BOYLEO (Some conſiderations touching the uſefulneſs of experimental natural philoſophy. Oxf. 4. T. II. 1672.) a magno BOERHAAVIO (Elem. Chem. Vol. II. p. 468.) non extrinſecus modo ad ſananda et mundanda vlcera, ſed intus quoque ad necandos atque exterminandos vermes, inteſtina obſidentes, ad ſananda vlcera inueterata, et ſerum hydropicorum extra vaſa ſtagnans per aluum educendum ingenti cum fructu adhibitum.

Exhibetur autem ita, vt ſiccati et in pollen tenerrimum comminuti grana duo cum ſacchari albi granis ſex in mortario vitreo commiſta cum micae panis ſcrupulo dimidio in pilulas nouem redigantur, quibus (ſi adultis porrigantur, omnibus) ieiuno ventriculo deglutitis, aquae mellitae calidae vnciae quatuor ad ſex potandae praecipiuntur. Hodie propter effectum interdum nimis violentum obſoleuit.

Catharticum lunare (ANGELVS SALA l. m. c. Oper. p. 194—200.), *Magiſterium hydragogum* (IDEM ſynopſ. aphoriſm. chymiatr. Oper. p. 262.), *Magiſterium argenti deiectorium* (IDEM ternarius bezoardicorum. Oper. p. 570.), ex lapide infernali aqua diſtillata ſoluto, a puluere nigro delabente defuſo, et per euaporationem ac refrigerium in cryſtallos redacto paratum, magna cum vi aquas pellens, mucum attenuans et excretionem eius promouens, ideo ANGELO SALAE in hydrope (Terna-

 rius

rius bezoardicorum l. c.), epilepſia, paralyſi, arthritide, aliis etiam pectoris morbis (ſeptem planet. terreſtr. ſpagyr. recenſ. l. c.) decantatum, et a quatuor ad ſex et octo vsque grana cum vini maluatici aliquot vnciis bis terue tertio ſemper die exhibitum, vt tamen ipſe, quoniam male praeparatum noxas facile inferre poſſit, periculoſi medicamenti vſui interno (ſynopſ. aphoriſm. chymiatr. l. c.) valediceret.

Luna potabilis a guttis duabus ad quatuor in deliriorum variis generibus, cerebri neruorumque morbis olim depraedicata (ANGEL. SALA exegeſ. chymiatr. Oper. p. 689.).

Bezoardicum lunare, Calx antimonii cum calce argenti permiſta, a granis ſex ad decem in cerebri vterique morbis laudatum (ANGELVS SALA l. m. c. Oper. p. 756.).

Tinctura lunae (N. LEMERY cours de chymie. p. 112. 113.) colorem caeleſtem et quam vnquam in epilepſia, apoplexia, paralyſi edidit efficaciam, cupri particulis debet, quae cum plurimo argento inhaereant, per intermedium ſpiritus vrinae alcali volatile ſpiritum vini ſubierunt.

10. *Plumbum*, *Saturnus*, Metallum ductile et malleabile, molle atque elatere, ſi cum aliis metallis compares, exiguo pollens, nitoris liuidi et in ſuperficie ſatis fugacis, vt tamen tardius, quam ferrum et cuprum, aëri expoſitum in calcis ſpeciem, eamque quidem albam, abeat, ponderis ſpecifici ſat inſignis (= 113523 : 10000 BRISSON l. c.), igne facile (585°) liquandum, dum, accedente

cedente libero aëre, fluit, cuticulam iridis coloribus eleganter variam in ſuperficie contrahens, qua ſubtracta noua breui renaſcitur, ſic ſatis velociter in calcem abiens, oleis vnguinoſis facilime diſſoluendam, iisque, ſi quidem ea ſaturentur, magnam tenacitatem impertientem, ex ſale ammoniaco alcali volatile expellentem, primo cineream (*Cineres plumbi*), vlteriori igne flauam, tandem rubram (*Minium*), violentiori igne in vitrum tenue pellucidum, quem in ſtatum, ſi nobilia metalla exceperis, omnia corpora fixa, quae cum illo ignis efficaciae exponuntur, ſecum conuertit.

Facile ſoluitur hoc metallum, ſiue perfectiori in conditione poſitum, ſiue calcis, ſiue vitri forma indutum, non phoſphoro ſolum et ſulphure, cum quibus igni exponitur, et ſulphuris hepate, quod vocant, ſed ſalibus omnis fere generis, potiſſimum acidis, etiam debiliſſimis et frigidis, quibus aliquamdiu contingitur, ipſis adeo oleis vnguinoſis et pinguedinibus, iisque, modo purum ſit, colorem quidem nullum, at dulcem omnibus ſaporem conciliat, iisque, quae vrente acrimonia infeſta ſunt, omnem illam demit: Cum plurimis acidis arctum init connubium, et facilime cryſtallorum cum iis formam ſubit, neque, niſi altero corpore ſuperueniente, iterum ſeparatur, ignis tamen violentioris vi liberari a compluribus iterum poteſt; ab adfuſo tali ſolutioni hepate ſulphuris quocumque ſiue aqua ſiue vini ſpiritu ſoluto, perinde ac a gas hepatico cum ea concuſſo vel aqua eodem ſaturata et inſtillata ſedimentum obſcurum, quod ab acido vitrioli infuſo non

non diſparet, ab ingeſto gallarum decocto aut tinctura ſedimentum ardeſiae et in ſuperficie iridis coloribus conſpicuum, a ſanguinis lixiuio et ſalibus lixiuioſis, et ſi quidem aliis acidis ſolutum ſit plumbum, ab infuſo ſalis communis, phoſphori et vitrioli acidis, et ſalibus compoſitis, quae vnum alterumue horum acidorum continent, ſedimentum album praecipitatur, ſi ſale communi eiusue acido vſus fueris (*Magiſterium ſaturni, Plumbum ſalitum, Murias plumbi*), materia prodit, leniſſimo igno liqueſcens, et ſi liquata in tabulam politam excalefactam marmoream aut metallicam effundatur, in maſſam aliquantum pellucidam, fragilem (*Saturnus corneus, Plumbum corneum*) abiens, vlteriori ignis effectu tota fumi ſpecie aufugiens, multa eaque calida aqua haud difficulter ſoluenda, ex qua ferro iniecto plumbum denuo deiicitur: Si acidi vitriolici vi praecipitatum ex alio acido fuerit plumbum, naſcitur ſedimentum aegerrime aquam ſubiens, et perinde difficulter igne liqueſcens.

Sic plumbum quoque terram aluminarem, et plurima metalla acidis ſoluta ab his dirimit, rarius forma metalli perfecti, quod tamen argento viuo, ſtanno, cupro, arſenico ſalis communis acido ſolutis contingit.

Plumbi facultas apud medicos famoſiſſima eſt venenata, iam Veteribus notiſſima: Etſi nollem plumbi veneno tribuere necem canum, in quorum venas ſaccharum ſaturni ad drachmas duas aqua calida ſolutum iniiciebatur (BRVNNER Ephemer. Acad. Caeſar. Natur. Curioſ. A. 4. Dec. III. obſ. 92. I. A.

TH.

TH. SPROEGEL diſſ. ſiſtens experimenta circa varia venena in viuis animalibus inſtituta. Goetting. 1753. 4. p. 74.), aut malà typothetas prementia cum G. BAKERO (Medical Tranſactions publiſhed by the College of Phyſicians in London. 8. Vol. II. 1772. art. 20. p. 420 ſqq.) et B. MOSELEY (treat. on tropical diſeaſes and on the climate of the Weſtindies London. 1788. 8.) a frequenti typorum contrectatione deducere, niſi particulas manibus adhaerentes potibus cibisue intermiſceant, aut oculis affricent (I. TH. WIECHMANN de morbis typographorum ex vitae genere oriundis. Ienae. 1792. 4. §. 14. p. 14.), copioſiſſima tamen eaque indubitata proſtant exempla peſſimorum effectuum plumbi et plumbeorum, ceruſſae (MOEGLING apud ZELLER docimaſia, ſigna, cauſſae et noxa vini lithargyrio mangoniſati. Tubing. p. 18. *Mediciniſche Ephemeriden.* Chemniz. 1793. p. 130. 131.), lithargyrii (MOEGLING l. m. c. G. BAKER ap. TH. PERCIVAL obſervations and experiments on the poiſon of lead. London. 1774. p. 18.), aceti plumbi (BOERHAAVE elem. chem. P. II. p. 454. TH. PERCIVAL l. m. c. p. 12. 13.), aquae vegeto-mineralis (TH. PERCIVAL l. m. c. p. 13. 14. et medical Commentar. of Edinburg. Lond. 1775. n. XI. DE BEUNIE Memoir. de l'Academ. Imper. et royale de Bruxelles. T. III. p. 185) et extracti ſaturni, a GOULARDO denominati (TH. PERCIVAL on the poiſon of lead. p. 11. 12.), ſacchari ſaturni (QUESNAY traité de la ſuppuration. à Paris. 1749. TH. PERCIVAL on the poiſon of lead. p. 16.), lithargyrii et minii cum oleo in vnguentum redacti (TH. PERCIVAL l. m. c. p. 14. 15.) vſum externum inſequentium, colicae atrociſſimae

ciſſimae (TISSOT epiſt. ad ALB. V. HALLER de variolis, apoplexia et hydrope. Lauſann. 1761. 12. app. p. 227. I. A. VON BRAMBILLA *Abhandlung. der römiſch-kaiſerlichen Königlich-Ioſephiniſchen Academie.* Wien. 4. Vol. I. 1787. BAKER apud TH. PERCIVAL, MOEGLING ll. cc. TH. PERCIVAL on the poiſon of lead. p. 13. 14. 16.), cardialgiae (TH. PERCIVAL l. m. c. p. 12-14.), ciborum appetentiae deiectae (TH. PERCIVAL l. m. c. p. 14.), vomitus (I. A. VON BRAMBILLA l. c.), paralyſis (TISSOT l. c. TH. PERCIVAL medical comment. of Edinb. l. c. et on the poiſon of lead. p. 12. 13.), ſpaſmorum (TH. PERCIVAL l. m. c.), alui pertinaciſſime obſtructae (TH. PERCIVAL l. m. c. p. 15. 16. I. A. VON BRAMBILLA l. c.), doloris artuum rheumatiſmum ſimulantis (I. A. VON BRAMBILLA l. c.), haemoptyſis ſuppuratione pulmonum terminatae (*Medeciniſche Ephemeriden.* l. c.), materiae morboſae olim in cute haerentis nunc in mammas depoſitae (I. A. VON BRAMBILLA l. c.), palpitationis (IDEM l. m. c.), anxietatum (IDEM l. m. c. MOEGLING l. m. c.), deliquiorum animi (MOEGLING l. c.), conuulſionum (WALL apud TH. PERCIVAL on the poiſon of lead. p. 126. MOEGLING, I. A. VON BRAMBILLA ll. cc. FOTHERGILL l. c. p. 376.), epilepſiae (MOEGLING l. c.), gangraenae (QUESNAY l. c.), tabis (BOERHAAVE l. m. c.) et ipſius mortis (MOEGLING et I. A. VON BRAMBILLA, DE BEUNIE ll. cc.).

Quae dira mala quum externum iam plumbi plumbeorumque vſum inſequantur, quibus effectibus in interiora corporis penetralia deductum in fabricam organicam ſaeuiant, facile coniicias; non enim

enim ſtirpes modo plumbi vaporibus ex vicinis vſtrinis ſurgentibus et delabentibus infeſtatae, marceſcunt, atque emoriuntur, pecoribus paſcentibus fatales; quale memorabile exemplum in Scotia prope Leadhills contigiſſe apud I. I. FERBER (*Neue Beyträge zur Mineralg.* I. p. 456.) refert Ill. I. CHRN. FABRICIVS; non animalia tantum, v. g. anates et anſeres aquam, qua pictor penicillos pigmento plumbeo plenos macerauerat (TH. PERCIVAL on the poiſon of lead. p 7.), anates (WEHRS apud Ill. G. A. EBELL *über die Bleyglaſur unſerer Töpferwaare.* Hannov. 1794. 8. p. 487.), anſeres (Ill. EBELL l. m. c. p. 463. 469.), gallopavones (Ill. EBELL l. m. c.), gallinas (EBELL l. m. c. et p. 451. 452. 463.), numidam (EBELL l. c. p. 463.), columbas (EBELL p. 457. et apud eum WEHRS p. 448.), luſcinias (EBELL l. c. p. 459. 461.), fringillas canarias (EBELL l. c. p. 459. 461. 481-486.), leporem vulgarem (EBELL l. c. p. 469.), lepores angoricos (EBELL l. m. c.), cuniculos (EBELL l. c. p. 463.), capreolum (EBELL l. m. c.), hinnulos cervinos (EBELL l. c. p. 462. 463.), capram (EBELL l. c. p. 460. 461.), vitulum (EBELL l. c. p. 471.), vulpes (EBELL l. c. p. 469.), canes (EBELL l. c. p. 445. 446. 453. 460. 465 — 480.) aquam non ſemper ſatis mundam ex vaſis terreis lithargyrii vitro intus obductis haurientes, et partim pabulum ex eiusmodi vaſis capientes, canes ex vaſis plumbi lamina intus obductis pabulum vorantes (TH. PERCIVAL l. c. p. 39 ſq.), canes et feles figulorum aquam haurientes, quae cum lithargyrii puluere permixta fuit (FRICCIVS paradox. de venenis. p. 266.), canes eorum hominum, qui in vſtrinis lithargyrium ponderant, huius

huius puluerem veſtibus herorum adhaerentem lambentes (SPANGENBERG apud ILSEMANN diſſ. de colica ſaturnina. Goetting. 1752.), canes, quibus vinum plumbo infectum (BRVNNER l. c.), aut ſaturni ſaccharum maiore paullo pondere ingeritur (HILLEFELD l. c. §. XLI. Exp. III. VI. VIII.), feles plumbariorum cum eſca plumbi puluerem inſperſum deuorantes (TH. PERCIVAL l. c. p. 3.), canes, feles, pecora aquam potantia, qua plumbi minerae elotae fuerant (TH. PERCIVAL l. c. p. 22. 23.), equos et alia pecora aquam poſt inundationem ex plumbi fodinis promanantem haurientia (CARTE apud PERCIVAL l. c. p. 116. 117.), in pratis aqua eiusmodi iam aliorſum deuoluta inundatis paſcentia (TH. PERCIVAL l. c. p. 24. 25.), columbas aliasque volucres plumbi granula ex quiſquiliis lecta (TH. PERCIVAL l. m. c. p. 25.), gallinas aliasque aues lac agitatum cum pabulo ſubactum ex vaſis plumbeis ſorbentes (TH. PERCIVAL l. m. c. p. 6. 7.), aues cruſtula ſigillaria minio tincta deuorantes (TH. PERCIVAL l. c. p. 72.) torminibus ventrisque doloribus atrociſſimis, ad rabiem interdum auctis, alui obſtipatione pertinaci, pabuli faſtidio, conuulſionibus, paralyſi artuum peſſime mulctari, contabeſcere, et breui ſaepe temporis ſpatio perire, inteſtinis (HILLEFELD l. m. c. EBELL l. c. p. 477.), non raro etiam ventriculo et oeſophago (HILLEFELD l. m. c.), hinc inde inflammatis atque (HILLEFELD et EBELL ll. cc.) eroſis, tunica villoſa interdum denudatis et pituita tenaci obſcura intus oblitis, plurima oſtendunt exempla, ſed maiores adhuc infligere humano corpori calamitates, ſiue in vſtrinis, in quibus plumbi minerae (CARTE apud TH. PERCIVAL l. c.

p. 112.

p. 112. WILSON eſſays and obſervations read before a ſociety of Edinburgh. Vol. I. 1754. 8. n. 22. p. 459 ſq), excoquuntur, argentum et aurum (s. STOCKHAVSEN de lithargyri fumo noxio vulgo dicto *Hüttenkatze und Hüttenrauch.* Gosl. 1656. 8. TH. PERCIVAL l. c. p. 23.) ex plumbo et per plumbum eliquantur, explorantur (Collectan. chymic. Leydenſ. cap. 165.), ac depurantur, lithargyrium in plumbum reducitur (ROTHERAM apud TH. PERCIVAL l. c. p. 98. 99.), in officinis, in quibus plumbum ſiue ſolum, ſiue cum aliis metallis (TH. PERCIVAL l. c. p. 38.) funditur, in iis, in quibus plumbi calces, v. g. minium (TH. PERCIVAL l. c. p. 36. A. FOTHERGILL l. c. p. 353.) vruntur, in iis, in quibus vitra eiusmodi calces recipientia parantur, et, prouti a noſtratibus figulis (TIMAEVS A GVLDENKLEE de morb. malign. et venenat. L. 7. caſ. X. *Annalen der churbraunſchweigiſchen Lande.* Vol. II. 1788. faſc. III. p. 170. EBELL l. c. p. 43.) quotidie adhuc iſte labor peragitur, vaſis terreis affiguntur, ſi peruerſa atque incongrua furnorum, et caminorum potiſſimum conſtructio, atque ignis iuſto violentior accedat, vapores plumbi in aërem aſſurgentes cum halitu hauriantur, ſiue, quemadmodum in metallis, in quibus plumbi minerae venis exilibus per duras matrices decurrunt (PERCIVAL l. c. p. 22.), in officinis, in quibus iſtiusmodi venae ſiue ſiccae, ſiue aqua adfuſa tunduntur, in vſtrinis, in quibus lithargyrium ponderatur (FR. HOFFMANN metallurgia morbifera. Opuſc. pathologico-practic. p. 431.), in officinis, e. g. pictorum, figulorum (EBELL l. c. p. 31. 39.), vitriariorum, in quibus contunditur et teritur, in iis,

in quibus ceruſſa comminuitur (TRONCHIN tract. de colica pictonum. Genev. 1757. p. 29. TH. PERCIVAL l. c. p. 36. DE BEUNIE Memoir. de l'Académ. imperial. et royal. de Bruxelles. T. III. p. 185 ſq. PYL *Auffätze und Beobachtungen aus der gerichtlichen Arzneywiſſenſchaft.* Vol. V. faſc. 4. art. 1.), plumbi particulae, in atmoſphaera obuolitantes, naribus et ore attrahantur, ſiue plumbum ciſtularum, quibus incluſus vulgo venditur, ab acrium contactu in calcem albam corroſum (MODEL *kleine Schriften.* p. 17.), aut ſaturni ſaccharo (WESTRVMB *chemiſche Annalen.* 1792. Vol. II. p. 110-112.) intermiſtum cum tabaci puluere ptarmico naribus immittatur, ſiue plumbum, metallica adhuc facie conſpicuum v. g. typorum ore et dentibus ſaepius tractetur (PHILIP Journal de medecine, chirurgie, pharmacie. Vol. XIX. p. 410. MOSELEY l. c.), aut globi (PAVLLINI Ephemerid. Ac. Caeſ. Natur. Curioſ. Dec. II. A. 6. App. p. 7.), ſcobis (FERNELIVS de lue venerea. C. VII. p. 257.), pulueris ue ſpecie (PALMARIVS de morbis contagioſis. c. s. DETHARDING Ephemerid. Ac. Caeſ. Nat. Curioſ. Dec. III. Obſ. 7. et 8. p. 131.) deglutiatur, ſiue calcis forma (VALLERIOLA obſervation. medicinal. L. VI. Lugd. 1573. fol.), ceruſſae (I. NARDIVS noct. genial. Bonon. 4. T. I. 1656. l. IV. FR. HOFFMANN annotat. ad POTERII opera medic. et chem. Francof. 1698. p. 606. PALLAS *Reiſe durch verſchiedene Provinzen des ruſſiſchen Reichs.* S. Petersb. 4. P. II. 1773. p. 191. THUNBERG Reſa uti Europa, Africa och Aſia för åren 1770 — 1779. Upſal. 8. Vol. I. 1788. p. 98 ſq.), ſiue ſacchari ſaturni (RHODIVS l. c. Cent. III. obſ. 10. RIEDLEIN lin. medic. obſ. 31. menſ.

Mai.

Mai. ann. 1695. p. 154. BORELLVS Obſerv. Cent. IV. obſ. 32. ETTMÜLLER Colleg. Conſult. caſ. 26. FRICCIVS l. c. p. 271. FR. HOFFMANN medic. rational. ſyſtemat. II. p. 292. et medic. conſultat. P. VIII. p. 123. S. TOELKEMIT diſſ. de ſacchari ſaturni vſu et abuſu. Lugd. Batav. 1712. §. 22. p. 13. VAN SWIETEN l. c. III. p. 357. Vöckoſkrift för Läkare och Naturforſkare. Vol. VI.), ſiue alia forma ſoluta ingeratur; ea enim eſt funeſti huius metalli indoles, vt ſeu metalli adhuc forma compareat, ſeu calcis vitriue formam induerit, non acidis modo mineralibus fortioribus; ſed vegetabilibus quoque mitiſſimis, adeo laruatis, ſoluatur, et tantum abeſt, vt ſalutarem inde nanciſcatur facultatem, vt potius eo conſortio ſtipatum, ſubdolo, quem ſibi quaſi proprium habet, modo, atrocius ſaeuiat, ac latius ſerpat: Ita acetum in vaſis plumbeis (DE BEUNIE l. c.), aut ſtanneis plumbo vitiatis, aut aliis metallicis, ſtanno eadem labe laborante intus obductis, aut terreis, plumbi vitro (MODEL l. c. p. 11. PERCIVAL l. c. p. 62-64. G. BAKER l. c. I. obſ. 13. p. 263. WESTRVMB apud EBELL l. c. p. 285. 286. 288-290. A. FOTHERGILL l. c. p. 370-372. BAUMÉ chymie experiment. et raiſonnée. 8. II. p. 542. ACHARD medec. eclairée. II. n. 5. p. 156. negante tamen DE BEUNIE l. c.), aut encauſto multum plumbi recipiente (BAUMÉ l. c. Vol. II. p. 540. ACHARD l. m. c. contradicente DE BEUNIE l. c.) intus incruſtatis, ipſis vitreis magnam plumbi portionem continentibus (MODEL l. c. p. 11.); ita alii ſucci vegetabiles acidi (DE BEUNIE l. c. WESTRUMB apud EBELL l. c. p. 290. 291.), ſuccus pomorum expreſſus (I. FOTHERGILL medical obſerva-

tions and inquiries by a Society of phyſicians at London. Vol. V. 1776. n. 37.), ſuccus uvarum immaturarum (DE BEUNIE l. c.), muſtum (PARMENTIER l. c. II. p. 304. G. BAKER l. m. c. p. 300.), pomaceum (J. HARDY candid examination of what has been advanced on the colic of Poitou and Devonſhire. Lond. 1778. 8. WALL medical tracts. Oxford. 1780. LE COMTE Hiſtoir. de la Societé de medecine à Paris ad ann. 1776. Vol. I. G. BAKER l. m. c. Vol. II. n. 20. p. 420.), vinum ipſum (DE BEUNIE l. c. WESTRVMB apud EBELL l. c. p. 287. 288.), praeſertim ſua natura auſterum (ZELLER l. c. §. XIII—XV. p. 14.), aut vitio demum ſuperueniente aceſcens, cereuiſia (DE BEUNIE l. c. WESTRVMB l. m. c. p. 278.), alii liquores per fermentationem parati (TH. PERCIVAL l. c. p. 42.), aut acidi (G. BAKER l. m. c.); ita lac (DE BEUNIE l. c.), potiſſimum aceſcens (HAYES Letters and Papers adreſſed to the Society inſtituted at Bath. Vol. IV. art. 10. A. FOTHERGILL ibid. Vol. V. p. 369. 370. WESTRVMB l. m. c. p. 282. 283.), aut a praeparatione butyri ſuperſtes (DE BEUNIE l. c. WESTRVMB l. m. c.), ſi in iſtiusmodi vaſis coquantur, aut, quod peius adhuc eſt, fermentent, vel diu aſſeruentur, butyrum (COHAVSEN Ephemerid. Acad. Caeſ. Nat. Curioſ. Vol. VII. obſ. 73. DE BEUNIE l. c.), aliae pinguedines et olea, cibi, cum pinguedinibus, butyro, carnium iuſculis cocti, gelatinae acidulae (WESTRVMB l. m. c. p. 286. 287.), muria braſſicae (IDEM l. m. c. p. 284. 285.) in eiusmodi vaſis per plures dies aſſeruata; ita acetum (TURQUET DE MAYERNE ſyntagm. prax. medic. Vol. I.), ſpiritus ardens frumenti (PLOUCQUET l. c.) et ſacchari (J. HUNTER medical

dical tranſactions. Vol. III. 1785. n. 14.), praeſertim ſi huic ſaporis gratia nitri acidum addatur (A. FOTHERGILL l. m. c. p. 365.), aquae (A. PARÉ Op. p 746. I. NARDIVS l. c. CLAVDINVS de ingreſſu ad infirmos. Bonon. 1612. L. II. c. 6. G. BAKER l. c. I. p. 280.), in ſupellectili ex parte ſaltem plumbea, aut intus ſtanno per plumbum corrupto obducta vulgari modo diſtillatae, ſucci in torcularibus vel prelis, in quibus ſuccus ipſe plumbeas partes contingere poteſt (G. BAKER l. c. Vol. I. MARSHALL rural oeconomy of Gloceſterſhire, Herefordſhire etc. p. 313. A. FOTHERGILL l. c. p. 367.), expreſſi, ſalia in vaſis plumbeis per frigus in cryſtallorum formam redacta, oxymel in vaſe fictili vitro plumbi intus incruſtato coctum (A. FOTHERGILL l. c. p. 373.); ita ipſa cereuiſia lagenis ingeſta, in quibus ad auerrendas ſordes adhibita plumbi granula relicta fuerant (TH. PERCIVAL l. m. c. p. 61.); ita pigmenta crepundiis infantum crebro illita, dum ab his lambuntur et ori intruduntur (G. BAKER l. m. c.); ita vitrioli, quod vocant, oleum in vaſis plumbeis, vel cameris plumbi lamina intus munitis ex ſulphure ardente collectum (GÜNTHER *neueſte Entdeckungen in der Chemie.* P. II. 1781. p. 61. SCHILLER *chemiſche Annal.* 1788. Vol. I. p. 69. 70. MEYER ibid. 1789. Vol. II. p. 116. 117.); ita ipſe ſal ammoniacus, et (DOERRFVRT *über den Kampfer.* p. 152.), quod vulgo vocant, tartari arcanum, a vaſis plumbeis, in quibus parantur; ita vitriolum album a plumbi particulis mineris, ex quibus excoquitur, inhaerentibus hac labe non raro peccant; ita aqua, qua pictores penicillos pigmento plumbeo non raro refertos eluunt, iis

pictoribus, qui penicillos lingua contingere aſſueuerunt (A. FOTHERGILL l. c.); ita aqua, quae, qualis in natura occurrit, raro omni acido aëreo caret, cuius ope in plumbum et naſcentem praecipue in eius ſuperficie per alternam humiditatem et ſiccitatem calcem albam exercere vim diſſoluentem valet, per tecta aut ex plumbi laminis confecta, aut minio picta, delabens, et per tubos plumbeos in receptaculum plumbeum apertum deriuata (TH. PERCIVAL l. m. c. p. 39.), aqua ex puteo tracta, cuius variae partes ex plumbo confectae et interna ſuperficies eiusdem metalli lamina obducta erat (TH. PERCIVAL medical tranſactions. Vol. II. p. 420. WALL l. c.), aqua in plumbeo receptaculo collecta (VAN SWIETEN l. c. Vol. III. p. 357.), aqua ipſa per canales intus plumbi lamina munitos decurrens (Cl. GALENVS de medicamentis ſecundum locos L. VII. PALLADIVS de re ruſtica. c. II. ed. GESNERI II. p. 977. VITRVVIVS de architectura. L. VIII. c. 7. PLINIVS l. c. L. 31. c. 4. I. DE LAMONIERE obſeruat. fluxuum dyſenteric. Lugduni 1625 populariter graſſantium, et remediorum illis vtilium. Lugd. Gall. 1626. LINDESTOLPE de venenis. p. 440. G. BAKER l. c. p. 301.), perniciosiſſimi metalli particulas ſecum vehendo inopinato in corporis penetralia deferre, et ſubdolas vitae inſidias ſtruere poſſunt.

Multifaria igitur ſunt pericula ab hoc ſolo metallo ſaluti hominum impendentia; creſcunt nefaria eorum arte, qui, quum plumbum acidorum, quibus diſſoluitur, proprium ſaporem in dulcem conuertat, vt pomacei (HARDY, WALL, LE COMTE ll. cc.

A. FOTHER-

A. FOTHERGILL l. c. p. 366.), muſti (PLINIVS l. c. L. XIV. c. 21. CATO de re ruſtica. c. 105. et 107. ed. GESNER. Vol. I. p. 84. 85. COLVMELLA de re ruſtica. L. XII. c. 19. 20. ed. GESNER. Vol. II. p. 792. 794.), et vini potiſſimum acorem vel praeuertant (*new eröfnete Kunſt- und Schazkamer neuer und rarer Curioſitäten von den allerwunderbarſten Wirkungen der Natur und Kunſt.* Hamburg. Sechſt. Aufl. 1707. P. VI. p. 287. GRAHAM art of making wines from fruits etc. all the native growth of Great Britain. Lond. 1760. J. TOWNSHEND univerſal Cook. 1773. p. 244. A. FOTHERGILL l. c. p. 362.), vel natum iam obtundant (MARTIALIS Epigrammat. L. X. epigr. 49.), vitio iam decimo quinto aerae noſtrae ſeculo, vt videtur (C. CELTES orat. ap. PIRKHEIMER Opera. Francof. 1610. fol. p. 136.) in Gallia, Germania, Pannonia, Sarmatia et aliis terris, etiam decimo ſeptimo et octauo in Germania (ZELLER l. c. §. 1. GAVBIVS *Hamburg. Magaz.* Vol. XVI. p. 501.), in Gallia potiſſimum (ZELLER l. m. c. R. I. CAMERARIVS diſſ. de colica paretico-epileptica. Tubing. 1698. 4. §. X. p. 15. PARMENTIER l. c. Vol. II. p. 304. WARREN apud A. FOTHERGILL l. c. p. 362. SAGE Examen chymique de differentes ſubſtances minerales. à Paris. 1769. 8.), hoc adhuc ſeculo, et praeſertim in Galloprouincia (DARLUC hiſtoire naturelle de Provence. P. III. 1786. p. 58.), in Italia et vicina Tiroli (MOSELEY l. c.) vulgatiſſimo, quamuis ſeueriſſimis legibus in Gallia (DE LA MARE traité de la police. Amſterd. 1729. fol. P. II. p. 514. ZELLER l. c. §. 1. p. 4.) et in Germania 1487, 1498, 1548, 1577 (ZELLER l. m. c.), ſerius quoque (DATT rerum germanic. nouiſſim. de

 pace

pace publica. L. 3. c. 14. p. 632 ſq.), et nuperius (1787) demum in Saxonia latis (*Journal von und für Deutſchland.* 1787. p. 137 ſq.) interdicto, et (exemplum legas apud ZELLER l. c. §. V. p. 6. 7.) morte ipſa mulctato, aut, qui Veterum mos fuit (PLINIVS, CATO, COLVMELLA ll. mm. cc.) muſtum in vaſis plumbeis coquendo, aut vino liquefactum plumbum (GRAHAM, TOWNSHEND ll. cc.) infundendo, aut quod ipſi generoſo Burgundiae vino contingere teſtis eſt (l. m. c.) A. FOTHERGILL, plumbi globum in vino ſuſpendendo, vel vino pomaceoue ſiue natiua ſua indole, ſiue aetate aut negligentia in acetum abituro ſcobem plumbi (MISSA recueil periodique d'obſervations etc. 1755. Apr. p. 294.), lithargyrium (ZELLER, GAVBIVS, SAGE ll. cc.), minium (GAVBIVS, PARMENTIER ll. cc.), ceruſſam (GAVBIVS, PARMENTIER ll. cc. FALCONER ap. PERCIVAL l. m. c. p. 122.), acidum liquorum horum euolutum ſubeuntes, ſaccharum ſaturni (GAVBIVS, PARMENTIER ll. cc.), acetum lithargyrii (GOCKEL apud R. I. CAMERARIVM l. m. c. §. VIII. p. 12.), vino generoſo vtplurimum hiſpanico interdum temperatum (BRVNNER l. c. FRICCIVS l. c. p. 266. GOCKEL Ephemerid. Ac. Caeſar. Natur. Curioſ. Dec. III. A. 4. p. 78.), etiam hoc ſolo (R. I. CAMERARIVS l. c. p. 12. §. VIII. ZELLER l. c. §. IV. p. 5.) ſolutum, arcano nonnunquam titulo et caro pretio vendita, addendo, potus modico vſu inſontes et ſalubres in ſubdola venena convertunt: Ita oleum ex ſeminibus napi expreſſum, vt pro amygdalarum vel oliuarum oleo veneat, plumbo, lithargyrio, ſaccharo ſaturni (I. G. WALLERIVS *Mineralogie oder Mineralreich in's Deutſche überſetzt*

ſetzt von I. D. DENSO. Berlin. 1750. 8. app. p. 573.), ita, vt pondere creſcat et candore placeat, in Belgio ipſum butyrum (GAVBIVS l. c. p. 510.), et in annonae caritate adeo farina frumenti (*Geöffnetes Laboratorium; überſ. durch* KÖNIGSDÖRFER. Altenburg. 1760. 8. p. 205.) ceruſſa adulteratur.

Homines, qui alia aliaue forma vel via, nunc ſua ipſorum culpa aut negligentia, nunc aliorum culpa aut dolo plumbum deglutierunt, multiplicibus inde plectuntur aerumnis, non ſemper iisdem, et pro alia atque alia plumbi forma, copia, conſortio, corporis conditione aegrota aut ſana, debili aut robuſta, nunc copioſioribus, nunc paucioribus, nunc grauioribus, nunc mitioribus, vt ſint vtique exempla hominum, nihil inde mali (SAGE analyſe chymique des trois regnes etc. P. III. p. 164.), ab ipſo lithargyrii aceto hauſto perpeſſorum (TH. PERCIVAL l. c. p. 38. 39.): Frequentiſſima tamen ea mala plumbi internum vſum inſequuntur, quae colicae ſaturninae (ILSEMANN diſſ. de colica ſaturnina. Goetting. 1752. KÖNIG diſſ. caſum aegroti colica ſaturnina laborantis ſiſt. Argentor. 1764.), morbi ſaturnini (BÜCHNER diſſ. de optima morbum ſaturninum curandi methodo. Hal. 1748.), colicae ſpaſmodicae plumbeae (RVD. I. CAMERARIVS l. c. p. 9.), rhachialgiae metallicae (SAUVAGES noſolog. method. Vol. III. P. 2. p. 199.) nomine a vera cauſſa repetito, oenagrae (R. LENTILIVS iatromnemat. medico-practic. Stuttgard. 1712. p. 65. GOCKEL *Beſchreibung des durch die Silberglätte verfälſchten Weins und der davon entſtandenen Weinkrankheit.* Ulm. 1697.) alii, alii *Hüttenkatze* (V. STOCKHAVSEN l. c. FR. HOFFMANN de me-

 tallurgia

tallurgia morbifera l. c. p. 430.), alii a ſymptomatibus colicae paretico-epilepticae (R. I. CAMERARIVS l. c.), alii, a terris, in quibus frequentius occurrit, colicae pictonum (TRONCHIN l. c. GRASHVIS tentamen de colica pictonum. Amſtelod. p. 22.) aut damnonienſis (HVXHAM obſerv. de aëre et morbis epidemicis ab anno 1728 ad ann. 1737. p. 31.), alii ab hominibus, quos frequentius, quam alios inuadit, colicae figulorum (RAMAZZINI de morbis artificum. Oper. omn. Genev. 4. 1717. p. 495.), Galli etiam (COMBALUSIES obſervations et reflexions ſur la colique de Poitou ou des peintres etc. à Paris. 1761.) nomine Colique des peintres, Colique des barbouilleurs, Angli nomine Millreek (ROTHERAM apud TH. PERCIVAL l. c. p. 101.) et Belland (CARTE ibid. p. 111. 112.) complectuntur, dolores ſcilicet ventris atroces, in regione epigaſtrica et vmbilicali vtplurimum vehementiones, vmbilico interdum verſus ſpinam dorſi quaſi retracto, non raro ſenſationem ponderis enormis ventriculo impoſiti excitantes, rarius conuulſionibus, aut rabie, crebrius paralyſi artuum (EBELL l. c. p. 45. P. POTERIVS inſignes curationes et ſingulares obſeruationes. 8. Cent. II. Bonon. 1622. cap. 36.), praeſertim ſuperiorum, etiam apoplexia (EBELL l. c. p. 44.) terminati, ciborum digeſtio atque alui excretio maximopere turbata, illa ſaepius in verum omnis cibi faſtidium degenerans, haec alias nimis laxa, vt ſedari vix iſta profluuia poſſint, alias pertinaciſſime obſtipata (EBELL l. c. p. 45. I. A. WEBER *phyſikaliſch-chemiſches Magazin für Aerzte, Chemiſten und Künſtler*. Berlin. 8. P. I. 1780. p. 13.), vt aut nulla, aut globulorum ſicciſſimorum, ſquamo-

ſorum,

ſorum, nigrorum ſpecie ſecedant excrementa; ſaliuae ſapor dulcis; mucus ſordidus linguam obtegens; ſudor tenax, vrinae excretio ſuppreſſa, tumor et durities abdominis, reſpiratio laeſa, flauus aut lividus color totam corporis ſuperficiem, genis exceptis, quae tanto laetius rubent, tingens, ſitis haud exſtinguenda non raro ante memoratas calamitates comitantur; ſaepe quoque inſequentibus febre hectica, ſterilitate, tabe, et, rarius quidem repentina quam lenta morte, vt certe haud improbabilis ſit coniectura, nonnullis indiciis, quae plumbea (I. A. FISCHER ap. CSTPH. ORTH ſpec. de ſaturno. Erford. 1720. 4. epiſt.), ceruſſam (ZELLER l. c. p. 17.), et ſaccharum ſaturni (ZELLER l. m. c. ERNDL diſſ. medic. ex veneno ſalutem ſiſtent. Gieſſ. 1691. th. 21. LINDESTOLPE de venenis. p. 731.) ingredi illa loquuntur, confirmata, ſaturnina venenorum lentorum quorundam ſceleſtiſſima veneficorum fraude paratorum principem conſtituere materiem: illud enim plumbi crimen eſt, quod etiam extra corpus viuum iisdem humoribus permiſtum perpetrat, quod ſiue iam ſolutum corpus ingrediatur, ſiue in corpore demum humorem deprehendens, quo diſſoluatur, chylum et plurimos vtiles corporis animalis humores coagulet, vt primum cum iis coit, eo coagulo non oſcula modo tenerrimorum vaſorum lacteorum obturando ſucci nutritii introitui obſtet, ſed chylum quoque in reliquo decurſu coagulando obſtructiones, in glandulis praeſertim meſentericis, gignat, atrophiae aliorumque malorum chronicorum largiſſimum fontem: Quare in cadaueribus hominum plumbi vim feralem expertorum praeter ventriculi

atque

atque inteſtinorum inflammationes haud raras meſenterii potiſſimum glandulae obſtructae, induratae, inflammatae, pus fundentes occurrunt.

Indole iam recenſitorum, quos gignit, effectuum, ipſo ordine, quo ſeſe ſequuntur, attento medico pateſcit interdum plumbi virus, ſuſpicionem ſaepe mouet vitae genus, his periculis magis obnoxium; verum occurrunt profecto caſus, in quibus vt plena lux affulgeat, his malis medicaturo, aut veneficii ſcelus, vel eodem crimine inſimulati innocentiam manifeſtaturo, curatiori multo potulentorum, ciborum, medicamentorum, in quibus quippe cauſſa eorum malorum latere poſſet, inueſtigatione opus eſt: Prodit vtique ſaepius ſua iam albedine lac aquatum aemulante (A. PAREVS l. c.), interdum dulcedine, quam in ipſa abſynthii aqua guſtaſſe ſe teſtatur MATTHIOLVS (de ratione diſtillandi aquas app. ad comment. in Dioſcoridem. Venet. 1565. fol.), aqua diſtillata contentam plumbi calcem, inconſueta oleorum, pinguium, aceti, vini, quod, ſi genuinum ſit, potius pauliſper auſtero, vel pro climatis, ſoli, anni, aetatis ratione, acidulo ſapore (FRICCIVS l. c. p. 266. ZELLER l. c. §. 1. p. 3.) linguam ferit, aliorum potulentorum atque eſculentorum dulcedo mangonium, in ſpiritibus ardentibus, aceto, aquis diſtillatis, vitrioli oleo, reſiduum, quod diſtillatione in vaſis clauſis peracta, vel perinde ac vinum, pomaceum, cereuiſia, lac, olea, alia eiusmodi liquida cibiue euaporationi in vaſis apertis expoſita relinquunt, eiusque penitius inueſtigata indoles, in ſalibus ſiccis pars aliqua ſolutionem in aqua renuens,

in

in ſale ammoniaco pars ignis vi in altum acto ipſo ſale ſuperſtes: Quodſi iſtiusmodi reſiduum plane exſiccatum et cum carbonum puluere parcaque manu additis cineribus clauellatis, vel fluxu, quem appellant, nigro liquatum (ZELLER l. c. §. XIX. p. 15. LE COMTE l. c.), vel etiam ſolum igne ad candorem vaſis vsque aucto tortum (A. FOTHERGILL l.c. p. 381.) grana plumbi manifeſta exhibeat, de plumbo inhaerente nulla amplius ſupereſt dubitatio.

Liquores de plumbi labe ſuſpecti aliis quoque notis ſeſe produnt; turbantur ſcilicet omnes lactis tenuioris in morem, et ſedimentum album ſenſim dimittunt, ab infuſo ſalis communis acido (*Hamburg. Magaz.* Vol. XVI. p. 503.), vel peracta per aquam fontanam eius ſalis ſolutione, a lixiuio (Eph. Ac. Caeſ. Nat. Curioſ. Dec. III. A. VII. VIII. p. 228.), ex cineribus lignorum vel clauellatis (WILLIS pharmac. ration. P. II. S. 3. C. 5. p. 471.) parato, a ſalis ammoniaci ſpiritu, a vitrioli acido (GOCKEL Ephemer. Ac. Caeſ. Natur. Curioſ. Dec. III. A. IV. p. 78. R. I. CAMERARIVS ap. ZELLER l. c. §. IX. p. 12. A. FOTHERGILL l. c. p. 382.) et ſalibus illud continentibus aqua ſolutis inſtillatis, vt ideo multi ad explorandos eiusmodi latices vno alteroue vtantur; ſunt tamen plura, quae iſtius examinis dubium perquam reddere euentum poſſunt; ne enim dicam, crebro liquores iſtos iam turbulentos eſſe, antequam cum aliis permiſcentur, vt diſcerni igitur tuto nequeat effectus ab infuſo latice excitatus, fallere facile poteſt ſalis communis acidum, ſi ſuperabundante aqua dilutus ſit liquor examinandus, plumbi calcem acido iunctam

iunctam iterum diſſoluente, vt eapropter liquor, quamuis plumbi haud expers, inſons videatur; dantur porro quoque alia, quae per vitrioli acidum, et praeſertim per memorata lixiuia et ſpiritum ſalis ammoniaci pulueris albi ſpecie praecipitari ex eiusmodi liquoribus poſſunt, quae, etſi ſaepe perinde fraudulenter iis intermiſta, tamen multo minus nociua ſunt; ita vino aceſcenti oenopolae interdum immittunt tartari ſalem, qui vini acido ſolutus, acido vitrioli accedente, in tartarum, quem vocant, vitriolatum tranſit, difficillime aqua ſoluendum; addunt alii calcem viuam, quae vini acido diſſoluta a vitrioli acido adfuſo gypſi, a lixiuio aut ſalis ammoniaci ſpiritu terrae calcariae ſimiliter albae ſpecie deturbatur, vt, niſi vlterius proſequaris illud examen, facile vinum, ſola calce fucatum, iniuſtam adulterationis plumbeae iniiciat ſuſpicionem: Vt igitur certus ſis, ſedimentum illud plumbo ſuam debere originem, aut ſolum igne paulo violentiori tentandum eſt, quo ſi bene fundata fuerit coniectura (DE LA FOLLIE extrait des journaux 1771. Octobr.) in vitrum abibit, interiora catilli quaſi cortice obducens, aut memorata iam ratione cum carbonum puluere et cineribus clauellatis, quod quidem experimentum eo in caſu plumbi metallici grana (LE COMTE l.c.) ſiſtet.

Luculentius certe patet plumbi vitium, ſi fluidis de eo ſuſpectis hepar ſulphuris alcalinum ſimplex (T. BERGMAN diſſ. de arſenico. §. XI. Opuſcul. Vol. II. p. 306.), hepar antimonii, ſcoriae in praeparatione reguli antimonii ſimplicis obuiae (HENNICKE apud ZELLER l. c. p. 22.), vel hepar ſulphu-

ris arſenicale, ſiue vini ſpiritu ſiue aqua ſoluta fuerint, addantur; haec enim omnia plumbum ſiue acidis ſiue oleis ſolutum obſcuro colore praecipitando, eodem colore mox inficiunt liquores hoc vitio infectos, vt ideo poſterius praeſertim hepar arſenicale ſiue *liquor auripigmenti*, ab hoc eius vſu quoque *liquor vini probatorius* dictus, a plurimis medicis ZELLERO (l. c. §. XI. p. 13.), MOEGLINGIO (apud eundem), WALLERIO (l. c. p. 294.), GAUBIO (l. c. p. 500.), MODELIO (l. c. p. 217.), A. FOTHERGILL (l. c. p. 380.), ad hanc variorum liquorum, et vini potiſſimum corruptelam inueſtigandam maximopere commendatum ſit; multa tamen in vſu huius liquoris circumſpectione opus eſt, ſi iudicium euentui experimenti aequum ſuperſtruere velis: Primo curandum, vt ſollicite paratus et recens adhibitus ſit liquor, niſi enim ſulphure ſaturatus ſit, cuius partem plurimam dimittit aliquandiu aſſeruatus, non obſcuro, ſed flauo potius, interdum pallido colore praecipitabit plumbum; neque obſcurum impetrabis ſedimentum, liquore probatorio quamuis optimo ac recentiſſimo, ſi liquor, v. g. vinum explorandum praeter plumbum quoque calcem viuam vel cretam continet, et praeterea multo tartaro ſcatet, cuius acidum cum calce in tartarum calcareum abit, difficilime ſolubilem (T. BERGMAN l. m. c.); haec enim ſimul deturbata albedine ſua diluet ſedimentum plumbeum: Adde, quod liquores obſcurius tincti, vt effectus liquoris probatorii euidens ſatis ſit, tribus aquae communis partibus (A. FOTHERGILL l. c. p. 381.) dilui debeant.

Cauendum

Cauendum perinde eſt, ne vinum probum in ſuſpicionem huius corruptionis incurrat; facile id contingere poſſet iis vinis, quae aut natura ſua aut aetate decolora variis pigmentis praecipue rubris inficiunt oenopolae; haec enim, etſi plumbi expertia, cum memorato liquore tentata, crebro exhibent ſedimentum obſcurum, pigmenti ſcilicet materia vna cum ſulphure delabente.

Denique non plumbum ſolum, ſed plurima quoque alia metalla (ZELLER l. c. p. 14. 21. 23. §. XIII—XV. et apud eum MAUCHART p. 21.) acidis ſoluta eodem colore obſcuro praecipitat hoc ſulphuris hepar, vt igitur, niſi aliae quoque accedant ſupra enarratae notae et conditiones, ex hoc ſolo experimento nihil certi de plumbi mangonio coniicere poſſis; at ſi liquor dulcem ſaporem offerat, quem praeter plumbum nullum aliud metallum acidis impertitur, ſi omni humore orbatus, perinde ac ſedimentum per ſulphuris hepar ex eo deiectum, et, ſi vinum ſit, feces in dolio ſuperſtites (ZELLER l. c. p. 15. §. XIX.), cum carbonum puluere et pauciſſimis cineribus clauellatis liquefactae plumbi grana metallica, ſi feces, prouti in dolio reperiuntur, luculentas plumbi (ZELLER l. c. p. 11. §. VIII.) vel lithargyrii (IDEM l. m. c.) miculas, elutratione facile ſeparandas et curatius examinandas exhibeant, nullum amplius ſupererit dubium.

Facilius certe expediri illud negotium poteſt, aqua, gas hepatico ſaturata, qualem Cl. HAHNEMANNVS (*Chemiſche Annalen.* 1794. Vol. I. p. 109.) nuper

nuper propoſuit, qua quidem etiam plurima metalla acidis ſoluta colore obſcuro deiiciuntur, ferro tamen excepto, quod crebrius quam alia vinum intrans, et ſapore, quem acidis conciliat, propius, quam reliqua, ad plumbum accedit: Praeparatur autem iſta aqua (*Liquor probatorius fortior*), ſolvendo primo in ſedecim vnciis aquae tepidae duas acidi tartari vncias, addendo poſt duas quoque drachmas hepatis ſulphuris calcarii ſicci et tenerrime comminuti, concutiendo haec in lagena ampla per decem continua temporis minuta, et dimidia hora elapſa liquorem ſedimento ſuperfuſum defundendo in aliam lagenam, quae mediam iam acidi tartari vnciam continet, pauliſper concutiendo, et nyďthemero elapſo limpidum liquorem in exiles lagenas probe obturandas decantando, atque aſſeruando.

Inſignes noxae, quas facilis plumbi quacunque fere forma conſpicui in tot liquoribus ſolutio et ſubdola indoles hominum ſanitati inferunt, iam dudum induxerunt medicos (A. PARÉVM, MATTHIOLVM ll. cc. I. BEGVINVM tyrocin. chymic. p. 120. 121.), vt plumbum ex ſupellectili pharmacopoliorum proſcriberent; exterminauit re domeſtica inconſpicua facies et fugax nitor vaſa ex mero plumbo conflata; ſed adhibentur adhuc et in culinis et in officinis medicamentariis vaſa ex ſtanno, plumbo adulterato, confecta, aut ſimili ſtanno intus obducta, vel conferruminata, quae quum ſuo plumbo officere adhuc peſſime poſſint, ſtatus Boruſſici pharmacopolis (PYL *Magazin für die gerichtliche Arzneykunde und medicinische Policey.* Stendal. 8. Vol. II. faſc. 3. art. 8. 19.)

 publica

publica lege omnis vaſorum ſtanneorum vſus interdictus, et quemadmodum etiam in prouinciis auſtriacis (v. MEIDINGER *Verſuch einer Eintheilung des Mineralreichs*. Vienn. 8. p. 68.) et Pomeraniae parte ſuecica (CHR. EHR. WEIGEL *Magazin für Freunde der Naturlehre und Naturgeſchichte, Scheidekunſt, Land- und Stadtwirthſchaft, Volks- und Staatsarzney*. Berlin, Stralſund und Greifswald. 8. Vol. I. 1794. faſc. I. 1794. n. IV — VIII. XI. XII. p. 43-88. 92-97.) illis opificibus, qui alia metallica, praeſertim cuprea vaſa ſtanneo cortice obducunt, ſtanni puriſſimi vſus iniunctus eſt.

Frequentia medicorum monita de periculo ab vſu vaſorum terreorum intus vitro plumbeo obductorum imminente non ſummos modo variarum terrarum e. gr. Pomeraniae (CHR. EHR. WEIGEL l. m. c. art. IX. X. p. 88-92.) territorii Erfordienſis (HECKER in ſchedul. d. 14. Febr. 1794.) et principatus Onoldini magiſtratus permouerunt, vt inuentionem alius corticis vitrei minus periculoſi vaſis terreis inurendi enixiſſime commendarent, ſed varios etiam de ſalute humanae gentis meritiſſimos Viros G. A. EBELL (l. c. p. 639.), WESTRVMB (apud eundem l. c. p. 637.), G. F. CHR. FVCHS (*Beytrag zu den neueſten Prüfungen, ob Säuren im Stande ſind, die Bleyglätte in der Töpferglaſur aufzulöſen*. Iena. 1794. p. 27.), I. B. TROMMSDORFF (*Journal der Pharmacie für Aerzte und Apotheker*. Leipzig. 8. Vol. I. 1794. faſc. 2. p. 253. 254.) incitarunt, vt detegendae eiusmodi cruſtae innocuae vili pretio igne non nimis vehementi, quem quippe vaſa noſtra coquinaria prunarum et flammae aeſtum denuo

exper-

pertura, ferre ſine vlla liquatione, quem furni figulorum noſtratium progignere poſſunt, vaſis noſtris argillaceis inducendae omnem nauarent operam, quae conamina vt fauſtum ſortiantur ſucceſſum, tanto magis optandum eſt, quum neque propoſita hactenus conſilia plumbeorum in locum ſal commune vel eius muriam, vitri vulgaris contuſi puluerem, cineres lignorum aut paratum ex iis lixiuium, margam liquabilem, calcem viuam, miſtum cum gypſo aut ſpato ponderoſo, fluorem mineralem ſupponendi fini perinde reſpondere, neque iterata vaſorum iſtorum (MALOUIN chymie medicinale. T. I. Paris. 1750.) cum aqua coctio omne virus eluere, omne periculum auertere, neque ratio calcis plumbeae ſine diſcrimine cruſtam illam vitream ingredientis definiri, imperari, et, ſi contra latas leges peccetur, euinci tam facile poſſe videatur.

Multiplex igitur adhuc ſupereſt periculum, a maligno hoc metallo nobis imminens, quod quo minus euitent, multos impedit officii ratio; hi certe, ne, dum vaporibus aut pulueri plumbi quacunque forma induti expoſiti ſunt, ne aliquid deglutiant, vt, ſi plumbea manu tractauerint, antequam cibos capiunt, manus ſollicite lauent, et diaeta pingui (FR. HOFFMANN medic. ration. ſyſtemat. T. IV. P. 2. c. 5. p. 334. VAN HAEN ration. med. P. I. p. 115.); A. FOTHERGILL l. c. p. 382.) vtantur, monendi ſunt: Quos autem dirum venenum iam vexat, vitare frigus, acida, ſtimulantia, et quae aluum obſtipare poſſunt, debent; ſi in ventriculo adhuc haereat, praeſtat vomitu, ſiue per media mechanica, ſiue per

 multam

multam aquam tepidam ingurgitatam, ſiue per emeticum paulo fortius; ſi in inteſtinis reſideat purgantibus iisque paulo vehementioribus (FORESTVS l. c. obſ. LXXI. p. 22. RIVERIVS prax. medic. L. X. c. 1. p. 446. SAUVAGES, PHILIP, COMBALUSIER, DU BOIS ll. cc. VNZER *Arzt* Vol. VII. p. 67. WILSON journal de medecine, chirurgie, pharmacie etc. Vol. VIII. p. 133. DRAZAN ibid. Vol. XIII. p. 301.) exterminare.

Caue tamen haec ſubſidia adhibeas, (BÜCHNER, GRASHUIS ll. cc. WEPFER Ephemer. Acad. Caeſ. Nat. Cur. Dec. II. a. 3. p. 71. NEBEL ibid. obſ. 11. p. 118. FR. HOFFMANN de metallurg. morbifera. p. 438. A. FOTHERGILL l. c. p. 384. DE HAEN l. c. T. III. p. 73.), vt primum phaenomena docuerint, venenum vltra hos iam limites progreſſum eſſe: Tunc enim inuolventibus (PAVL. AEGINET. de re medica L. III. Cap. XVIII. et XLIII. FERNELIVS, HUXHAM, FR. HOFFMANN, GRASHUIS, BÜCHNER ll. cc. MILO apud CITESIVS Opuſc. medic. Pariſ. 1639. BAGLIVIVS Oper. omn. p. 687. SENNERT prax. medic. L. III. P. 2. Sect. 2. cap. 2. p. 268. ALLEN ſynopſ. vniuerſ. medic. practic. p. 239. VAN HAEN l. c. I. p. 114. BOURDEU journal de medecine, chirurgie, pharmacie. Vol. XVII. XVIII. XIX. LE TELLIER ibid. Vol. XVIII. p. 41. GRANDVILLE ibid. Vol. XIX. p. 29), butyro, oleis vnguinoſis, inter quae eminet oleum ricini (ODIER ibid. Vol. IL. 1778. Apr. A. FOTHERGILL l. c. p. 384.), mucilaginibus, lacte, aqua cum herbis et radicibus emollientibus decocta, larga manu per os et anum ingerendis, balneorum quoque et fomentorum ſpecie applicandis, et, quod pinguia ſpectat,

ctat, abdomini fricando inungendis opus eſt; ſunt qui his (ALLEN, HUXHAM, KÖNIG ll. cc.) lenia laxantia aut interſerunt aut addunt; alii, qui oleum a DIPPELIO denominatum (PARMENTIER l. c. I. p. 36.), alii (TH. PERCIVAL l. c. p. 27.), qui alumen, ſiue ſolum, ſiue cum mucilagine gummi arabici, vel cum ſpermate ceti permiſtum tanquam potentiſſimum auxilium praedicant.

Quodſi his remediis non cedant dolores illi atroces, princeps medela eſt aqua calida gas hepatico ſaturata, tanto efficacior, ſi ferri etiam paululum contineat, largis hauſtibus potata, et ſimul balnei ſpecie adhibita, ſiue natiua (A. FOTHERGILL l. c. p. 384—386. EBELL l. c. p. 573 ſq.), quales et Anglia, et Germania noſtra plures offert, ſiue (A. FOTHERGILL l. c. p. 385.) per artem parata, et opium (PAVLVS AEGINETA, ALLEN, GRASHUIS, AL. BRAMBILLA ll. cc. R. WARREN London medical tranſactions. T II. n. 7. p. 68 ſq. WEDEKIND *gemeinnützige Wochenſchrift phyſiſchen und mediciniſchen Inhalts*. Mainz. 1792. faſc. 5. p. 75. EBELL l. c. p. 584 ſq.), quacunque forma congrua ingeſtum, etiam enematibus adiectum, vt tamen in eius quoque vſu, ſi aluus iuſto ſegnius euacuetur, aut plane obſtructa ſit, lenibus laxantibus (HUXHAM l. c. p. 29. LVDWIG Comment. Lipſ. de rebus in ſcientia naturali et re medica geſtis. Vol. VIII. p. 490.), e. gr. magneſia alba, ſale amaro, ſoda phoſphorata (A. FOTHERGILL l. c. p. 384.) intermiſtis opus ſit.

Quae a ſanatione primarii mali crebro adhuc reſtant mala, in debilitate artuum praeſertim ſita,

continuato aquarum ſulphurearum (A. FOTHERGILL l. c. p. 385. 386.) vſu, roborantibus, et electricitate (Nouveau Dictionnaire de medecine et de chirurgie. P. II: London. medical journ. Vol. V. 1784.) facile ſuperantur.

Metallica ſua facie conſpicuum rarius adhibetur plumbum, niſi velis materiem inſtrumentorum quorundam chirurgicorum conſtituere, eodem lima corroſo expleri nonnunquam ad aërem arcendum dentium carioſorum foueas, Veteres (AVICENNA canon. L. II. c. XII. et L. III. tract. 1. AMAT. LVSITAN. curat. Cent. III. cur. 32. PARÉUS Oper. Libr. VII. c. 32. JONSTON Taumatographia nat. Cl. IV. p. 172. ETTMÜLLER Oper. T. III. L. VI. Sect. I. c. 4.) laminis plumbi impoſitis ad inhibendas pollutiones nocturnas, ad diſcutiendas ſcrophulas glandulasque tumidas fuiſſe vſos, ipſum L. HEISTERVM (l. c. p. 340.) iſtiusmodi lamina mercurio impraegnata ſcirrho mammae impoſita periculum cancri auerti poſſe, ſibi perſuaſiſſe, alios (V. ORTH l. c. p. 11.) ad contegenda et ab aëris contactu munienda vlcerum vulnerumque labia, ad comprimenda per laeſiones aperta vaſa, ſanguinem vehentia, cruoremque ex illis promanantem ſiſtendum, ſcobem plumbi teneriorem non extrinſecus modo inſperſam (ORTH l. m. c.) in pertinacioribus cutis eroſionibus adhibuiſſe, ſed adeo temerario auſu ab empiricis intus in fluore albo, fluxibus ſanguinis, malo venereo (MALOUIN l. c. Vol. II.) et (FERNELIVS l. c.) arthritide fuiſſe praeſcriptam. Globulos plumbi, praeeunte HELMONTIO, nuperius fauſto cum ſucceſſu quatuordecim homini ileo laboranti

ranti deglutiendos imperauit NAUDEAU (Journal de medecine, chirurgie, pharmacie etc. Vol. LXIV. 1785. Jun.).

Tanto maior cumulus medicamentorum tum in fabricis, tum a pharmacopolis ipſis ex hoc plumbo paratorum in officinis medicamentariis proſtat, quae refrigerando, acrimoniam mitigando, fibras conſtringendo, oſcula vaſorum ſecernentium et excernentium occludendo, repellendo, exſiccando, putredinem inhibendo, externo potiſſimum vſu in inflammationibus (GOULARD traité ſur les effets des préparations de plomb et principalement de l'extrait de ſaturne, employé ſous differentes formes et pour differentes maladies chirurgicales. à Pezenas et Montpellier. 1760. 8. AIKIN *Beobachtungen über den äußerlichen Gebrauch der Bleymittel, nebſt einigen allgemeinen Anmerkungen über die örtlichen Arztneyen, nach der zwoten Ausg. aus dem Engl. überſetzt.* Altenburg. 8. 1776.), etiam tonſillarum (BOUCHER recueil periodique d'obſervations de medecine, chirurgie, pharmacie etc. à Paris. T. VIII. 1758. Jun. p. 557. BELL ſyſtem of ſurgery. Vol. V. 1787.), niſi criticis, aut nimium ſiccis, aut partes nimis ſenſiles afficientibus, aut in ſuppurationem procliuibus, aut cum laceratione partium coniunctis, aut a cauſſa interna natis, in furunculis aliisque tumoribus neque criticis, neque metaſtaticis, aut ab alia cauſſa interna natis, neque in ſuppurationem pronis, vlceribus, etiam phagadaenicis (TH. PARACELSVS chirurg. magic. T. II. l. 10.), variisque morbis cutaneis, topicis, remedia iſtiusmodi ferentibus, aliisque morbis externis,

in deſcriptione ſingulorum medicaminum enarrandis celebrantur. Diuiduntur autem 1) in calces; 2) in ſolutiones; 3) in ſalia; 4) in vnguenta; 5) in emplaſtra.

I. CALCES PLVMBI.

Ceruſſa, *Ceruſſa plumbi*, ex plumbo per aceti vapores corroſo eiusque acido aëreo impraegnato nata, alba, creberrime (rarius tamen ea, quae lamellari facie apparet) creta adulterata, quae ſalis communis acidum aqua temperatum ſuperinfuſum ſubit, ſuperſtite, ſed ſiue volumen, ſiue pondus ſpectes, multum diminuta genuina ceruſſa, cum nitro et carbonum puluere igni candenti expoſita in veros plumbi globulos confluens, iam inclytae Aſclepiadarum ſcholae Rhodiae (SCHVLZE hiſtor. medic. p. 61.), GALENO (de ſimplicium medicamentor. facultat. L. IX.), DIOSCORIDI (l. c. l. 5. c. 53.) ſatis ſuperque cognita, eiusque tempore tum in Graecia et Rhodo, tum in Italia, nunc per omnem Europam parata, frequentius aliorum medicaminum materiem principem conſtituens, quam, qualis venit, a medicis vſitata.

Ne enim dicam, minus caſtas Ruſſiae puellas ſceleſto et infauſto auſu eam deglutire, vt ſibi ſterilitatem concilient (PALLAS l. m. c.), feminis multis coſmetici loco inſeruire. Medici vix intus adhibuere ceruſſam: Externum vero vſum iam DIOSCORIDES (l. c.) ad excreſcentias leniter reprimendas, et vulnera ad cicatricem perducenda, inſperſam pulueris forma in vlceribus leuibus, etiam ſaniem plorantibus, inflammationibus nulla humorum corruptela ſtipatis,

ipſa

ipſa prurigine, ſerpigine et infantes toties torquente intertrigine alii (PAVL. AEGINETA l. c. L. V. c. 60. ETTMÜLLER Oper. T. II. L. I. Sect. 9. p. 384. et T. III. Sect. 1. c. 1. art. 1. p. 412. FR. HOFFMANN medicin. ration. ſyſtemat. T. III. p. 436.), in excoriatione ani alui fluxus acres vel equitationem inſequente LOESECKE (l. c. p. 380.), in cancro aperto I. H. IAENISCH (*Abhandlung von dem Krebs, und der beſten Heilart deſſelben.* S. Petersburg. 1784. 8.) commendarunt; at multa etiam circa externum ceruſſae huius vſum circumſpectione opus eſt, isque, quum partibus intertrigine laborantibus (MOEGLING apud ZELLER l. c. p. 18.), vlceri pone aures acrem ſaniem ploranti (MOEGLING l. m. c.), pedibus ſudorem foetidum ſtillantibus (ARNEMANN *Entwurf einer practiſchen Arzneymittellehre.* Göttingen. 8. P. II. 1792. p. 119.) inſperſa, peſſime nocuerit, in his malis (MOENCH *ſyſtematiſche Lehre von den Arzneymitteln.* p. 388.), perinde ac in eryſipelate caute potius euitandus.

Sandyx, ex ceruſſa igne, donec ſandarachae colorem nacta fuerit, vſta, DIOSCORIDIS, et GALENI (ll. cc.) tempore etiam medicis vſitata.

Magiſterium plumbi, *Magiſterium ſaturni*, calx plumbi alba ex aceto plumbi rarius per vini ſpiritum (ORTH l. c. p. 17. §. XIII.), quam per ſal tartari ſiue aqua vulgari ſiue ex atmoſphaera attracta ſoluto (ORTH l. m. c. MICHAELIS annot. in SCHRÖDERI pharmacol. c. XIII. JUNGKEN chem. experiment. curioſ. p. 383.), eo in caſu acido aëreo grauida, ant per vitrioli acidum (ALBRECHT l. c. p. 31. §. XX.), nunc vitrioli acido imbuta, ab (A MYN-

SICHT et M. ETTMÜLLER Oper. P.II. p.315.) in phthiſi et febre hectica commendata, aut per ſalis communis ſpiritum (*Lac plumbi, Lac ſaturni*) praecipitata, a poſteriori acido eodem impraegnata, aut (ANGELVS SALA ſept. planet. terreſtr. recenſ. Oper. p. 213. LE FEBURE *chymiſcher Handleiter* p. 644.) omni humore per diſtillationem ſublato ab aceto ſuperſtes, non inter coſmetica modo relata, ſed ſi ANGELO SALAE (l. m. c.) credas, in cancro, lupo, igne perſico mirifica, et intus a granis duobus ad quinque cum vino albo aut alio liquore ſorbta, dolores mitigans, humorum in ventriculo fluctuantium acrimoniam coercens, colicam, paſſionem iliacam, infarctus et ſcirrhos hepatis ſanans; noſtra tamen aetate fides his encomiis adhibita euiluit.

Praecipitatum Saturni, calx plumbi alba ex ſaturni extracto per aquam fontanam praecipitata, cum pauca aqua agitando permiſta a JANIN (l. c. p. 442. 443.) non ſolum tanquam medicina coſmetica, qua lauari bis per diem partes debent, ſed etiam in hordeolis et lichenibus palpebrarum commendata.

Plumbum vſtum, calx plumbi addita ſulphuris circiter ſexta parte, vſtione parata, huius igitur acido imbuta, griſea, DIOSCORIDIS (l. c. c. 48.) aeuo celebris, qui etiam ſcorias plumbi feraces contuſas et elotas (l. m. c.) medicamenti externi vices gerere poſſe refert.

Cineres plumbi, aliis quoque (Pharmacop. Wirtemberg. P. II. p. 131.) *Plumbum vſtum*, ex plumbo

plumbo meraco in calcem cineream exuſto nati, emplaſtri, quod audit, ſaturnini materies.

Minium, plumbi calx laete rubra diuturno, at leniori, quo non liquefit, igne ex plumbo puriſſimo parata, fixo in igne habitu et facili in vitrum tranſitu haud aegre a cinnabari diſcernenda, rarius per ſe, vt aiunt, ſed aut ſolutum, aut vnguentorum emplaſtrorumue forma indutum adhibetur.

Lithargyrium, mediae inter calcem et vitrum indolis, ponderoſum, ſquamoſum, coloris flaui nunc pallidioris (*Lithargyrium argenti*, *Spuma argenti*, *Argyritis*), nunc propius in rubrum vergentis (*Lithargyrium auri*, *Chryſitis*), in depuratione atque excoctione metallorum nobilium potiſſimum naſcens, ideo vix vnquam a cupri, ex his metallis extracti, calce liberum, DIOSCORIDI (l. c. c. 52.) et GALENO (l. m. c.) notiſſimum, quamuis ab illo ad morbos oculorum ſanandos, ad cicatrices et rugas cutem defoedantes aequandas, ab hoc (l. m. c.) in intertrigine, etiam ab aliis ad diſcutiendas inflammationes et exſiccanda vlcera (P. HERMANNI cynoſur. mater. medic. Argentor. 4. 1726. P. III. p. 138.), ab ETTMÜLLERO (Colleg. conſultator. p. 314.) cum aceto, farina fabarum et cumini ſeminibus in cataplaſma ſubactum, ad tollendum ſcroti teſticulique tumorem, extrinſecus applicatum, ab aliis adeo (I. ZWINGER principiorum chymicorum examen ad generalem Hippocratis, Galeni, ceterorumque Graecorum et Arabum conſenſum inſtitutum. Baſil. 1606. 8.) intus adhibitum fuerit; terrent tamen probos medicos non ab interno modo vſu, quae ſupra memorata ſunt,

ſed

ſed exemplum feminae, quae ingratum faciei ruborem diſpulſura axillis quotidie bis aut ter eius pulverem inſperſerat (MOEGLING l. c.), et viri, qui, pruritum moleſtum mitigaturus, cataplaſmati impoſito lithargyrium adiecerat (BAKER apud PERCIVAL l. c. p. 18.), vtriusque ventris doloribus diriſſimis mulctati inſignem in ipſo externo vſu circumſpectionem commendat. Quare hodie apud Medicos vix vſu venit, tanto frequentius parandis aliis medicinis inſeruiens: Vix differt ab hoc lithargyrio

MOLYBDAENA veterum (DIOSCORIDES l. c. c. L.) ſcopo, vlcera ad cicatricem perducendi, olim vſitata.

Scoriae argenti (DIOSCORIDES l. m. c. c. LI.) vtplurimum plumbum continentes, veteribus eundem, quo lithargyrium, in finem adhibitae.

II. SOLVTIONES PLVMBI.

Acetum plumbi, *Acetum ſaturni*, dulce, a ſpiritu ſalis communis et ammoniaci, a cineribus clauellatis, ſale tartari, communi, ammoniaco, a vitrioli acido et ſalibus illud continentibus, ab ipſa aqua fontana adfuſa lactis inſtar turbidum; rarius ex plumbo metallica facie induto (ANGEL. SAL. l. m. c. ORTH l. c p. 13.) aut eius minera (ORTH l. m. c.), quam eius calce, et aceto, cui aliquando pauxillum acidi nitri (ORTH l. m. c.) adiicitur, paratur: Hoc aceto externo vſui deſtinato, vna cum decocto theae et ſpiritu vini camphorato parca manu addito enematis forma ano iniecto alui profluuium feliciter ſuperauit ADAIR (apud DUNCAN medical commentar. for 1783. 1784.). Sunt autem pro diſcrimine calcis

tria

tria huius aceti genera, quorum effectus ceterum parum inter ſe differunt.

Acetum ceruſſae, ab Oswaldo CROLLIO (Baſil. chymic. p. 470.) iam commendatum ex aceto et ceruſſa, quae et ab aliis metallis purior eſt, et maiori copia acetum intrat, vt ei ſaturando magis par ſit, modo terreis mangoniis libera ſeligatur ceruſſa.

Acetum minii, *Tinctura minii*, ex minio a cupri labe ſane libero in pollen tenerrimum contrito et aceto parata iam ab O. CROLLIO (l. m. c.), nuperius ab V. CHRPH. SALCHOW (*Chirurgiſche Beobachtungen.* Altona. 8. Dritt. Aufl. 1784.) laudata, hic tamen non extrinſecus modo aeque ac alia ſaturnina aceta adhibuit, ſed guttis quatuor quater per diem ingeſtis, liquore vegeto-minerali Goulardi ſimul extrinſecus adhibito, gonorrhoeam veneream cum teſticuli tumore coniunctam, imo eius cortici peruuiano et caſcarillae nuptae auxilio febrem inflammatoriam vehementiſſimis lateris doloribus ſtipatam feliciter ſanaſſe ſe narrat.

Acetum lithargyrii, reliquis acetorum ſaturninorum generibus vulgatius, etſi vix vnquam ſine omni cupri additamento, ex lithargyrio, quod tenuiſſime comminutum ſub continua agitatione, donec penitus ſolutum ſit, cum aceti boni dupla portione (GOULARD l. c. JANIN l. c. p. 441.) cocto natum, hac iam tenuiori et ſimpliciori forma a multis in inflammationibus externis, et modo cauſſa ſublata fuerit, iis ipſis, quae ab internis cauſſis oriuntur, ambuſtis, contuſionibus, vlceribus malignis in ſanationem vergentibus ſanandis (ALBRECHT l. c. p. 36.), partibus

partibus laeſis conſolidandis, vulnerum recentium ſiſtendo ſanguine (I. B. ZAPATA ſecreti varii di medic., chirurgia, raccolta da GIUS. SCIENTIA. Rom. 1586. 8.) cum fructu adhibitum; ita CAPITO (*Geſchichte und Verſuche einer chirurgiſchen Privatgeſellſchaft in Kopenhagen.* Kopenhag. 1774. 8.) tumorem ceruicis cancroſum, aliud colli vlcus cancroſum, vt tamen internum ſimul conii vſum praeciperet, et aceto, quo vlcus eluebatur, decoctum eiusdem herbae adderet, et labii cancroſum vlcus ſolo hoc aceto ſanauit SCHOENHEYDER (Collectan. ſocietat. medic. Havnienſ. Havn. 8. Vol. I. 1774.), qui quoque eius vſu progreſſum cancri mammam infeſtantis inhibitum vidit: Multum etiam contuliſſe ad ſanationem mammae cancroſae ſanguinem menſtruum fundentis, fomenti more applicatum, teſtis eſt CHR. PETER (diſſ. ſiſtens hiſtoriam rariorem mammae cancroſae ſanguinem menſtruum fundentis, methodo ſimpliciore ſanatae. Tubing. 1763. 4. p. 5.): Ita etiam partes poſt diuturnum decubitum a gangraena incipiente rubentes aceto lithargyrii aqua florum ſambuci temperato elui iubet FR. I. WOHLLEBEN (diſſ. de gangraena generatim, et in ſpecie de illa, quae a decubitu oritur. Vindob. 1777. 8.).

Extractum Saturni Janin (l. m. c.), ex aceto lithargyrii, tam diu, donec paſtae ſpiſſitudinem conſecutum fuerit, igni expoſito, tum, ſi duae aceti partes receptae fuerint (ſedecim partibus) aqua fontana bulliente ſub continua agitatione ſoluto, poſt viginti quatuor horas defuſo et lagenis bene obturatis aſſeruando natum, ab Auctore in inflammatio-nibus,

nibus, praeſertim oculorum ſummopere commendatum, anonymo auctori libelli (*Richtiger Gebrauch des Bleyextracts in äußerlichen Zufällen durch vielfältige Erfahrung beſtätigt.* Halle. 1783. 8.) ipſi Goulardiano in aliis quoque malis praeſtare viſum; ſufficit eius guttas quatuor additis adhuc tribus ſpiritus vini camphorati cum aquae fontanae vncia miſcere, eaque miſtura antea parumper calefacta oculum ſubinde lauare, et humectata illa ſplenia imponere.

Extractum Saturni Goulardi, non eſt niſi acetum lithargyrii ad mellis vsque ſpiſſitudinem coctum, adfuſa aqua diſtillata (a vulgari enim ſtatim lactis opacitatem induit et plumbi ſoluti plurimam partem dimittit G. MVRRAY de extracto ſaturni et aqua vegeto-minerali. Goett. 1778.) denuo ſoluendum, et in aceti lithargyrii conditionem reducendum, rarius ſpiſſiori illa forma adhibetur, niſi velis GOULARDUM ipſum hac ad emplaſtri ſpiſſitudinem accedente forma mammae tumenti, rubenti, induratae, vndique ſaniem ſtillanti fauſto cum euentu impoſuiſſe, ſed aut aliorum plumbeorum principem conſtituit materiem, aut quoniam plumbi facultatem concentratam, vt ita dicam, continet in caſibus, qui ea remedia requirunt, aliis additur (*Richtiger Gebrauch des Bleyextracts etc.* VINCENT journal de medecine, chirurgie, pharmacie. T. LV. 1781. Febr.): Ita gargariſmati, contra anginam adhibito, neque tamen niſi in vera inflammatoria, non perinde in catarrhali (*Richtiger Gebrauch des Bleyextracts etc.*) ſalutari RAULIN et BOUCHER (apud GOULARD l. c. p. 40.), alteri quod ad aphthas et linguae tumorem a febre

acuta

acuta ſuperſtites ſanandas imperauit SALCHOW (l. c.) extractum hoc adiicere; ita hoc extracto cum ($\frac{1}{3}$) terebinthinae oleo, ($\frac{1}{2}$) axungia leporis, et ($\frac{1}{48}$) petroleo in vnguentum redacto ſtrumam aliquoties diſpulit auctor libelli (*Richtiger Gebrauch des Bleyextracts etc.*); ita Cl. ALTHOF (*pract. Bemerkungen etc.* I. p. 181.) miſturae ex ſucco conii inſpiſſato, extracto hyoſcyami albi et extracto thebaico conflatae, quam alutae inunctam teſtibus a venereo virus inflammatis circumponi iubet, ſi quidem inflammatio non nimis violenta ſit, extractum hoc addit: In prolapſu iridis cum fructu applicat BELL (ſyſtem of ſurgery. Vol. IV. 1786.), in vlceribus ſcrophuloſis, ſpongioſis, marcidis, qualia in hominibus debilibus, eneruatis crebro obſeruantur, commendat (l. c. p. 77.) AIKIN, in vlceribus, quorum ſanationi aut nimia partium relaxatio, aut nimia humorum congeſtio obſtat, aeque ac in iis, quorum cauſſa interna ſublata eſt, praedicat expertus auctor libelli (*Richtiger Gebrauch des Bleyextracts etc.*), qui coniunctum cum aliis tum externis pharmacis feliciter quoque cancro labiorum vuluae, coniunctum cum ſapone veneto, herbis aromaticis et vino, fomentique ſpecie applicatum tumori articulum brachii ſuperioris occupanti, cum herbis aromaticis ac roborantibus ſimili forma applicatum vrinae incontinentiae a ſphincteris debilitate oriundae oppoſuit; in phimoſi et paraphimoſi, in penis vlceribus, ſi quidem cum frictione mercuriali coniungatur eius vſus, cum mica panis in emplaſtri formam redactum in bubonibus, ipſis iis, qui in ſuppurationem proni ſunt GOULARD (remarques et obſervations pratiques ſur les maladies veneriennes, avec

une

une ſeconde edition des maladies de l'uretre, et la compoſition des bougies ſpécifiques, pour guérir les embarras de ce conduit, et autres formules nouvelles et très utiles pour le traitement des maladies veneriennes. à Pezenas et Montpell. 8. T. II. 1760. p. 138 ſq. 120 ſq. 96 ſq.), conſentiente, quod poſteriores attinet, (apud eundem l. m. c.) DE LA PEURONIE, in ſcirrhis, ſcrophulis in cancrum pronis, phlegmone aliisque tumoribus GOULARD (traité ſur les effets des préparations de plomb etc.), ſaponi iunctum in anchyloſi recente, et humorum tendinum vaginas oblinientium nimia ſpiſſitudine GOULARD (l. m. c. p. 136 ſq.), cum ($\frac{3}{5}$) oleo oliuarum ſubactum in ambuſtionibus TERRAS (Journal de medecine, chirurgie, pharmacie. T. LXXXIV. 1790. Aug.); in eryſipelate merito damnat, in fiſtulis ac gonorrhoea ſecundaria tanquam inutilem repudiat eius vſum auctor libelli (*Richtiger Gebrauch des Bleyextracts etc.*).

Aqua vegeto-mineralis Goulardi, *Liquor vegeto-mineralis Goulardi* non eſt, niſi extractum ſaturni, plurima aqua, et, additamento in multis certe caſibus ſatis incongruo, vtplurimum vini ſpiritu (dupla ratione extracti portione) ſolutum, etſi cognito iam dudum aceto lithargyrii ſatis ſimilis, et a multis Germaniae chirurgis, e. gr. Ill. THEDEN (*neue Bemerkungen und Erfahrungen etc.*) ante GOULARDUM eodem cum ſucceſſu adhibitus, tanquam noua medicina (ll. cc.) a GOULARDO, eaque, quod magis adhuc reprobes, omnes fere externos morbos ſuperans, nulla cauſſarum, ex quibus multi oriun-

 tur,

tur, internarum ratione habita, depraedicatus, fomenti, balnei, iniectionis ſpecie adhibitus, cum mica panis coctus, aut aliis cataplaſmatibus additus, linteo carpto inſtillatus, in inflammationibus (THEDEN l. m. c.), etiam pertinacioribus (GOULARD l. m. c. p. 14.), et in gangraenam (IDEM l. m. c. p. 40.) vel ſuppurationem vergentibus (GOULARD l. m. c. p. 95.), in quibus duobus poſterioribus caſibus quam ſiniſtre vtplurimum adhibeatur, argumentis atque experientia nixus egregie oſtendit (l. c. p. 69. 71 ſq.) AIKIN, quemadmodum etiam in inflammationibus profundioribus parum praeſtare teſtatur I. CHPH. IAEGER (*Fünfzig chirurgiſch-practiſche Cautelen für angehende Wundärzte.* Francfurt. 1788. 8.), in aliis quoque interdum ſpem medici fallere ALBRECHT (l. c. p. 39.), tum in eryſipelate (GOULARD l. m. c.), e. gr. faciei (SALCHOW l. c.), ſi quidem ab externa violentia proficiſcatur (AIKIN l. c. p. 57.), neque per criticum naturae molimen in cutem depoſitum ſit, aut ab alia cauſſa interna natum, ideo penitus reiectus ab auctore libelli (*Richtiger Gebrauch des Bleyextracts etc.*), nam hoc praecipue in caſu gangraenam facilime excitat, tum in phlegmone (GOULARD l. m. c.), leuiori certe, ſanos cetera homines affligente, neque vltra cutem et pinguedinem extenſa (*Richtiger Gebrauch des Bleyextracts etc.*), diſcutiendis, et, dolorum reſpectu habito, leniendis, in eryſipelate vrethrae (GOULARD l. m. c. p. 47.), in tumoribus atque inflammationibus teſticulorum (AIKIN l. c. p. 54.), ſiue a contuſione et violentia externa (GOULARD l. m. c. SALCHOW l. c.), ſiue a labe venerea (CRIBB on the uſe of injections in the gonor-

rhoea.

rhoea. London. 1773. 8. ALTHOF l. c. p. 181. SALCHOW l. c.), ſiue a gonorrhoea ſuppreſſa (AIKIN l. m. c.) proueniant, aliis frigido (AIKIN l. m. c.) liquore vtentibus, aliis (Cl. ALTHOF l. m. c.) tepidum praeferentibus, qui quoque in inflammatione nimis violenta magis nocere, quam prodeſſe ſibi perſuaſit, in inflammationibus mammarum (BELL ſyſtem of ſurgery. Vol. V.), parotidis, faucium (GOULARD l. m. c. p. 30. BELL l. m. c.), praemiſſa venaeſectione, nec neglectis cantharidibus, cum melle roſarum, camphora et aqua reginae Hungariae combinatus (*Richtiger Gebrauch des Bleyextracts etc.*), oculorum (GOULARD et apud eum GAUTIER et COULAS l. m. c. p. 52. MELLIN l. c. p. 341. I. PRINGLE l. c. p. 160. GUERIN *Verſuch über die Augenkrankheiten.* Leipzig. 1773. POUPART journal de medecine, chirurgie, pharmac. T. XXXIX. DUSSAUSSOY ibid. T. LXVIII. 1786. Sept.), iis praeſertim, quae ab oculorum debilitate, ſiue a nimis intenſo eorum vſu, ſiue ab alia cauſſa proficiſcatur, aut externis cauſſis in ſanis cetera corporibus, non perinde in iis, quae ab interna acrimonia aut humoribus impuris naſcuntur (*Richtiger Gebr. des Bleyextracts etc.*), in inflammatione pedis, ab auulſo vngue nata (LOEFFLER ap. RICHTER *chir. Bibliothek.* Vol. VII. p. 790. 791.), in ambuſtionibus (GOULARD l. m. c. p. 70.), cum olei oliuarum aequali pondere ſubactus (TERRAS l. c.), in leuioribus potiſſimum tanto efficacior, quando partes combuſtae epidermide nondum laeſa tamdiu igni admouentur, donec calor et ardor ceſſet, non perinde in iis, quae profundius penetrant, et ſi non carnes et oſſa, tamen cutem et adipem violant, neque in ambuſtionibus

 oculo-

oculorum, ventriculi atque inteſtini recti (*Richtiger Gebrauch des Bleyextracts etc.*), melius in ambuſtionibus a puluere pyrio contractis (GOULARD l. m. c. p. 93.), in vulneribus ſclopeto (IDEM l. m. c. p. 10. 71.), certe leuioribus, ſano cetera corpori inflictis, neque oſſa, neque articulos, neque viſcera laedentibus (*Richtiger Gebrauch des Bleyextracts etc.*), in contuſionibus (GOULARD l m. c. p. 10. 71. 90. MELLIN l. c. p. 341.), etiam violentioribus (SALCHOW l. c.), niſi cum nimio tumore et nimia ſanguinis extra vaſa ſtagnantis copia coniunctis (I. CHPH. IAEGER l. m. c.), ſanos cetera homines afficientibus, et natiuum modo partium elaterem minuentibus aut delentibus (*Richtiger Gebrauch des Bleyextracts etc.*), et (GOULARD l. m. c. p. 9. et *Richtiger Gebrauch des Bleyextracts etc.*) ſugillationibus, ſymptomatibus puncturas apum (GOULARD l. m. c. p. 80.) et tendinum (GOULARD l. m. c. p. 30. 48.) inſequentibus, ſi quidem (*Richtiger Gebrauch des Bleyextracts etc.*) paulo maiore ſpiritus vini camphorati aut aquae vulnerariae copia temperetur, neque humorum acrium decubitus metuendus ſit, in phimoſi et paraphimoſi (GOULARD remarques et obſervations etc. p. 138.), ſi a tumore oedematoſo aut inflammatione naſcatur (*Richtiger Gebrauch des Bleyextracts etc.*), in gonorrhoea (SALCHOW l. c.), contradicente merito auctore libelli (*Richtiger Gebrauch des Bleyextracts etc.*), in panaritio (GOULARD ſur les effets des préparations de plomb etc. p. 30. MELLIN l. c. p. 341.): Dolores ab haemorrhoidibus caecis progenitos multum lenire GOULARDUS (l. m. c. c. 10. p. 220.), vix tamen, niſi recentiſſimos nodos eosque nunquam ſolum ſoluere

auctor

auctor libelli (*Richtiger Gebrauch des Bleyextracts etc.*); inteſtini recti prolapſi perinde ac herniae incarceratae repoſitionem multum adiuuare aſſerit GOULARD (l. m. c. c. 9. p. 217.), aſſentiente, ratione herniarum, AIKIN (l. c. p. 109.) et, abſentibus tum inflammatione, tum violentioribus ſpaſmis, auctore libelli (*Richtiger Gebrauch des Bleyextracts etc.*).

In vlceribus porro varii generis, malignis, inveteratis, ſinuoſis mirificam huius liquoris vim extollit GOULARDUS (l. m. c. c. 3. p. 95 ſqq.), aſſentientibus, ſi internarum cauſſarum ratio ſimul habeatur, aliis quoque medicis; callos tamen vlcerum eius vſu euaneſcere, cum AIKINO (l. c. p. 76.) vix ſperes, in ſpongioſis et ſcrophuloſis (AIKIN l. m. c. p. 77. 88.) tanto maiorem efficaciam exſpectans, qualem quoque alia adſtringentia, antiſeptica, topica ſpondent (IDEM l. c. p. 77. 86.), et memento, nimis diu et largiter denudatis cuticula et vaſorum oſcula hiantia offerentibus vlceribus applicata reſorberi tandem, et in interiora corporis deductum mala ſuperius enarrata progignere poſſe; vtilem etiam deprehendit in vlceribus MELLIN (l. c. p. 341.), efficaciſſimum experti ſunt SALCHOW (l. c.) et SABATIER (apud HVNCZOWSKY *mediciniſch-chirurgiſche Beobachtungen auf ſeinen Reiſen durch England und Frankreich, beſonders über die Spitäler.* Wien. 1783. 8.), aliique Gallorum medici (v. EVNDEM l. m. c.), in venereis partium genitalium non calloſis (*Richtiger Gebrauch des Bleyextracts etc.*), in ipſa ozaena et vlceribus ſinuoſis SALCHOW (l. c.); in fiſtula lacrymali iniectum egregiam opem tuliſſe bis vidit I. PH. HAGEN (*Wahr-*

nehmungen zum Behuf der Wundarzneykunſt in Deutſchland. Mietau. 1772. 8.), ipſum cancrum vſu huius liquoris feliciter ſuperari gloriatur GOULARDUS (l. m. c. c. 4. p. 125.), leniri eius vſu dolores, modo vini ſpiritus exulet, ſaniei profluentis foetorem atque acrimoniam teſtatur AIKIN (l. c. p. 83.); mitigari dolores etiam expertus eſt auctor libelli (*Richtiger Gebrauch des Bleyextracts etc.*); prodeſſe in excoriatione partium, longum decubitum ſequente et gangraenae metum incutiente, SALCHOW (l. c.), vulnera eius vſu conſolidari SALCHOW (l. c.), leuiora certe MELLIN (l. m. c.), ſanguinem ſiſti (SALCHOW l. c.), vt tamen alios medicos ſpes poſtremi huius effectus crebro fefellerit (ALBRECHT l. m. c.).

Tumores quoque omnis inflammationis expertes, ipſarum glandularum, ab eius vſu euaneſcere perhibet GOULARDUS (l. m. c.); idem expertum ſe eſſe in tumoribus parotidis et glandularum mammalium, loquitur MELLIN (l. c. p. 341. 342.), crebro omni fere caruiſſe effectu aſſeuerat AIKIN (l. c. p. 70.), qui heic etiam rationem cauſſae, in conſtitutione corporis generali ſaepe deliteſcentis, habendam eſſe, rectiſſime monet, ſcirrhos recentes, benignos, hominum cetera ſanorum, huic liquori cum mica panis in cataplaſma redacto interdum cedere, refert auctor libelli (*Richtiger Gebrauch des Bleyextracts etc.*), tumorem genu hydropicum, interna medicatione non neglecta, externo huius liquoris cum balſamo vitae externo coniuncti vſu diſpulit C. L. SCHMALZ (*Seltne chirurg. und medicin. Vorfälle.* Leipz. 1784. 8.), ipſum articuli fungum recentem, a ſola violentia externa natum

natum auctor libri (*Richtiger Gebrauch des Bleyextracts etc.*), hydroſarcocelen aliosque frigidos teſticulorum tumores eius vſu feliciter ablatos teſtatur GOULARDUS (remarques et obſervations p. 58-80.); tumorem mollem, poſt luxationem oſſium aliquando ſuperuenientem, auctor libelli (*Richtiger Gebrauch des Bleyextracts etc.*); tumoribus in oſſium fracturis obuiis ſplenia imponit, eodem liquore madida WILMER (caſes and remarks in ſurgery, to which is ſubjoined an appendix containing the method of curing the bronchocele in Coventry. London. 1779. 8.); hordeolum palpebrae eodem remedio diſſipauit SALCHOW (l. c.); furunculum auctor libelli (*Richtiger Gebrauch des Bleyextracts etc.*), irrito tamen frequentius atque infauſto conatu, quam exoptato euentu; pedem hominis fulmine icti omni ſenſatione carentem, vehementer tumidum, et a ſanguine extra vaſa ſtagnante rubentem, praegreſſa bis venaeſectione, et imperatis intus medicamentis antiphlogiſticis, fomento ex extracti ſaturni vnciis duabus et aquae libris duabus confecto, breui temporis ſpatio ſanauit ALIX (obſeruat. chirurgic. Altenb. 8. Faſc. I. 1774.). Tumores ſcrophuloſos recentes, adhibitis ſimul intus laxantibus et reſoluentibus perinde ac aquoſos, ex debilitate partium ſingularium prouenientes, hoc liquore ſaepe diſpulſos vidit auctor libelli (*Richtiger Gebrauch des Bleyextracts etc.*).

Principem liquoris huius virtutem ponit GOULARDUS (l. m. c. c. 1. 7. 8. p. 10. 173. 187.) in medela, quam cutis affectibus affert; neque vana omnino eſt iſta laus, modo originis, ex quo promanant iſtae

 efflo-

efflorefcentiae (*Richtiger Gebrauch des Bleyextracts etc.*) ratio habeatur; eandem efficaciam in morbis cutaneis topicis experti ſunt AIKIN (l c. p. 101.) et MELLIN (l. c. p. 341.); in cutis puſtulis faciem defoedantibus GOULARDUS (l. m. c. c. 7. p. 173.), in cuprea faciei rubedine perinde ac in tinea SALCHOW (l. c.), in lichenibus THEDEN (*Unterricht für die Unterwundärzte bey Armeen, beſonders bey dem königlich-preuſſiſchen Artilleriecorps.* Berlin. 8. Th. I. 1774.), in efflorefcentia illa cutis, quam nonnulli nulla febre ſtipatam verno tempore experiuntur (*Richtiger Gebrauch des Bleyextracts etc.*), in ſcabie praeſertim THEDEN (*neue Bemerkungen und Erfahrungen zur Bereicherung der Wundarzneykunſt und Medicin.* Berlin und Stettin. 1771. 8. ſect. 14. p. 94.), GOULARDUS (l. m. c. c. 8. p. 187.), MELLIN (l. c. p. 341.) et SALCHOW (l. c.); pruritum poſt diuturnum exanthema infantem excrucians ſuperſtitem ſedimento ex hoc liquore ſponte delapſo ſuſtulit MVRSINNA (*mediciniſch-chirurgiſche Beobachtungen, nebſt einigen Anmerkungen darüber.* Berlin. 8. Zweyte Samml. 1783.).

Mitto facultatem, quam, denegatam ab auctore libelli (*Richtiger Gebrauch des Bleyextracts etc.*), GOULARDUS ſuo liquori tribuit, articulis rigidis mobilitatem reſtituendi, et luxationes ſuperandi (l. m. c. p. 136.), cum, quod AIKIN iam dudum ſolide demonſtrauit (l. c. p. 87.), nequaquam firmo nitatur fundamento iſtud encomium; neque, niſi cauſſa doloris eius indolis ſit, vt plumbeis iſtiusmodi medicinis tolli poſſit, multum confido in virtute eius dolores ſopiendi, quam SALCHOW (l. c.) in dentium doloribus,

ribus, liquore hoc os crebro eluendo, eumque penicilli oſſe dentibus carioſis illinendo, auctor libelli (*Richtiger Gebrauch des Bleyextracts etc.*) in ipſis doloribus arthriticis expertos ſe eſſe commemorant.

Et quamuis inficias ire nolim, liquorem hunc, qualis ab Ill. THEDEN (*Unterr. für Unterwundärzte etc.*) ad roboranda membra debilitata praecipitur, eo pollere effectu, mallem tamen hunc ferri ſcobi tribuere, quae liquori addita, praecipitato plumbo, acidum ſubit.

At non in externo tantummodo huius liquoris vſu ſubſtitit GOULARDUS; in vrinae ardore, profluvio ſeminis non voluntario, gonorrhoea a laxitate oriunda, ipſa dyſenteria internum commendare vſum non dubitans; dilui autem eum in finem extracti guttas duodecim ad quindecim menſura aquae iubet.

Lac plumbi, aliis *Lac virginis*, acetum plumbi, poſt affuſum ſal commune vel alumen aqua ſolutum, plumbum calcis albae forma dimittens, et inde lactis inſtar turbidum, a multis inter coſmetica relatum, reliquis ſaturninis ſimile, a LOESECKE (l. c. p. 382.) contra ambuſta, a PLENCKIO (Syſtem. tumor. p. 67.) contra panaritium commendatum.

Pſoricum Galeni (l. c. l. IX.) ex lithargyrio et duplo chalcitis portione, vtroque aceto ſoluto, et poſt commiſtionem leni calore digeſto paratum, provti nomen iam indicat, in cutis affectibus GALENI tempore vſitatum.

Oleum ſaturni ex ſaccharo ſaturni aliquoties denuo per acetum ſoluto, et in cryſtallorum formam

Cc 5 redacto,

redacto, tandem ad aërem deliqueſcente natum, olei ſpiſſioris ſpeciem prae ſe ferens ab O. CROLLIO (Baſilica chymica. p. 472.) ad guttas aliquot cum vino albo ſorbtum in colica commendatum.

Tinctura Saturni, *Tinctura antiphthiſica*, aliis a I. MICHAELIS (diſſ. de phthiſi. Lipſ. 1658. 4. M. ETTMÜLLER colleg. pract. p. 403. ORTH l. c. §. XV. p. 18.), aliis a G. W. WEDELIO (pharmac. acroamatic. Ien. 1686. 4. p. 516.), plurimis a GRAMMANNO denominata, virtutem adſtringentem ac roborantem, quam, a guttis decem ad triginta vsque guttas exhibita, in profuſioribus iuſto et vires aegri exhaurientibus ſudoribus ſiſtendis (G. W. WEDEL amoenitat. mater. medic. Ien. 1684. 4. p. 349.), in febre hectica (M. ETTMÜLLER l. m. c. p. 316. et colleg. conſultator. p. 242.), phthiſicos potiſſimum ſenſim perimente (V. RIEDLIN lin. medic. ann. 2. p. 330. M. ETTMÜLLER colleg. pract. p. 403. R. A VOGEL praelect. de cognoſc. et curand. morb. §. 646. HOFFMEISTER apud ALBRECHT l. c. p. 41. WHITE apud DUNCAN medic. comment. Vol. III. faſc. 1. aus dem Engl. überſ. Altenb. 1776. p. 79. S. VOGEL *Verſuch einiger Beobachtungen*. Goett. 1777. p. 12.), infringenda potius et demulcenda, et ne hos quidem effectus ſemper ſortiri teſtis eſt (l. m. c.) WHITE, quam ſananda exſeruit, et (P. HERMANN l. c. p. 142.) in vlceribus renum et pulmonum, in ſanguinis ex pulmonibus et vtero (REYNOLDS medical tranſactions Vol. III. 1785.) aliisque partibus (ORTH l. c. §. XV. p. 19.) largiori iuſto profluuio, in pollutionibus nocturnis et gonorrhoea exſeruiſſe fertur, potius

ferro

ferro per acetum ſoluto, quam plumbo debet; ſi enim ſecundum praeſcriptam legem ex vitriolo ferri et ſaccharo ſaturni, aceto interdum adhuc ſuperaccedente et ſpiritu vini paretur, plumbum vitrioli acido attracto in fundum delabi, ferrum eius loco acetum ſubire, tincturam ideo a ſedimento defuſam hoc ſolum continere, ſolidis argumentis et congruis experimentis demonſtrauit CNOPF (*neueſte Entdeckungen in der Chemie.* Th. X. 1783. p. 91 ſq.).

III. SALIA SATVRNINA.

Extractum Saturni ſiccum, non eſt niſi extractum ſaturni ad mentem GOULARDI paratum, per continuatam euaporationem omni humore orbatum, quum minus multo ſpatium occupet, ab Ill. THEDEN (*Unterr. für Unterwundärzte etc.*) pharmacopoliis militaribus commendatum: Drachma eius vnciis ſex vel octo aquae diſtillatae potentiam, quae plumbi ſolutionibus competit, ſatis intenſam impertitur.

Saccharum ſaturni, *Sal ſaturni*, *Dulcor ſaturni*, *Mel Saturni* (O. CROLLIVS Baſilic. chymic. p. 470.), *Magiſterium ſaturni* (ANGELVS SALA l. m. c.) ſal album aciculare dulce, aqua diſtillata facile cum perfecta pelluciditate ſoluendum, aquam vulgarem turbidam reddens, ex aceto ceruſſae ad congruam ſpiſſitudinem cocto et refrigerato delabens, externo vſu iam dudum merito celeberrimum, ſiue (O. CROLLIVS l. m. c. p. 472.) oleo terebinthinae, quod inde rubeſcit, ſolutum (*Balſamum plumbi*), ſiue cum oleo oliuarum, et chamomillae et aqua roſarum ſubactum (O. CROLLIVS l. m. c. p. 472.), ſiue

aliis

aliis linimentis, cataplaſmatibus et emplaſtris additum (O. CROLLIVS l. m. c. p. 473. P. SHAW new practice of phyſic. London. 8. Ed. IIIth. 1730. II. p. 577. 578. 629. 645.), ſiue quae forma reliquis in plurimis caſibus praeſtat, aqua quadam diſtillata ſolutum (O. CROLLIVS l. m. c. p. 472. 473.), et vel fomenti, balnei, lotionis forma adhibitum, vel iniectum, in vlceribus malignis, ſerpentibus, inueteratis, ſinuoſis (O. CROLLIVS l. c. p. 472.), ipſo lupo et (SHAW l. c. II. p. 629.) cancro, tum aliarum partium, tum praeſertim mammarum (O. CROLLIVS l. m. c. BEGVIN l. c. p. 331.), tam ſanandis et cicatrice occludendis (SHAW l. c. II. p. 645.), quam mundandis, in impetigine et puſtulis faciei (O. CROLLIVS et BEGVIN ll. mm. cc.), in rubedine et inflammatione oculorum (O. CROLLIVS l. m. c.), in ipſa purulenta, ſi cum aqua ophthalmica ſapphirina permiſceatur (*Richtiger Gebrauch des Bleyextracts etc.*), et aliarum partium (O. CROLLIVS et BEGVIN ll. mm. cc.), in ambuſtis (O. CROLLIVS et BEGVIN ll. mm. cc.), et tumoribus (O. CROLLIVS et BEGVIN ll. mm. cc. SHAW l. c. II. p. 577. 578.), apoſtematibus et vulneribus (O. CROLLIVS l. m. c.) efficax. Inflammationibus externis eximie conducere aqua ſolutum confirmat (Elem. chem. T. II. p. 456.) H. BOERHAAVE; in oculorum certe inflammationibus egregiam opem tulit M. ETTMÜLLERO (Colleg. practic. p. 595.), POUPARTIO (journal de medecine, chirurgie, pharmacie etc. T. XXXIX. 1773. Mai.), et in decocta cum herba maluae aqua ſolutum DUSSAUSSOY ibid. T. LXVIII. 1786. Sept.), vt mittam alios, in ipſa partium colli internarum inflammatione, ſi tres eius drachmae menſura aquae roſarum,

roſarum, libris duabus aquae reginae Hungariae ſoluantur, et cum dimidia camphorae cum ſaccharo tritae drachma, et tribus mellis roſarum vnciis ſoluantur (*Richtiger Gebrauch des Bleyextracts etc.*), adeo in gangraenam procliui, RAULIN (traité des maladies occaſionnées par les promtes et frequentes variations de l'air. 1752. 12) et BOUCHER (recueil d'obſervations de médécine, chirurgie, pharmacie etc. T. VIII. 1785. Jun. p. 557.), penicilli ope tonſillis illitum; in aphthis ipſis vlcuſculis applicari iuſſit tanquam praeſtantiſſimum medicamentum O. CROLLIVS (l. c. p. 471.); aqua diſtillata, vel calcis, vel vulneraria ſolutum gonorrhoea et fluore albo laborantium vrethrae et vaginae iniiciendum ſuadent poſt LOESECKE (l. c. p. 382.), W. CRIBB (Conſiderations on the uſe of iniections in the gonorrhoea. Lond. 1773. 8.), qui granum, vncia aquae ſolutum, ter per diem iniici, et, niſi decem dierum ſpatio huic cedat, tantundem vitrioli albi, et mediam partem camphorae cum ſpiritu vini rectificato tritae addi iubet, J. HUNTER (on the venereal diſeaſe. Lond. 1786. 4.), qui quatuordecim grana octo aquae vnciis ſolui imperat, GIRTANNER *Abhandl. über die veneriſche Krankheiten.* Götting. 1788. 8. p. 283.) et S. HAHNEMANN (*Unterricht für Wundärzte über die veneriſchen Krankheiten, nebſt einem neuen Queckſilberpräparate.* Leipz. 1789. 8.), qui tria, quinque (in feminis), decem ad quindecim eius grana aquae vncia ſoluta, et cum ſpiritus nitri dulcis guttis triginta, quae tria ad octo opii grana diſſoluta in ſe continent, tepida octies vel decies per diem iniici praecipit: Cum albumine oui aut mucilaginibus ſubactum, magno cum fructu

adhibuit

adhibuit in ophthalmia M. ETTMÜLLER (Colleg. practic. p. 594.).

Efficax porro ſe praeſtitit, aliorum quoque teſtimonio, in tumoribus, praeſertim teſticulorum, etiam venereis, diſſipandis (BELL ſyſtem of ſurgery. Vol. V. 1787. GIRTANNER l. m. c. p. 118.), in vulneribus ſanandis (I. AGRICOLA commentar. in I. POPPIVM P. I. tr. de ſaturno. p. 224.) cum albumine ouorum ſubactum, et doloribus, quibus crebro ſtipantur, mitigandis (BELL l. m. c.), opio temperatum, in vlceribus, etiam ſcorbuticis (MUYS prax. chirurg. rational. Dec. I. obſ. 6. p. 36.), ipſis cancroſis, ſiue cum fuligine permiſtum, et cum ſucco ſonchi et plantaginis ſubactum, ſiue terebinthinae oleo ſolutum, et camphora oleoque fuliginis temperatum fuerit (M. ETTMÜLLER chirurg. medic. p. 64.), ſanandis, in verrucis mollibus et ſuppurantibus tollendis, aqua plurima ſolutum (BELL l. m. c.): In puſtulis in facie erumpentibus delendis SHAW (l. c. I. p. 342.), in ſanguine ex tumoribus cultro apertis (IDEM l. c. II. p. 588.), ex vlceribus acrem ſaniem plorantibus (IDEM l. c. II. p. 450.), ex naribus (IDEM l. c. I. p. 360. 361.), etiam febricitantium (IDEM l. c. I. p. 129.) ruente ſiſtendo, in hyſtericis acceſſibus, aceto ſolutum, et linteis exceptum aegrotarum ventri impoſitum (IDEM l. c. I. p. 423.): Ad libidinem veneream reprimendam cum oleo ſubactum pubis regioni inungendum ſuadet O. CROLLIVS (l. c. p. 473.): Ad fluxum alui compeſcendum enematibus adiici iubet GOULARDUS (remarques et obſervat. etc. p. 183 ſq.).

Sed internus quoque vſus ſacchari huius doloſi oppoſitus multis morbis internis fuit, anteſignanis

THEOPHR.

THEOPHR. PARACELSO (V. TH. ERASTI diſput. de medicina Paracelſi. 4. Baſil. 1573. §.IV. p. 218.), TACHENIO (Hippocrates chymicus. p. 150.), et O. CROLLIO (l. c. p. 472. 473.), applaudentibus N. SEERVP (triumphus lithargyrii ſ. diſſ. medico-chymica, qua vindicatur ſaccharum ſaturni et mercurius lithargyrii ab animaduerſionibus D. C. IAEGERSCHMIDII. Hafn. 1700. 4.), C. FR. HVNDERTMARK (exercitatio de ſacchari ſaturni vſu interno ſalutari, in qua ſimul varia chemiae capita illuſtrantur. Lipſ. 1741.), P. HERMANN (l. c. p. 141. 142.) et WERCHAV (diſſ. I. et II. de plumbo eiusque in corpus humanum vi medicamentoſa varia. Lipſ. 1776. 1777.), damnantibus aliis e. gr. R. I. CAMERARIO (l. c. §. IX. p. 14. 15. EL. CAMERARIO de venenorum indole ac diiudicatione diſquiſ. extempor. Tubing. 1725. 4. p. 21. LILLE diſſ. de plumbi virtutibus medicis. Edinb. 1775. 8. D. W. NEBEL diſſ. de plumbo. Heidelb. 1787. 4.), aliis e. gr. BAKER (l. c. Vol. I. p. 234.), A. FOTHERGILL (l. c. p. 375.) ad caſus deſperatos reſtringentibus, aut parciſſimam granorum aliquot, trium vel quatuor (O. CROLLIVS l. m. c. A. FOTHERGILL l. m. c.), vtplurimum ſuperando malo parem (HAHNEMANN apud MONRO l. c. p. 220.) praecipientibus, aut opii (A. FOTHERGILL l. m. c.), aut ſpiritus nitri, cuius octo partibus ſoluunt, et aliquot ſolutionis guttas hauſtui decoctae cum hordeo aquae adiiciunt (A. GESNER et OOSTERDYCK SCHACHT Verhandelingen uitgegeewen door het zeelandſche Genootſchap der Wetenſchappen te Vliſſingen. P. III. Middelburg. 1773. et DE BEUNIE ibid. P. VI.) connubium imperantibus, aliis eam circumſpectionem,

ſerio

ſerio iniungentibus (MONRO l. m. c. p. 219.), vt non modo, morbo, quem debellare debebat, victo, ſtatim ab vſu huius ſalis abſtineatur, ſed, nondum quamuis victo, vt primum primi colicae ſaturninae prodromi comparent, illud remedium ſeponatur, et quicquid eius in inteſtinis adhuc haeret, tum cremore tartari aliisue ſalibus laxantibus oleo permiſtis expellatur, tum, quos excitauit, aut excitare adhuc poſſet, praui effectus, largis iuſculorum carnium et emulſionum hauſtibus, epithematibus, fomentisque humidis abdomini adplicatis, balneis calidis, et modo aluus prius ſatis euacuata fuerit, opii ope tollantur vel praeuertantur.

Ita v. g. in profluuiis ſanguinis cum fructu exhibetur (SHAW l. c. I. p. 362., qui tamen iuſto largiorem doſin praecipit, MONRO l. c. I. p. 218. BAKER l. c. Vol. I. p. 237.); ita grano vno, ſenſim grano vno cum dimidio cum conſeruae roſarum granis quatuor et tincturae thebaicae granis tribus ſenſim quinque in pilulas compactis, et ſingulis ſex horis repetitis, haemoptyſin, haemorrhagiam vteri et narium feliciſſime ſuperauit REYNOLDS (l. m.); in aliis quoque fluxibus eius vim experti ſunt multi (BAKER l. m. c.); ita in gonorrhoea commendarunt MICHAELIS (prax. clinic. P. I. c. 4. p. 266), LANGE (oper. T. I. p. 663.), ASTRVC (de morb. venereis. L. III. c. 2. §. 6), GOULARD (remarques et obſeruations etc. p. 58.), SHAW (l. c. I. p. 291. 315. 316.); ſcrupulum eius dimidium cum camphorae grano vno et dimidio, eſſentiae lignorum drachmis duabus, ſpiritus nitri dulcis drachma vna, et ſpiritus terebinthinae ſcrupulo vno ſolutum,

efficacem

efficacem deprehendit ORTH (l. c. §. XVI. p. 19.); oleo terebinthinae ſolutum (Colleg. pract. p. 469. conſultator. p. 315.), aut addita camphora cum extracto tormentillae in pilulas redactum (Colleg. practic. p. 469. et 912.), aut cum oſſibus ſepiae in puluerem contuſum (ibid. p. 469.) exhibuit M. ETTMÜLLER; in ardore vrinae puluerem eius nuce moſchata, lapidibus cancrorum et mandibulis lucii piſcis temperatum praeſcripſit (l. c.) P. HERMANN; in dyſenteria (l. m. c.) GOULARD: Commendarunt porro multi in vlceribus internis; ita addito camphorae grano ſcrupulum eius dimidium cum mercurii dulcis ſcrupulo vno, balſami copaibae drachma media et extracti ligni guaiaci drachma integra, ſucco liquiritiae et aqua nymphaeae in pilulas redactum (l. m. c.) ORTH; in ipſa phthiſi M. ETTMÜLLER (Colleg. conſultator. p. 262. practic. p. 401.) cum balſamo ſulphuris coniunctum, et febre lenta hectica (Colleg. pract. p. 315. 316.) oleo terebinthinae ſolutum (Colleg. conſult. p. 242.), in ſudoribus nocturnis et tuſſi (Colleg. pract. p. 408.) hanc toties comitantibus; ita in tuſſi ſicca et conuulſiua TACHENIVS (l. c.) et HOFFMEISTER (l. c. §. XVII. p. 27.) egregio cum euentu adhibuiſſe ſe aſſerunt: Ita febribus intermittentibus cum laudano opiato et coralliis rubris M. ETTMÜLLER (Colleg. pract. p. 278.), quartanis potiſſimam, etiam pertinaciſſimis nitro, ſali ammoniaco vel lapidibus cancrorum iunctum (Colleg. conſultat. p. 381. 398. 410.), aliis O. CROLLIVS (l. c. p. 473.) temperatum, ſpiritu vitrioli humectatum JÜNGKEN (chym. experim. glorioſ. p. 381 ſq.); ita alii aliis febribus et inflammationibus internis (O.

CROLLIVS l. m. c. p. 472. JÜNGKEN l. m. c. CHARAS pharmacop. reg. p. 335.), ita camphorae media portione temperatum maniae ORTH (l. m. c.), ad duo et octo vsque grana exhibitum LIEUTAUD (Précis de la medec. pratiq. à Paris. 1759. 8. p. 217.) oppoſuerunt; in furore potiſſimum vterino, nimia vtique drachmae dimidiae doſi SHAW (l.c. II. p. 430); ita in melancholia M. ETTMÜLLER (Colleg. practic. p. 875.), in malo hypochondriaco TACHENIVS (l. c.), malo hyſterico SAXTORPH, qui quartam grani partem ter, ſenſim ſexies per diem propinauit (Act. ſociet. medic. Havnienſ. Vol. III. n. 9.) cum fructu ſe adhibuiſſe aſſeuerant: Laudat quoque eius vſum internum in morbis lienis CROLLIVS (l. c. p. 473.), in omni hydropis genere PARACELSVS (ap. TH. ERASTVM l. c.) et BEGUIN (l. c.), ſi cum argento viuo coniungatur, in morbis ab aſcaridibus excitatis LE FEVRE (journal de medecine, chirurgie, pharmacie etc. T. XXXIX. 1753. Mai.), in obſtipatione alui et epilepſia infantum I. AGRICOLA (l. c. p. 223.), in lepra, peſte, colica BEGUIN (l. c.) ſanandis, in libidine moderanda O. CROLLIVS (l. c. p. 473.) et BEGUIN (l. m. c.); caue tamen, ne hanc exſtincturus omnem generandi facultatem deleas.

Spiritus ſaturni non eſt niſi acetum fortiſſimum, ex ſaccharo ſaturni vaſis clauſis commiſſo per ignis violentiam extortum, primo tenuius, poſt continuato igne ſpiſſius, vt oleum fere referat (*Oleum ſaturni* multis, CROLLIO trium guttarum doſi in colica cum vino commendatum) principio flaueſcens, ſerius obſcurius tinctum tranſtillans, facile flammam capiens,

capiens, omnino, quicquid ab alio aceto fortiori exſpectare iure poteris, ſimiliter praeſtans, ideo in febribus ardentibus, variolis, ipſa peſte (ORTH l. c. §. XII. p. 16. 17.), inflammationibus, ipſo gonorrhoeae ſtadio inflammatorio ſua vtilitate non carens, ſed neque in his morbis, neque in lepra, ſcabie, lue venerea, melancholia, quibus a Veteribus oppoſitus fuiſſe fertur (CROLLIVS l. c. p. 473. POTERIVS pharmacop. ſpagyr. c. XIX.) ſpecificae efficaciae.

Nitrum ſaturninum, ex nitri partibus tribus et ſacchari ſaturni partibus duabus ſimul aqua calida ſolutis, et aqua plurima vaporum ſpecie expulſa, in cryſtallorum formam redactis natum, valide adhuc adſtringens, et tum extrinſecus, tum ad grana tria et quatuor intus, emulſione quadam ſolutum ad ſanguinis profluuia ſiſtenda (Act. Ac. Caeſ. Nat. Curioſ. Vol. I. Obſ. 16.), etiam in aſthmate (SCHROEDER l. c. p. 474.) adhibitum.

IV. VNGVENTA SATVRNINA.

Quorum numerus, ſi priora noſtro aeuo diſpenſatoria peruoluas, ſatis ingens eſt, quamuis non omnia a plumbo vel plumbeis, quae recipiunt, nomen ſuum ſortita fuerint; pollent tamen omnia viribus, quas plumbum externo vſu exſerit, omnino pinguedine, quae plurimorum eſt baſis, camphora aliisque potentioribus, quae alia atque alia vnguenta ſaturnina praeter plumbum continent, magis minusue temperatis: Multum iam acre leniendo, aërem a partibus contectis arcendo, ſiue nuda applicentur,

ſiue linteo carpto, alutae, corio, telae linteae aut ſericeae allita, praeſtant plurima.

Vnguentum album (Pharmac. ration. Caſſell. p. 350. Pharmacop. Edinburg. Edit. in German. alt. p. 124.), *Vnguentum album ſimplex* (Pharmacop. Wirtemberg. P. II. p. 221.), *Vnguentum e ceruſſa* (Pharmac. ſuecic. Lipſ. et Alton. 1776. 8. p. 119. Pharmacop. Edinb. l. m. c.), olim amplior (JÜNGKEN corp. pharmaceutic. p. 656. b. New diſpenſatory. p. 634.) nunc ſimpliciſſima formula ex ceruſſa et dupla portione axungiae porci, optimum largitur medicamen externum deſiccans, refrigerans, repellens, in ambuſtis aliisque morbis externis egregium, quibus ſaturnina conducunt.

Vnguentum album camphoratum (New diſpenſatory. p. 634. Pharmac. ſuec. l. m. c.) melius vtique conficitur camphorae, cum olei guttis quibusdam tritae, drachmam vnam et dimidiam (New diſpenſatory l. m. c.) ad ſex vsque (Pharmac. ſuec. l. m. c.) cum libra vna et dimidia vnguenti albi, optime vſus demum tempore, ſubigendo, quam plura adhuc (JÜNGKEN l. m. c.) alia addendo: In inflammationibus externis, praeſertim haemorrhoidibus caecis inflammatis, egregie leniens.

Vnguentum ad ambuſta (JÜNGKEN l. c. p. 635. b) ceruſſam pariter ac camphoram recipit vna cum puluere olibani, oleo roſarum et albumine ouorum in mortario plumbeo in vnguentum redactam. Vſus ex nomine patet non incongruo.

Vnguentum ad ambuſta (JURINE journal de medecine, chirurgie, pharmacie etc. T. LXXXIV. 1790.

1790. Aug.) ex vncia cerae, vncia olei oliuarum, quo lithargyrii drachma prius ſoluta fuit, et opii ſcrupulo conflatur; in vlceribus laxis aut ſpongioſis augeri lithargyrii pondus, dolore minus vrgente omitti opium poteſt.

Vnguentum apoſtolorum (Pharmac. Wirtemberg. II. p. 221. 222.) praeter terebinthinam, ceram, multasque reſinas et gummireſinas aeruginem et lithargyrium recipit, cui certe multum earum virium, quas in vlceribus ſanandis exercuiſſe tradunt, debet ampla et AVICENNAE adſcripta compoſitio.

Vnguentum e calaminari lapide (Pharmac. ſuec. p. 119.) praeter lapidem calaminarem lithargyrium quoque continet, cui certe partem virtutis in oculorum morbis efficacis acceptam refert.

Vnguentum ad cancrum exulceratum Barbettae (PH. FRAVENDORFFER tabula ſmaragdina medico-pharmaceutica. Norimb. 1699. 12. p. 323. 324.), praeter alia adſtringentia et ſiccantia plumbum vſtum recipit.

Vnguentum ad cicatrices delendas Foreſti (PH. FRAVENDORFFER l. c. p. 324. 325.) lithargyrium continet, quod omnino ad vim in nomine promiſſam facit.

Vnguentum deſiccatiuum rubrum (New diſpenſatory. p. 637.), praeter lapidem calaminarem lithargyrium et pauxillum camphorae recipit; reliquis ſaturninis potentius exſiccare perhibetur.

Vnguentum diapompholygos (New diſpenſat. p. 638. Pharmacop. Wirtemb. p. 228.) praeter pom-

pholyga, a qua nomen traxit, plumbum vſtum et maiorem adhuc ceruſſae portionem recipit, in vlceribus et lippis oculis quondam vſitatum.

Vnguentum in eryſipelate Foreſti (DE SPINA manuale ſiue lexicon pharmaceutico-chymicum. Francof ad Moen. 1700. 8. p. 1033.) lithargyrium et ceruſſam continet; vix ſine periculo in morbo, cui dicatum eſt, adhibendum.

Vnguentum fuſcum Würzii (DE SPINA l. c. p. 1033.) praeter tutiam plumbum vſtum, ceruſſam et lithargyrium recipit, viribus ideo aliis vnguentis ſaturninis ſimile.

Vnguentum griſeum (JÜNGKEN l. c. p. 692. b.) praeter tutiam et lapidem calaminarem memoratas modo tres plumbi calces recipit, viribus idcirco ad reliqua vnguenta ſaturnina accedens.

Vnguentum haemorrhoidale Noricum (JÜNGKEN l. c. p. 645. b.) praeter opium et camphoram tres modo dictas plumbi calces continet, in haemorrhoidibus dolentibus eximium aegrorum ſolatium.

Vnguentum haemorrhoidale Wedelii (DE SPINA l. c. p. 1034.) praeter mucilagines reſinas et camphoram tutiam et ceruſſam recipit, ſcopo praefixo accommodatum.

Vnguentum ad herpetem Barbettae (PH. FRAVNDORFFER l. c. p. 328.) praeter flores ſulphuris ſaccharum ſaturni recipit, cuius vſus, quam circumſpectionem in herpete requirat, ſupra dictum eſt.

Vnguentum de liquiritia (Pharmacop. Wirtemberg. II. p. 224.) praeter liquiritiam et pompholy-

pholygem camphoram et magnam ceruſſae copiam recipit, cui potiſſimum virtutes in ſanandis leuioribus inflammationibus, excoriationibus et fiſſuris ipſi tributas debet.

Vnguentum e lithargyrio (Pharmacop. Wirtemberg. II. p. 225. 226.) praeter lithargyrium ceruſſam adhuc continet, vtrumque cum aceto et oleo roſato in mortario plumbeo ſubactum, in cutis vitiis ſanandis, et vulneribus ad cicatricem perducendis olim frequentis vſus.

Vnguentum de minio camphoratum (Pharmacop. Wirtemberg. II. p. 226.) praeter camphoram et minium tutiam quoque, ceruſſam et lithargyrium recipit, refrigerans, exſiccans, more aliorum ſaturninorum in ambuſtis et vlceribus efficax.

Vnguentum mundificans Stahlii (Pharmacop. Wirtemberg. II. p. 226. 227.) ex miſtura plumbi cum aequali argenti viui pondere, amalgama vocant, terra tripolitana et vnguento albo camphorato compoſitum, ad ſanandam ſcabiem aliasque cutis eruptiones commendatum.

Vnguentum nihili ad oculos Zwelfferi (JÜNGKEN l. c. p. 659. b.) praeter tutiam camphoram quoque et ſaturni ſaccharum ex minio paratum continens, in oculorum inflammationibus laudatum.

Vnguentum nobile Mynſichti (JÜNGKEN l. c. p. 693. b.) praeter gummireſinas, olea, ſulphur et vitriolum ſaturnum quoque recipit, amplo ingredientium catalogo, et artificioſa parandi ratione ſeculum inuentoris redolens, exoletum.

Vnguentum nutritum (New diſpenſat. p. 640. Pharmac. rational. p. 356. 357.), *Vnguentum ſaturninum* (Pharmac. ſuec. p. 121.), ex aceto ſaturni cum oliuarum oleo, cui ſueci medici ceram flauam addi adhuc iubent, ſubacto confectum, eam virtutem, qua plumbea vnguenta gaudent, intenſiori omnino gradu exſerens.

Vnguentum ad ophthalmiam ſiccam Sennerti (PH. FRAVNDORFFER l. c. p. 329.) praeter camphoram et aloën lithargyrium auri et argenti recipit, cui palpebris illitum potiſſimum debet vim, lenes oculorum inflammationes ſanandi.

Vnguentum ophthalmicum (BELL ſyſtem of ſurgery. Vol. IV. 1786.) praeter mercurium praecipitatum rubrum, lapidem calaminarem et tutiam lithargyrium quoque intrat, cui pars virtutis in oculi inflammationibus, certiſſime non omnibus, ſalutaris debetur.

Vnguentum ad perniones mirandum (SCHROEDER l. c. p. 302.) minio praeſertim debet vim, qua non perniones tantum, ſed etiam, modo partibus aegrotis antea ſpiritus vini fomenti inſtar applicatus fuerit, eryſipelas et mammillarum fiſſuras ſanaſſe fertur: Illinitur autem calidum plumae ope pernionibus, ſi quidem nondum vlcerati ſint, petroleo prius confricatis.

Vnguentum piacentinum (PH. FRAVNDORFFER l. c. p. 330.) praeter mercurium praecipitatum minium et ceruſſam recipit, quibus certe partem virtutis in vlceribus venereis efficacis, et in noſodochio Paduano celebratae acceptam refert.

Vnguen-

Vnguentum rubrum le Mortii (DE SPINA l. c. p. 1046.) minio colorem, et vna cum camphora potiorem efficaciae partem, quam in pernionibus diſſipandis et in ambuſtis medicandis edidiſſe traditur, debet.

Vnguentum ſaturninum (New diſpenſator. p. 641. Pharmacop. Edinburg. p. 128.) ſimplicitate ſua ſe commendat, quippe ex ſaccharo ſaturni cera alba et oleo oliuarum conflatum, omnibus ſane illis malis debellandis par, quibus vnguenta plumbea ſufficiunt et conducunt.

Vnguentum ſaturninum Goulardi (Traité ſur les effets des préparations de plomb etc. p. 10.) ex ſaturni extracto cum camphora et oleo roſato ſubacto conficitur.

Vnguentum ad ſcabiem (Pharmacop. Wirtemberg. p. 230. 231.) praeter terebinthinam, ſtyracem liquidam, oleum lauri, et mercurium praecipitatum album ceruſſam continet, quae, qua cautela adhiberi debeat, et quantum ad ſiccandam ſcabiem facere poſſit, ex ſupra dictis patet.

Vnguentum contra ſcabiem (SCHROEDER l. c. p. 302.) praeter terebinthinam, ſalem communem et ſulphur ceruſſam et lithargyrium recipit.

Vnguentum ad ſcabiem (JÜNGKEN l. c. p. 675. b.) praeter terebinthinam, ſtyracem liquidam, ſal commune et ſuccum limoniorum ceruſſam continet.

Vnguentum ad ſcabiem (DE SPINA l. c. p. 1048.) praeter alia vnguentum nutritum recipit.

Vnguentum tripharmacum (New diſpenſator. p. 642. 643.) non eſt niſi emplaſtrum commune cum aceto et oliuarum oleo permiſtum et in vnguenti ſpiſſitudinem redactum, aliis vnguentis ſimplicioribus ſaturninis ſimile.

Vnguentum de tutia (JÜNGKEN l. c. p. 692. b.) praeter tutiam et ſuccum ſolani ceruſſam et plumbum vſtum recipit, quae exſiccantem tutiae vim omnino augent.

Linimentum ſaturni compoſitum, Linimentum de amianto (SCHRÖDER l. c. p. 300.), quod veſperi inunctum multum in ſanandis tibiarum vlceribus, ſiccanda tinea et ſcabie valere, praedicat (l. c.) SCHROEDER, potiorem potentiae huius partem plumbo vſto debet, quod illud ingreditur.

CERATA, CEROTA

mediae, ſi ſpiſſitudinis rationem habeas, inter vnguenta et emplaſtra indolis, hinc ab aliis ad haec, ab aliis ad illa relata, ceruſſa ea forma iam DIOSCORIDIS (l. c. c. LIII.) aeuo adhibita.

Ceratum de minio rubrum (Pharmacop. Wirtemberg. II. p. 65.) nomen, tinctum, et potiorem efficaciae in ambuſtis, inflammationibus ſanandis, partibus a veſicatorio adplicato ſuppurantibus ac dolentibus demulcendis ſalutaris partem minio, alteram tamen camphorae debet.

Ceratum ſaturninum Goulardi (GOULARD l. m. c.) ex ſaturni extracto et quadrupla cerae citrinae portione, quadruplo pondere olei ex nucibus iuglandis

iuglandis expreſſi ſoluta compoſitum, in ambuſtis, vlceribus inflammatis aliisque malis plumbeorum vſui externo cedentibus mirifice efficax, in ambuſtis Cl. TERRAS (l. c.) efficacius viſum, ſi zinci flores fuerint intermiſti; huius vſu per ſex hebdomades continuato, epoto ſimul largis hauſtibus decocto maltae, vlcus malignum, foetidiſſimam ſaniem ſtillans, feliciter ſanauit SCHNEIDER (apud RICHTER *chir. Biblioth.* Vol. V. p. 542.), aliud tibiae vlcus pertinax, vt tamen continuato per tredecim hebdomades eius vſu, ſimul ſolutione mercurii ſublimati corroſiui per ſpiritum frumenti ardentem peracta quotidie illita, et intus nitro cum aliquot ſpiritus ſalis ammoniaci guttis ingeſto opus eſſet, IDEM (l. m. c. p. 543.); medicationem manus, gelu violenter aduſtae, praemiſſis aliis hoc cerato tandem abſoluit IDEM (l. c. Vol. XI. p. 317.); eodem cum aequali copia ſacchari albi, ſalis ammoniaci, et opii permiſto ſingulis diebus bis illito pertinaciſſimi exanthematis, faciem infantis defoedantis (l. c.) MVRSINNA.

Lintea cerata (GOULARD traité ſur les effets des préparations de plomb etc. c. 6. p. 10. 159.) ſunt lintea, permixta cum extracto ſaturni et camphora cera leni calore liquefacta perfuſa, doloribus rheumaticis atque arthriticis, dum partibus, per quas hi vagantur, circumponuntur, mitigandis ab inventore maximopere commendata, tumores capitis a violentia externa natos, quotidie renouata, bubones inguinales (LOEFFLER apud RICHTER *chirurg. Biblioth.* V. p. 751.), forſan quoque perniones diſcutientia, moleſtum multis in pedibus pruritum, plantis

pedum

pedum ſubiecta pellentia (IDEM l. m. c.), contegendis quoque vulneribus (IDEM l. c. Vol. VII. p. 792.), ſanandis a diuturno decubitu oriundis excoriationibus egregie inſeruientia, poſteriori ſcopo tanto magis accommodata, ſi oliuarum oleo inungantur (IDEM l. m. c. et *Beyträge zur Arzneywiſſenſch. u. Wundarzneykunſt.* Leipz. und Alton. 8. P. I. 1791.).

Cereoli mitigantes (GOULARD remarques et obſervations etc. T. II. p. 185 etc.) ex cera flaua, cui leniſſimo igne liquefactae extracti ſaturni pars triceſima ſecunda intermiſta fuit, conformati, ad vrethrae inflammationes, et atroces, quibus gonorrhoea non raro ſtipatur, dolores leniendos, ſi quidem dextra manu intrudantur, vtiliſſimi, ſanie adhuc ex vrethra ſtillante, noxii.

EMPLASTRA SATVRNINA.

Quum plumbi calces oleis, quibus ſoluuntur, tam facile illam tenacitatem concilient, qua potiſſimum chirurgorum vſibus inſeruiunt, non mirum eſt, iam ea de cauſſa ab omni medicinae (v. DIOSCORIDES l. c. c. L. LI. LIII.) aeuo alias atque alias plumbi calces principem emplaſtrorum conſtituiſſe materiem; ceterum ea etiam forma indutae notatos iam effectus exſerunt, quamuis et heic crebro tum aliis quoque potentioribus intermiſtis, tum ipſa maiori ſpiſſitudine aliter atque aliter variatos. Partes diuturno decubitu excoriatas, et ea de cauſſa rubentes noctu emplaſtro ſaturnino contegendas ſuadet (l. c.) WOHLLEBEN; ambuſtis partibus, quae ob ſitum ſuum, aut eo quod inde nimium relaxantur, cata-

plaſmata

plaſmata non admittunt, craſſam emplaſtri ſaturnini cruſtam imponi iubet CLEGHORN (medical facts and experiments. London. 8. Vol. II. 1792.); ſcirrhum ipſum, ſi ſimul inſpergatur ceruſſae puluis et interna malo accommodata remedia propinentur, eius vſu diſcuti, aſſeuerat (l. c.) I. H. IAENISCH.

Emplaſtrum adhaeſiuum (Pharmac. ſuec. p. 54. Edinb. p. 129.) liquando emplaſtrum commune cum reſinae albae $\frac{5}{32}$ paratum, ad arcendum a vulneribus aërem, turundas in his retinendas, olim quoque ob magnam, quae ipſi ineſt, tenacitatem ad labia eorum vnienda adhibitum.

Emplaſtrum adhaeſiuum (Pharmac. rational. p. 120.) ex reſina citrina liquefaciendo cum terebinthinae larignae quarta parte, et emplaſtri communis $\frac{3}{8}$ confectum, eidem, cui praecedens, ſcopo inſeruiens.

Emplaſtrum adhaeſiuum (New diſpenſat. p. 627.) ex emplaſtro communi cum media parte picis burgundicae liquefacto confectum.

Emplaſtrum album coctum (Pharmac. Wirtemberg. p. 57.), *Emplaſtrum de ceruſſa* ſoluendo ceruſſae partes ſex, et cerae albae partem vnam in olei partibus octo confectum, cicatricem vulnerum vlcerumque promouens; hoc ſolo impoſito cancrum occultum, et ceruſſa ipſa adhuc adſperſa ipſum apertum ſanatum refert (l. c.) I. H. IAENISCH.

Emplaſtrum anticolicum (Pharmac. rational. p. 122.), quatenus emplaſtrum de galbano crocatum baſin eius conſtituit, heic recenſendum, quamuis virtutem, a qua denominatur, reliquis, potiſſimum graueo-

graueolentibus, debeat ingredientibus, in variis abdominis affectibus, calefactum antea, huic imponitur.

Emplaſtrum antihyſtericum (Pharmac. ſuec. p. 55.), quatenus ex emplaſtro gummoſo potiſſimum conſtat, hic nominandum, virtutem tamen turbas hyſtericas ſedandi aſſae foetidae debet.

Emplaſtrum antipodagricum (Pharmac. Wirtemb. p. 57.) minio potiſſimum conſtat oleis ſoluto et cum ſapone coniuncto; quamuis a famigeratis medicis, partibus dolentibus applicatum, commendatum, infidum ſane, quemadmodum omnia eiusmodi medicamenta, ſolatium praeſtat.

Emplaſtrum apoſtolicum Zwelfferi (DE SPINA l. c. p. 377.) amplae mixtionis medicamen lithargyrii magna portio oleo veteri ſoluta ingreditur, ex quo virtus eius diiudicanda.

Emplaſtrum arthriticum (SCHROEDER l. c. p. 191.) quatenus emplaſtrum diachylon et diapalmae recipit, hic memorandum; caue tamen, per nomen ſeductus, membris arthritide laborantibus applices.

Emplaſtrum barbarum Londinenſe (DE SPINA l. c. p. 382.) praeter plurima alia lithargyrium quoque et ceruſſa intrant, quibus partem tenacitatis et virtutis debet.

Emplaſtrum e calaminari lapide (Pharmac. ſuec. p. 55.) ſola ſimplicitate ab emplaſtro griſeo diſcrepat, non enim eſt niſi emplaſtrum commune, cui ſub finem lapis calaminaris, cera flaua, ſeuum bouinum, et terebinthina intermiſcentur.

Empla-

Emplaſtrum calidum (New diſpenſat. p. 633. Pharmac. pauper. Edinb. Edinb. 1758. 8.) ex vna emplaſtri veſicatorii et quatuor communis partibus permiſtis conficitur, in variis rheumatiſmi generibus egregii vſus, partibus affectis applicatum.

Emplaſtrum in cancro palliatiuum anodynum Deckeri (FRAVNDORFFER l. c. p. 114.), cum emplaſtrum diapalmae et diapompholygos recipiat, huc referendum, vim tamen dolores demulcentem opio admiſto debet.

Emplaſtrum ad cancros Hoffmanni (JÜNGKEN l. c. p. 633. a.); huius quoque baſin emplaſtrum diapompholygos conſtituit; quid in cancro praeſtare valeat, ex ſupra de plumbeorum in cancro vſu dictis colligere licet.

Emplaſtrum ad cancrum exulceratum Plateri (FRAVNDORFFER l. c. p. 114.) praeter alia terrea et adſtringentia lithargyrium et plumbum vſtum recipit, ex quibus, quid exſpectari ab eius vſu poſſit, patet.

Emplaſtrum cicatricem inducens Barbettae (FRAVNDORFFER l. c. p. 115.) non eſt niſi emplaſtrum quoddam ſaturninum, cui miſtura plumbi cum aequali argenti viui pondere additur.

Emplaſtrum ad clauos et verrucas pedum (Pharmac. Wirtemb. p. 58. 59.), cum emplaſtrum diachylon ſimplex recipiat, hic etiam recenſendum, etiamſi maior pars efficaciae, quae ipſi tribuitur, a reliquis ingredientibus pendeat.

Emplaſtrum commune (Pharmac. ſuec. p. 57. Edinb. p. 130. rational. p. 124.) virtute reliquis em-

plaſtris

plaſtris ſaturninis aequale, ſimplicitate ſuperius, quum ex ſolo lithargyrio et oliuarum oleo confletur, vices emplaſtri diachylon ſimplicis aliorumque amplius compoſitorum egregie ſupplens, frequens quoque hodie aliorum emplaſtrorum baſis, ſi quidem optime et circumſpecte paratum ſit, album, alias in luteum vel cinereum colorem vergens, quo etiam tinctu diu aſſeruatum comparet.

Emplaſtrum commune adhaeſiuum (New diſpenſat. p. 627.) ex emplaſtro communi, cui leni igne liquefacto ſexta pars reſinae citrinae in puluerem contuſae intermiſcetur, conficitur.

Emplaſtrum commune cum gummi (New diſpenſat. p. 627.) ex emplaſtro communi leni igne liquefacto, et gummi galbano, terebinthina communi et thure pariter liquatis et cum priori confuſis conflatum, parum ab emplaſtro gummoſo diſcrepans.

Emplaſtrum de creta (DE SPINA l. c. p. 384.) plurimam certe efficacitatis ſuae partem ceruſſae debet, cuius partes octo cum cretae tribus et axungiae ſuillae duabus in emplaſtri ſpeciem compinguntur.

Emplaſtrum de cumino (Pharmac. Wirtemb. p. 59.) quum emplaſtrum diapalmae intret, hic nominandum, etſi virtutem flatus diſcutientem ſeminibus potius, a quibus nomen traxit, eorumque oleo et baccis lauri debeat.

Emplaſtrum defenſiuum, *Emplaſtrum roborans* (Pharmac. Edinb. p. 130.) ex emplaſtro communi potiſſimum conſtat, cui praeter ceram, reſinam

nam albam et oliuarum oleum colcothar vitrioli adiicitur.

Emplaſtrum defenſiuum rubrum (Pharmac. Wirtemb. p. 59.) praeter alia minium et camphoram recipit, a quibus vtique, quae ipſi tribuitur virtus, a vulneribus atque vlceribus inflammationem arcendi, deriuanda eſt.

Emplaſtrum defenſiuum rubrum Wepferi (Pharmac. Wirtemberg. p. 59. 60.) colorem et principem efficaciae partem minio debet.

Emplaſtrum diachylon compoſitum, *Emplaſtrum diachylon cum gummi* (Pharmac. Wirtemb. p. 61.) ex emplaſtro diachylon ſimplici, gummi ammoniaco et galbano crocoque conflatum, emolliendo ac digerendo in abſceſſibus ſanandis eximiae efficaciae.

Emplaſtrum diachylon ſimplex (Pharmac. Wirtemb. p. 61.) parum diuerſum ab emplaſtro communi, quum mucilagines additae vix aliquid faciant ad virtutem eius acuendam.

Emplaſtrum diapalmae, *Emplaſtrum diachalciteos* (Pharmac. Wirtemb. II. p. 61.) lithargyrio cum oleo cocto praecipue ſuam debet efficaciam, vt tamen aliquid etiam ab adſtringente vitrioli et foliorum quercus ingredientium virtute ſperes.

Emplaſtrum diapompholygos (Pharmac. Wirtemberg. II. p. 62. ſuec. p. 57.) praeter pompholyga, a qua denominatur, maiorem longe plumbi vſti et ceruſſae portionem recipit, a quibus igitur potius virtutem refrigerantem atque exſiccantem deriues.

Emplaſtrum diuinum (Pharmac. Wirtemb. II. p. 62.) valde compoſitum pharmacum, cuius baſin conſtituit lithargyrium cum oleo oliuarum coctum, viribus reſoluentibus, detergentibus, confortantibus olim celebre.

Emplaſtrum epiſpaſticum (Pharmac. pauper. Edinburg. p. 20.) emplaſtrum adhaeſiuum pro baſi habet, cui terebinthina et cantharides intermiſcentur.

Emplaſtrum exſiccatiuum Marburgenſe (DE SPINA l. c. p. 397.) praeter lapidem calaminarem et nihilum album ceruſſam, minium et lithargyrium recipit, in quorum indole nominis impoſiti rationem facile deprehendas.

Emplaſtrum ad fontanellas (SCHROEDER l. c. p. 193.) ceruſſa et lithargyrium intrant, arcendae inflammationi vtique paria.

Emplaſtrum pro fonticulis A. Stegmanni (FRAVNDORFFER l. c. p. 119.) praeter vitriolum album ceruſſa et lithargyrium ingrediuntur, quae certe ſcopo huius emplaſtri, fluxum excitandi, haud reſpondent.

Emplaſtrum de galbano Mynſichti (JÜNGKEN l. c. p. 639. a.) excluſo viridi aeris cum emplaſtro ad clauos et verrucas pedum conuenit, eidem quoque ſcopo deſtinatum.

Emplaſtrum de galbano crocatum (Pharmac. Wirtemberg. II. p. 63.) emplaſtrum diachylon ſimplex recipit, ideo hic nominandum.

Emplaſtrum griſeum (Pharmac. Wirtemberg. II. p. 63.) emplaſtro e calaminari lapide ſatis affine, ſimpli-

ſimplicitate tamen longe inferius, praeter lapidem calaminarem et tutiam lithargyrium recipit, cui certe virtutis vlcera ſiccantis et cicatricem inducentis plurimam partem debet.

Emplaſtrum gummoſum (Pharm. ſuec. p. 57. Edinburg. p. 131. rational. p. 125.) emplaſtrum diachylon cum gummi vi ſalutari aequat, ſimpliciori parandi modo ſuperat; baſin eius conſtituit emplaſtrum commune.

Emplaſtrum halenſe (ORTH l. c. §. XVIII. p. 20. 21.) nigrum, ex minio oliuarum oleo ſoluto, additis camphora et lauandulae oleo conflatur.

Emplaſtrum ad herniam (SCHROEDER l. c. p. 193.) praeter alia lapidem haematiten et ſaccharum ſaturni recipit, in herniis glutinandis et retinendis quondam celebratum.

Emplaſtrum ad herniam Londinenſe (DE SPINA l. c. p. 403.) praeter plurima alia ſicca lithargyrii quoque ſatis ingens pondus ingreditur, parum certe ab alio eiusdem furfuris emplaſtro, BARBETTAE nomine inſignito (FRAVNDORFFER l. c. p. 119. 120.) differens.

Emplaſtrum ad hernias Zwelfferi (JÜNGKEN l. c. p. 408.) pariter praeter multa alia adſtringentia et glutinantia lithargyrium et minium recipit.

Emplaſtrum imperiale (DE SPINA l. c. p. 409.) potiſſimum emplaſtro triapharmaco conſtat, cui praeter alia ceruſſa et lithargyrium admiſcentur.

Emplaſtrum magneticum Roſae (DE SPINA l. c. p. 410.) nigrum, ceruſſam et lithargyrium recipit,

cipit, cui certe potiorem virtutis partem debet, quam quidem magneti calcinato, omnino ſimul ingredienti.

Emplaſtrum mammillare (Pharmac. Wirtemb. II. p. 64. 65.) magnam certe virtutis, dolores in mammis a lactis abundantia profectos mitigantis partem emplaſtro de ſpermate ranarum debet, quod illud ingreditur.

Emplaſtrum manus Dei le Mortii (DE SPINA l. c. p. 419. 410.) a lithargyrio larga ſatis manu addito magnam certe efficaciae ſalutaris partem, quam in ſanandis vulneribus exſeruiſſe fertur, deducas.

Emplaſtrum e minio (New diſpenſat. p. 630.), ſi quidem rite paratum ſit, rubrum, quem colorem, perinde ac nomen et omen minio cum oliuarum oleo cocto debet, virtute emplaſtro communi ſimile, tenacitate inferius.

Emplaſtrum e minio cum ſapone (New diſpenſator. p. 630.) ex mox praecedente, cui adhuc calido ſapo hiſpanicus agitando miſcetur natum, ab hoc poteſtatem quandam diſcutiendi ſibi ſumens, in tumoribus arthriticis, qui tamen vix vnquam emplaſtra admittunt, nonnullis vſitatum.

Emplaſtrum miraculoſum (Pharmac. Wirtemberg. II. p. 65. 66.) omnem, quam in vlceribus inveteratis et vulneribus recentibus ſanandis miraculi inſtar exſerere, olim ſomniarunt, vim ceruſſae, lithargyrio et minio debet, cum oliuarum oleo coctis, perparum ſaponi et camphorae poſtea additis.

Emplaſtrum mitigatiuum (JÜNGKEN l. c. p. 614. a.) emplaſtro diachylon ſimplici, quod recipit,

magnam

magnam partem virtutis, quam in doloribus mitigandis exercere fertur, debet.

Emplaſtrum narcoticum Mynſichti (JÜNGKEN l. c. p. 495. a.), quod inuentor doloribus et cruciatibus podagricis audaci certe conſilio oppoſuit, tenacitatis et facultatis refrigerantis partem magnam ceruſſae intranti debet.

Emplaſtrum neruinum Vigonis (JÜNGKEN l. c. p. 590.) magnam lithargyrii et minii portionem recipit, quae, quamuis plurimis aliis diuerſiſſimae indolis iuncta characterem tamen ſibi proprium emplaſtro imprimunt.

Emplaſtrum noricum (Pharmac. Wirtemberg. II. p. 66.) colorem brunneum et virtutem ſiccantem minio, roborantem, ſi quam in neruoſas partes exercet, camphorae debet.

Emplaſtrum Opopeldoch (Pharmac. Wirtemb. II. p. 66. 67.) fuſcum, antiquae originis, quam ex inſigni quoque ingredientiam numero colligas, magnam virtutis in vulneribus ſanandis efficacis partem lithargyrio acceptam refert in oliuarum oleo ſoluto.

Emplaſtrum oxycroceum Vigonis (JÜNGKEN l. c. p. 607. a.) praeter alia ab aliis huius emplaſtris formulis eo quoque recedit, quod lithargyrium et minium recipiat, iisque additamentis facultate ſaturninorum emplaſtrum imbuat.

Emplaſtrum ex pelle arietina Arnoldini de Villa noua (JÜNGKEN l. c. p. 618. a.), quamuis ex numeroſis aliis conficiatur, efficaciae tamen potiorem

partem debet ingredienti lithargyrio, quam glutini pellis, cuius nomen in fronte gerit.

Emplaſtrum de plumbo Zwelfferi (JÜNGKEN l. c. p. 654. a.) vim exſiccantem, in vlceribus aliorum atque aliorum generum interdum ſalubrem, praeſertim zinci et plumbi calcibus, plumbi cineribus et ceruſſae debet, illud ingredientibus.

Emplaſtrum podagricum Tackenii (JÜNGKEN l. c. p. 592. a.) praeter ſaponem, camphoram et caſtoreum, ceruſſam et minium recipit, periculoſum ſane in podagra remedium.

Emplaſtrum polychreſtum ſeu *mirabile Meibomii* (ORTH l. c. §. XVII. p. 20.) exſiccans, diſcutiens, leniens, in vlceribus ac vulneribus ſanandis ſummopere commendatum, ceruſſa et minio potiſſimum conſtat oleo quodam ſolutis, quibus ſapo venetus, et ſi vlceribus applicetur, alumen vſtum. ſi vulneribus, camphora intermiſcetur.

Emplaſtrum raparum, ab Ill. FRITZE (*mediciniſche Annalen für Aerzte und Geſundheitliebende vom Herbſtmonate* 1779 *bis dahin* 1780. Leipz. 8. B. I. 1781.) in vlceribus inueteratis multopere laudatum, minio, quod recipit magnam efficaciae ſalutaris partem debet, etſi neque ſucco raparum expreſſo, neque camphorae et aromatibus additis omnem denegare velim.

Emplaſtrum roborans (New diſpenſator. p. 630.) emplaſtro communi potiſſimum conſtat, cuius praepondio roborans thuris et ſanguinis draconis adiectorum vis ſuffocatur.

Empla-

Emplaſtrum ſacrum Galeni (JÜNGKEN l. c. p. 648. a.), quamuis plures quoque cupri calces recipiat, partem tamen efficaciae lithargyrio tribuas, quod ingreditur.

Emplaſtrum de ſandyce Londinenſe (DE SPINA l. c. p. 435.) minio et ceruſſa potiſſimum conſtat, oleo ſolutis, quibus praeter ceram et reſinam camphora adhuc adiicitur.

Emplaſtrum ſaponaceum ſiue *e ſapone* (New diſpenſator. p. 631.) ex emplaſtro gummoſo et ſexta ſaponis hiſpanici parte compoſitum.

Emplaſtrum ſaponaceum ſiue *e ſapone* (Pharmac. Edinb. p. 132.) ex emplaſtro communi, media parte emplaſtri gummoſi et $\frac{9}{32}$ ſaponis albi hiſpanici conflatum.

Emplaſtrum ſaponatum Barbettae (Pharmac. Wirtemb. II. p. 68. 69.), plurimam effectuum, quos reuera exercuit, partem ceruſſae et minio debet oleo ſolutis, et ſuo praedominio virtutem diſcutientam ſaponi propriam ſufflaminantibus.

Emplaſtrum de ſapone Londinenſe (DE SPINA l. c. p. 435.) minio pariter potiorem efficaciae partem debet, quam ſaponi addito.

Emplaſtrum ſaponis (Pharm. ration. p. 127.) pariter praeſertim ex emplaſtro communi conſiſtit, et, quicquid praeter effectus huic tribuendos praeſtat, camphorae potius caute intermiſtae, quam ſaponi debet.

Emplaſtrum ſaturninum (Pharmac. rational p. 128. 129.), ex ſaturni extracto Goulardiano paratur, quod cerae citrinae et ſeuo ouillo cum oliuarum oleo leni igne liquefactis agitando intermiſcetur.

Emplaſtrum ſaturninum Cloſſaei (SCHROEDER l. c. 195.) ceruſſae et miſturae ſacchari ſaturni cum argento viuo ingredientibus efficaciam debet, quam in vlceribus malignis et calloſis, ſoluto antea in aqua lapide ſalutis CROLLII ablutis, edidiſſe fertur.

Emplaſtrum ſaturninum Mynſichti (Pharmac. Wirtemberg. II. p. 69.), praeter lapidem calaminarem, nihilum et tutiam, plumbum vſtum et ceruſſam recipit, quae certe plurimum faciunt ad virtutem eius in vlceribus ſordidis, inflammationibus, ambuſtis efficacem.

Emplaſtrum ad ſcirrhos Cloſſaei (SCHROEDER l. c. p. 195.) partem efficaciae lithargyrio, potiorem gummireſinis ingredientibus debet.

Emplaſtrum ad ſcirrhoſos tumores M. Hoffmanni (FRAVNDORFFER l. c. p. 123. 124.) fuſcum, partem certe non minimam virium, quae ipſi tribuuntur, lithargyrio intranti et cum oliuarum oleo cocto debet.

Emplaſtrum de ſpermate ranarum (Pharmac. Wirtemb. II. p. 69.) ſimplicioribus emplaſtris ſaturninis neutiquam ſuperius, a ſpermate ranarum nihil virium habet, quos potiori iure a ceruſſa, alumine, et ſi quidem circumſpecte adhibeatur, neque emplaſtrum nimis diu aſſeruetur, camphorae adſcribas.

Emplaſtrum ſticticum ſiue *ſtipticum* (Pharm. Wirtemberg. p. 70.) ſpadiceum, partem vtique virtutis

tutis exſiccantis, quam exſerit, vitriolo, lapidi haematitae et calaminari, maiorem tamen minio et lithargyrio debet, oleo lini et oliuarum ſolutis.

Emplaſtrum ſuppurans (New diſpenſator. p. 633. Pharmac. pauper. Edinb. p. 21.) ex emplaſtro gummoſo et tertia parte picis burgundicae conflatum, vtique fini, quem nomen indicat, reſpondens.

Emplaſtrum de tartaro Fauſii (DE SPINA l. c. p. 448.) praeter emplaſtrum diapalmae et de ſpermate ranarum ſaccharum quoque ſaturni recipit, vt igitur vis, quam exercet, hiſce plumbeis potius, quam tartaro crudo tribuenda ſit.

Emplaſtrum ad tophos venereos non exulceratos Hoffmanni (JÜNGKEN l. c. p. 635. a.) argentum quidem viuum et mercurium praecipitatum recipit, partem tamen efficaciae adiudices lithargyrio, cuius haud exigua portio emplaſtrum hoc intrat.

Emplaſtrum triapharmacum (Pharmac. Wirtemberg. II. p. 71.) ex fuſco ſpadiceum, quem quidem colorem, aeque ac virtutem exſiccantem minio debet; camphora addita diſcutientem quoque nactum.

Emplaſtrum ad vlcera gallica Hartmanni (FRAVNDORFFER l. c. p. 126. 127.), quamuis tutiam quoque et lapidem calaminarem recipiat, poteſtatem tamen vlcera ſiccantem lithargyrio potius tribuas ingredienti.

Emplaſtrum vulnerarium miraculoſum Schulzii (JÜNGKEN l. c. p. 641. a.), tametſi camphorae et baccis lauri partem efficacitatis in vulneribus atque vlceribus ſalutaris tribuas, potior tamen ad ceruſſam,

lithargyrium et minium referenda eſt, quae larga ſatis manu ingrediuntur.

SVPPLEMENTVM REMEDIORVM PLVMBEORVM EXTERNORVM.

Puluis e ceruſſa compoſitus (New diſpenſat. p. 550.) ex ceruſſa, ſarcocolla et gummi tragacanthae conflatus, in morbis oculorum praeſertim, potiſſimum inflammationibus, aliisque ab acrimonia natis, vſitatus, olim crebrius.

Puluis eryſipelatodes Mynſichti (Pharm. Wirtemberg. II. p. 140. 141.) periculoſae vtique in morbo, cui deſtinatus eſt, efficaciae.

Sief album, Trochiſci albi Rhazis (New diſpenſator. p. 560.) non eſt niſi puluis e ceruſſa compoſitus, addita camphora, a nonnullis (DE SPINA l. c. p. 996.) loco ſarcocollae amylo et gummi arabico, in trochiſcos conformatus, iisdem malis oppoſitus.

Sief citrinum Meſuae (ORTH l. c. p. 21. §. XII.) ex ceruſſa, cadmia vſta, croco et opio cum gummi tragacanthae et aqua pluuiali in trochiſcos configuratis conflatum, in oculorum doloribus mirifice efficax.

Trochiſci de minio (New diſpenſator. p. 561.), melius omnino *eſcharotici* (Pharmac. Wirtemberg. p. 217.), minium quidem recipiunt, efficaciam tamen qua potiſſimum proſunt, modo caute adhibiti, dominanti debent mercurio ſublimato corroſiuo.

II. *Aurum,*

II. *Aurum*, *Sol*, *Rex metallorum*, metallum flauum, colore et nitore conſtantiori, quam qui praegreſſis metallis omnibus competit, vt neque aëris contactu, neque ignis violentia deſtrui aut imminui queat, maiorem, quam quidem argentum, minorem quam cuprum, vt liquefiat, aeſtum requirens; et, dum liquida iſta forma indutum eſt, ſmaragdi quaſi ſplendorem reflectens, ſulphuri, plumbi calcibus, et, dum adhuc metallicum fulgorem emittit, multis acidis, quibus alia metalla obtemperant, reſiſtens, ſulphuris tamen, quod audit, hepati, ſiue cum eo fundatur, ſiue cum eius per aquam facta ſolutione coquatur, et ſalis communis acido cum nitri acido copulato (appellant *aquam regis*) aut cum magneſia nigra diſtillato, ſiue acido muriatico ſuperoxygenato recentiorum, atque vt primum calcis ſpeciem prae ſe fert, aliis quoque acidis, et ipſi volatili alcali cedens, omnibus liquoribus et ſalibus, quibus ſolutum tenetur, niſi nimia aqua dilutis ſuum colorem imprimens, ex omnibus acidis per ferrum et cuprum colore et iubare ſuo metallico, per zincum, argentum viuum aqua forti, ſtannum aqua regis ſolutum colore purpureo, in vitra etiam, cum quibus liquatur, tranſeunte, per terras et alcalia calcis inconſpicuae ſtramineae forma praecipitandum, quae, ſi quidem alcali volatili ad praecipitandum aurum vſus fueris, (vocant ideo *aurum fulminans*) calori inter 248° et 572° thermometri Fahrenheitiani incluſo aut frictioni expoſita inſigni cum fragore et horrenda cum violentia quaquauerſum extenſa detonat, et

in

in argento quidem, ferro et cupro maculam auream, in aliis corporibus purpuream relinquit: Pondere ſpecifico ſuperat omnia praegreſſa metalla (= 19500:1000), neque nitro liquefacto et candenti iniectum detonat.

Tanquam metallorum omnium perfectiſſimum, in cuius ſimilitudinem ſi euehi corpus humanum poſſet, ab omnibus naeuis muniri et liberari poſſe ſibi perſuadens chemica medicorum ſecta, praeeuntibus Arabum medicis, aurum in medicamentorias quoque officinas introduxit, quamuis ſuo iam tempore ANGELVS SALA (ſeptem planetarum terreſtrium ſpagyrica recenſio. Oper. p. 186. 238. et tract. de variis tum chemicarum tum galeniſtarum erroribus. I. p. 9.), certe non iniquus chemicorum ſui aeui ſommiorum cenſor, vanitatem huius opinionis ſubolfecerit.

Pauciſſimi tamen auro (I. G. HELCHER praeſ. H. FR. TEICHMEYER diſſ. de auro. Ien. 1730. p. 20.), metallica ſua facie conſpicuo vſi ſunt, alia potius atque alia praeparatione illud humano corpori magis accommodaturi, crocis pulueribusque ſolaribus, magiſteriis et pulueribus auri, tincturis et auro potabili magis confiſi, arcana ſaepe arte fabricatis, et quamuis ab auro aut ſole denominatis, haud raro tamen ne hilum quidem auri continenibus aut absque vllo auro confectis (exempla huius piae fraudis vide apud CHRN. E. KLEINFELD *Kurtze Beſchreibung von Verfertigung einer Eſſentiae dulcis, nebſt zweyer von ihr entſpringenden Medicamenten, nemlich des ſchwartzen Pulvers und des ſogenannten Balſami mineralis.* Königsberg. 1723.

1723. 4.), aut tamen, qua forte pollebant virtutem, non auro, ſed aliis potius ingredientibus, aromatibus praeprimis eorumque ſpiritu rectori debentibus: Obſtat certe haec eadem auri indoles, ex qua medicamentoſam, et ſi multos ex iis ſequi velis, miraculoſam eius facultatem deduxere veteres, ea ſcilicet, qua vix vnquam deſtrui, naturam ſuam exuere, vaporis ſpeciem nanciſci, arctiorem cum aliis, praeſertim corpus animale irrigantibus humoribus inire copulam poteſt, quam maxime huic de ſalutaribus eius viribus veterum opinioni.

Cordiali tamen, vt eorum termino vtar, gaudere virtute, quacunque forma indutum, plurimi eorum et ſibi ipſis et aliis perſuaſerunt; inde deriues aurum foliatum, multos pulueres olim officinales, e. gr. analepticum frigidum MINDERERI (Pharmacop. Wirtemb. p. 130. 131.), bezoardicum SENNERTI (ibid. p. 135.), cephalicum WINTERI (ibid. p. 136.), epilepticum ad guttetam RIVERII et epilepticum holſaticum (ibid. p. 139.), epilepticum Marchionis et epilepticum nigrum Viennenſem (ibid. p. 140.), et pannonicum rubrum ordinarium (ibid. p. 144.), et ipſas aquas diſtillatas compoſitas ſpirituoſas e. gr. aquam carbunculi (Pharm. Wirtemb. II. p. 12.) intraſſe: Erant adeo medici, qui vt auri virtute bearent iuſcula et potulenta, aegroto propinata, aurum candefactum in iis exſtingui iubebant (HELCHER l. c. p. 19. 20.): Geſtatum iam lepram arcere et melancholicis hilarem reddere animum ſomniauit M. FICINVS (de triplici vita ſana longa et coeleſti. 8. Baſil. 1529. L. II.): Vtrum eadem fiducia in auri virtutibus

tibus cor ſiue neruos excitantibus poſita medicos induxerit, an luxus quaedam ſpecies, vt pilulas auri bracteolis obducendas praeciperent, neſcio, perſuaſiſſimus ceterum tantum abeſſe, vt hoc ornamento acuatur earum efficacitas, vt potius pilulae, per corticem iſtum ab humore illos diſſoluente diu defenſae, tardius longe agant; ne dicam, haud raro loco genuini ſpurium receptum fuiſſe, cuius cupreae partes alios longe, quam quos medicus iure ſuo ſperabat, non poterant non progenerare effectus.

Ita olim quoque, vt foueas et cicatrices profundiores praeuerterent, variolis laborantium faciem auro hoc foliato obducebant (I. G. HELCHER l. c. p. 19.).

Potior multo eſt auri foliati vſus in fiſſuris papillarum mammae, quibus imponitur, iam dudum (*Götting. Anz. von gel. Sach.* 1757. faſc. 36. p. 360.), nuperius a Cl. ELWERT (*Reichsanzeiger* 1794. faſc. 89. p. 849. 850.) commendatus.

PRAEPARATA.

Auri magiſterium (ANGEL. SALA ſeptem planetar. ſpagyr. recenſ. et ſynopſ. aphoriſm. chymiatric. aphoriſm. XL. Oper. p. 190. 191. 262. 263.) non eſt, niſi aurum fulminans multoties ſpiritu meliſſae irroratum iterumque exſiccatum, et cum croco ($\frac{1}{24}$), ambra griſea ($\frac{1}{80}$) et moſcho orientali ($\frac{1}{80}$) permiſtum, quod a granis tribus ad octo exhibitum viſcera roborare, a putredine et veneno conſeruare et liberare, in palpitatione cordis, animi deliquiis, vertigine, epilepſia, melancholia, malo hyſterico, lethargo,

thargo, paralyſi conducere perhibet ANGELVS SALA: Cuius quidem laudis partem mereri inficias ire quamvis nolim, haec tamen certius tribuenda moſcho et ambrae quam auro videtur.

Magiſterium chryſopurpurae (GVERN. ROLFINCII chymia in artis formam redacta. Francof. ad Moen. 1686. 4. p. 341.) eſt puluis purpureus, ex auro fulminante, cui ſpiritus ſalis communis adfuſus, et leni primo, poſt fortiori igne expulſus fuit, natus, quem ROLFINCIVS granorum trium pondere propinatum ad cordialia medicamenta refert.

Aurum fulminans, *Aurum ſclopetans*, *Aurum crepitans*, *Puluis auri*, *Aurum diaphoreticum*, Κεραυνοχρυσον, nonnullis quoque *Crocus auri*, Calx auri inconſpicua, ſtraminei coloris, ex ſolutione per aquam regis parata ope alcali volatilis, vel ſi ad conficiendam aquam regis ſal armoniacus receptus fuerit, per alcali frixum praecipitata, probe elota, atque prouide exſiccata, commendantibus O. CROLLIO l. c. p. 380.) eiusque commentatore I. HARTMANNO (ap. eundem l. c. p. 386.), ROLFINCIO (l. c. p. 339.) aliisque in officinas quoque (New diſpenſat. p. 489. 490. Pharm. Wirtemberg. II. p. 27. 28.) medicamentarias recepta, quamuis, forſan haud ſatis ſollicite elota, non tormina modo, praeſertim infantibus, et anxietates (Pharmac. Wirtemb. II. p. 28.), ſed conuulſiones, animi deliquia, artuum ſudorem gelidum, virium proſtrationem, vomitus vehementes (FR. HOFFMANN medic. ration. ſyſtemat. II. p. 287.), alui profluuia violenta (D. LVDOVICI pharmac. moderno ſeculo adplicanda. Goth. 1685. p. 182. 188.), ventriculi

ventriculi eroſiones (RIVINVS apud FR. HOFFMANN l. m. c.), ipſam adeo mortem (FR. HOFFMANN et RIVINVS l. m. c. G. E. STAHLIVS de verae προεξωκρισεως medicae practicae vera dignitate. Hal. 1707.) concitaſſet, a grano tamen vno ad quatuor exhibitum, diaphoreticas et ſudoriferas in febribus ſalutares exſerere vires, O. CROLLIVS, I. HARTMANNVS, ROLFINCIVS (ll. cc), ANGELVS SALA (ſeptem planetar. ſpagyric. recenſ. Oper. p. 189.) afferunt, catharticas ſine vlla nauſea et vomitu expertus eſt ANGELVS SALA (proceſſus de auro potabili. Oper. p. 268.), teſtantur alii v. g. ROLFINCIVS (l. c.), qui quoque ſuecici exercitus imperatorem BANNERVM grauiſſima colica et pertinaci alui obſtipatione laborantem granis eius ſex cum vino maluatico ſumtis cum ſanitate in gratiam rediiſſe memorat: Argenti viui nimia copia corpus ingreſſi virulentiae opponit N. LEMERY (cours de chymie. p. 100.): Alui excrementa ab eius vſu nigreſcere narrant auctores pharmacopoeae Wirtembergicae (l. m. c.).

Aurum potabile, *Tinctura auri*, *Tinctura ſolis*, *Elixir auri*, *Eſſentia auri*, *Cordiale*; in hoc conficiendo, praeſtantiſſimo, vti quidem ſibi perſuadebant, medicamento in eſſentiam, formamque fluidam omni acrimonia nociua orbam redigendo deſudarunt plurimi (v. ANGELI SALAE proceſſus de auro potabili nouo paucisque adhuc cognito. Oper. p. 264-290. I. I. FISCHER diſſ. de aurea auri tinctura. Brunop. 1704. I. G. BERGER diſſ. de auro potabili. Vitemb. 1705. 4. CRÜGER Miſcellan. Acad. Caeſar. Nat. Curioſ. Dec. III. A. 8. app. I. G. SACHSENS diſſ. epiſtol.

epiſtol. de auro potabili genuino ſeu tinctura ſolis ſecundum ſecretiorem Paracelſi mentem praeparata, remedio contra multos morbos contumaces probato. 4. Ienae. 1748.), aliis (v. gr. SACHSENS l. c.) arcanam ſibi ſeruantibus operandi rationem, aliis cum orbe communicantibus, multis ſua omnino lingua vtentibus, nec ſemper ingenue ſatis loquentibus, plurimis, v. gr. R. A. GLAVBERO (tr. de medicina vniuerſali ſiue auro potabili vero. Amſtelod. 1657. 8. p. 67-69.) in ſummas et abſonas adeo medicinae ſuae laudes excurrentibus, quamuis et eae auri tincturae, quae reapſe aurum recipiunt, nam non recipiunt omnes, arcano praeſertim modo praeparatae, non ſemper aurum contineant, et quae pauxillum auri, tinctu aureo vel purpureo ſeſe manifeſtantis, continent, certiſſime non huic, ſed vini ſpiritui, naphthae, oleo aethereo, ſpiritui rectori plantarum, a quibus vini ſpiritus antea abſtractus fuerat, ſuas debeant, quas forte exſerunt (I. G. HELCHER l. c. p. 35-39.) analepticas, excitantes, diaphoreticas, anodinas, corruptelae aduerſas vires.

Nolo enarrare taedioſas eas operationes, quibus THEOPHR. PARACELSVS (Archidoxor. L. VI. libr. de vita longa; libro de gradibus et compoſitionibus fragment. 2. et alibi), BASIL. VALENTINVS (*letztes Teſtament, aus dem Original nachgeſchrieben und zum viertenmal ans Licht gegeben, von* G. PH. NENTER. Strasb. 1712. 8. p. 33. 253-259.), I. QVERCETANVS ſiue DU CHESNE (tetras grauiſſimor. totius capitis adfectuum. Marpurg. 1606. 8. p. 440. c. 29. ſclopetarius ſ. de curandis vulneribus, quae ſclopetorum et ſimilium

 tormen-

tormentorum ictibus accipiuntur. Lion. 1576. 8. p. 208.), I. OSIANDER (ap. ANGEL. SALAM l. m. c. Op. p. 284. 285.), FRANCISC. ANTONIVS, Anglus, (apud eundem l. m. c. Oper. p. 288-290. et TENZELII exegeſ. chymiatric. ibid. p. 684-686.), O. CROLLIVS (l. c. p. 377-386.), eiusque commentator I. HARTMANNVS (ap. eundem p. 387-391.), ANGEL. SALA (l. m. c. Oper. p. 266-278.) aurum potabile confecerunt, neque in ineptas illas excurrere laudes, quibus illud cumularunt; quicunque liquorem auri particulam etſi exiliſſimam reuera continentem, innoxium, nitide purpureum, et, virtute tamen reliquorum potius ingredientium, quam quidem auri, ſudores cientem, neruos excitantem et reficientem, ſibi comparare cupit, aurum aqua regis ſolutum, per ſuperaffuſum vel vitrioli aetherem, vel roriſmarini (New diſpenſat. p. 489.) vel aliud quoduis oleum aethereum ex aqua regis extractum vini ſpiritu, quem vocant, rectificato caloris auxilio ſoluat.

Aurum vitae (QVERCETANVS *Sclopetarius* l. m. c. ANGEL. SALA de auro potabili. Oper. p. 279. 280.) non eſt niſi calx auri, aceto, eoque intercedente vini ſpiritu imperfectius ſoluta, praeſtantiſſima, ſi modo dictis medicis credas, et innumerabilibus morbis vincendis par medicina.

Aurum praecipitatum azurinum (ANG. SALA compoſit. et formula antidoti pretioſi etc.) calx auri ex aqua regis, quae ſpiritus nitri partes tres, et ſpiritus ſalis rectificati duas recipit, per oleum, quod vocant, tartari praecipitata; non fulminare conſtat, ſed caeruleo, ſi quidem omnia ſatis pura fuerint, comparare tinctu, perſuadere mihi non poſſum.

Bezoar-

Bezoarticum auratum (ANGEL. SALA ſept. planetar. ſpagyr. recenſ. Oper. p. 191.), etſi ab ANGELO SALA in peſte morbisque affinibus, in venenis omnis generis debellandis maximopere depraedicatur, has tamen laudes ſeculi potius genio, quam ſanae experientiae tribuas; eſt nempe magiſterium auri cum extracto viperarum, lacryma cerui, ſucco ex radicibus carlinae et herba cardui benedicti recentibus expreſſo, oleo rutae et radicum angelicae permiſtum.

Bezoarticum metallicum (BEGUIN tyrocinium chymicum p. 321.) Calx auri ex aqua regis praecipitata non fulminans, quam ad grana ſex vsque exhibitam ſudores ciere refert BEGUIN.

Bezoarticum pretioſum aureum (ANGEL. SALA compoſitio et formula antidoti pretioſi), ex auro praecipitato azurino cum triplo pondere pollinis tenerrimi plurium gemmarum commiſto, multoties ſpiritu ſalis irrorato, et candefacto, donec carneum colorem induerit, tandem ſaccharo, ambra et moſcho condito, quibus potius, quam pretioſis illis terris, quas exercuiſſe fertur, vires debet.

Ceraunochryſon diaphoreticum (BEGUIN l. c. p. 322.) paratur, auri calci, per ſalem tartari ex aqua regis praecipitatae, quater vel quinquies vini ſpiritum in vaſe argenteo ſuperaffundendo, ſpiritum incendendo, et ſublimatas ſpiritus flamma ceſſante calcis particulas vaſe vitreo ſuſpenſo excipiendo, et finito labore vini ſpiritu eluendo.

Chryſobezoar vel *Electrum aureum cordiale* (ANGELVS SALA l. m. c.), calx mixta ex auri ferrique calce, obſcure rubens ex aqua regis cum ſale am-

moniaco parata per oleum tartari praecipitata, ſollicite elota, cum ſulphure deflagrans, tenerrime cum aceto diſtillato comminuta, atque exſiccata. Roborantem, quam teſte ANGELO SALA, puluis hic in vomitu, ventris profluuiis, fluore albo, et fluxu muliebri nimio ſiſtendis, granorum trium et ſeptem pondere commonſtrauit, virtutem ferro potius tribuas, quam auro.

Cornu cerui auratum (Pharmac. Wirtemberg. II. p. 39.) ex auro foliato cum cornu cerui vſto terendo exartiſſime permiſto, et, donec purpurae tinctus compareat, in crucibulo exuſto, paratum, a ſcrupulo dimidio ad integrum in febribus malignis, variolis et morbillis tanquam cordiale et alexiterium olim exhibitum.

Laudanum mercuriale H. BEYERI (ANGELVS SALA de auro potabili. Oper. p. 266.) non eſt niſi aurum potabile ſpiſſius ſanguinei coloris, cum ſpiritus ſalis dulcis ſpecie paratum.

Oleum ſolis (AEGEL. SALA l. m. c. p. 290.) non eſt niſi auri potabilis ſpecies, ſpiſſitudine ad oleum accedens.

Spiritus ſalis I. OSIANDRI (ANGELVS SALA l. m. c. p. 284.) non videtur eſſe niſi acetum fortius, quod poſtquam calcem auri ope argenti viui praeparatam, ſoluerat, vehementiori igne iterum ab hoc dirimitur, vix auri aliquid ſecum rapiens.

INDEX

INDEX
RERVM ALPHABETICVS.

A

Acetas cupri. 347.
  ferri. 329.
Acetum ceruſſae. 397.
  emeticum. 196.
  eſurinum. 348.
  lithargyrii. 397.
  minii. 397.
  philoſophorum ex antimonio. 246.
  plumbi. 396.
  radicale. 348.
  ſaturni. 396.
Acida. 32–59.
Acidum boracis. 55–57.
  muriaticum. 53.
  nitri vinoſum. 52.
  vitrioli vinoſum. 46. 47.
Adamas. 30.
Aerugo. 345.
  ferri. 324.
Aes. 333.
  vſtum. 344.
  viride. 345.
    cryſtalliſ. 347.
    diſtillat. 347.
Aether Frobenii. 43.
  nitri. 52.
  vitrioli. 43–45.
Aethiops antimonialis Huxhami. 176.
  martialis. 324.
Aëtites. 321.
Agaricus mineralis. 16.
Album candienſe. 351.
  hiſpanicum. 351.
Album perlatum. 352.
Alcaheſt Glauberi. 74.
  Helmontii. 74.
Alcali minerale. 59,
    muriaticum. 77.
    ſalitum. 77.
    vitriolatum. 62.
  vegetabile nitratum. 66.
    ſalitum. 82.
  volatile cauſticum. 96.
    fluor. 96.
    nitratum. 66.
    purum. 96.
    ſalitum. 82.
Alcalia. 58–60.
Alkermes minerale. 214.
Alumen. 109–124.
  draconiſatum. 111. 123.
  plumoſum. 26. 109.
  romanum. 109.
  ſaccharatum. 123.
  tinctum. 111. 123.
Amarum genuinum. 106.
Ambra griſea. 147–149.
  maritima. 147.
Amethyſtus. 29.
Amiantus. 26.
Ammoniacum purum. 96.
Anodinum minerale. 76.
Antidotos pantagogos. 239.
Antihecticum Poterii. 235 ſq. 301 ſq.
Antimonii calx lota. 233.
Antimonium. 171–250.
  crudum. 172.
  cum cornu cerui calcinatum. 231.

Antimonium diaphoreticum. 213. 214. 233. 234.
ablutum. 233.
dulce. 233.
iouiale. 235.
martiale. 235.
rubrum. 191.
incineratum. 192.
martiale cachecticum. 235.
metallicum. 187.
regulinum. 171. 187.
ſalitum. 182.
Aqua aluminoſa Bateana. 118. 123.
compoſita. 118. 123.
arſenici. 268.
benedicta Rulandi. 197.
calcis. 9-16.
fortis. 50.
graeca. 356.
S. Luciae. 100. 101.
magiſtralis Fallopii. 123.
ophthalmica caerulea. 350.
ſapphirina. 350.
Rabelii. 43.
regis. 443.
ſtimmi ſulphurea. 246.
tartarea. 247.
vegeto-mineralis Goulardi. 401-409.
viridis Hartmanni. 348.
Arbor Dianae. 355.
Arcanum antimonii. 244.
becchicum Williſii. 165.
Arena. 28.
Argentum. 354-362.
hydragogum. 361.
nitratum. 356.
Argilla vitriolata. 109.
Argyritis. 395.
Aroma Philoſophorum. 90.
Aroph Paracelſi. 90. 91.
Arſenicum. 250-279.
album. 250 ſq.
Arſenicum calciforme. 250.
citrinum. 268.
deflagratum. 267.
fixum. 267.
rubrum. 269.
Veterum. 269.
Aſphaltum. 152. 153.
Atramentum ſympatheticum. 164.
Auripigmentum. 269-277.
Aurum. 443-452.
crepitans. 447.
diaphoreticum. 447.
fulminans. 443. 447. 448.
potabile. 448-450.
praecipitatum azurinum. 450.
ſclopetarium. 447.
vitae. 450.

B

Balneum regis. 172.
Balſam, wunderbarer. 245.
Balſamum antimonii. 186.
rubrum. 186.
vulnerarium. 186.
plumbi. 411.
ſulphuris. 169.
amygdalatum. 169.
aniſatum. 169.
barbadenſe. 169.
Rulandi. 169.
ſuccinatum. 169.
terebinthinatum. 169.
viride Metenſium. 346.
vitae. 245.
Balſamus antimonii. 245.
Barytis ſalita. 2.
vitriolata. 1.
Belemnites. 17.
Bezoarticum antimoniale. 196. 236.
Angeli Salae. 236.
auratum. 451.

Bezoar-

Bezoarticum iouiale. 451.
lunare. 362.
martiale. 235.
flauum. 235.
metallicum. 451.
minerale. 236.
pretioſum aureum. 451.
Biſmuthum. 350.
Bitumen iudaicum. 152.
Bolus. 27. 28.
Borax. 103. 104.
depurata. 103.
rafinata. 103.
veneta. 103.
Butyrum antimonii. 182.
lunare. 185.
arſenici. 268.
ſulphuris. 166.

C.

Cadmia botrytis. 291.
fornacum. 292.
natiua. 292.
Caeruleum montanum. 343.
Calces plumbi. 392–396.
Calices vomitorii. 188.
Calx. 7–16.
antimonii. 192.
abluta. 233.
cum cornu cerui vſto. 230.
cum ſulphure. 232.
nitrata. 233.
per ſe. 192.
ſine ſulphure. 236.
arſenici alba. 230.
ſalita. 98.
wismuthi. 351–354.
zinci. 279–290.
Caput mortuum vitrioli. 144.
Carabe. 149.
citrina. 150.
Carbonas ammoniaci. 93.
potaſſae. 74.
Carbonas ſodae. 59.
Carneolus. 29.
Catharticum lunare. 361.
Cauſticum antimoniale. 182.
lunare. 357.
Cerata. 426. 427.
Ceratum de minio rubrum. 426.
ſaturninum Goulardi. 426.
Ceraunochryſon diaphoreticum. 451.
Cereoli mitigantes. 428.
Cerota. 426. 427.
Ceruſſa. 392. 393.
antimonii. 234.
diaphoretici. 234.
lunaris. 234.
ſolaris. 234.
plumbi. 392.
Chalcedonius. 29.
Chalybis rubigo praeparata. 326.
Chalybs cum ſulphure praeparatus. 325.
praeparatus. 323.
ſulphuratus. 325.
tartariſatus. 328.
Chamaeleon mineralis. 249.
Chryſitis. 395.
Chryſobezoar. 451.
Chryſocolla. 342.
Cineres plumbi. 363. 394.
Cinis antimonii. 192.
Cinnabaris antimonii. 237.
Claretum purgatorium. 197.
Clyſſus antimonii. 246.
Coagulum aluminoſum. 121. 122.
Colcothar vitrioli. 144.
Cordiale. 448.
Cornu cerui auratum. 452.
Corpora inflammabilia mineralia. 147–169.
Cremor antimon. diaphor. 233.

Cremor calcis. 9.
ſulphuris. 166.
Creta farinacea. 16.
rubra. 320.
ſcriptoria. 16.
vulgaris. 16.
Croci martis. 324-328.
Crocus antimonii. 191. 192.
lotus. 192.
chalybis ruber. 292.
aeris. 447.
martis. 327.
adſtrictorius. 326.
adſtringens. 144. 326.
aperiens. 326.
aperitiuus. 325.
emmenagogus. 326.
niger. 325.
obſtructiuus. 325.
ſaccharinus. 326.
ſulphuratus. 325.
metallorum. 192.
Rulandi. 191.
ſolis. 444.
Cryſtalli argenti. 356.
Cryſtallus. 29.
mineralis. 73.
montana. 29.
Cuprum. 333-350.
acetatum. 347.
ammoniacum. 137. 138.
vitriolatum. 133.

D

Diaphoreticum iouiale. 235.
martiale. 235.
minerale. 233.
ſolare. 234.
regulinum. 234.
Dulcor ſaturni. 44.

E

Eau de Luce. 100. 101.
Electrum. 149.
aureum cordiale. 451.
maius. 189.
Electrum minus. 189.
Electuarium chalybeatum. 324.
Elixir acidum. 40-43. 52.
antimonii. 198. 244.
auri. 448.
Emeticum antimonii mitius. 213.
Emplaſtra ſaturnina. 429-441.
Emplaſtrum adhaeſiuum. 429.
album coctum. 429.
anticolicum. 429.
antihyſtericum. 430.
antipodagricum. 430.
apoſtolicum. 430.
arſenicale. 278.
arthriticum. 430.
attractiuum ruptorium peſtilentiale. 278.
barbarum. 430.
e calaminari lapide. 430.
calidum. 431.
ad cancros. 431.
ad cancrum. 431.
in cancro. 431.
cicatricem inducens. 431.
ad clauos et verrucas pedum. 431.
commune. 431. 432.
adhaeſiuum. 432.
cum gummi. 432.
de ceruſſa. 429.
de creta. 432.
de cumino. 432.
defenſiuum. 432. 433.
rubrum. 433.
diachalciteos. 433.
diachylon compoſitum. 433.
cum gummi. 433.
ſimplex. 443.
diapalmae. 433.
diapompholygos. 433. 434.
diuinum. 434.
epiſpaſticum. 434.
exſiccatiuum. 434.
ad fontanellas. 434.

Empla-

Emplaſtrum pro fonticulis 434.
de galbano crocatum. 434.
Mynſichti. 434.
griſeum. 434. 435.
gummoſum. 435.
halenſe. 435.
ad herniam. 435.
imperiale. 435.
ex magnete arſenicali. 278.
magneticum. 278. 435.
arſenicale. 278.
in peſte. 278.
mammillare. 436.
manus Dei. 436.
e minio. 436.
cum ſapone. 436.
mirabile. 438.
miraculoſum. 436.
mitigatiuum. 436. 437.
narcoticum. 437.
neruinum. 437.
Noricum. 437.
Opopeldoch. 437.
oxycroceum. 437.
ex pelle arietina. 437. 438.
de plumbo. 438.
podagricum. 438.
polychreſtum. 438.
raparum. 438.
roborans. 432. 433. 438.
ſacrum. 439.
de ſandyce. 439.
ſaponaceum. 439.
ſaponatum. 439.
de ſapone. 439.
ſaturninum. 440.
ad ſcirrhos. 440.
de ſpermate ranarum. 440.
ſticticum. 440. 441.
ſtipticum. 440.
ſuppurans. 441.
de tartaro. 441.
ad tophos. 441.
triapharmacum. 441.
Emplaſtrum ad vlcera gallica. 441.
vulnerarium miraculoſum Schulzii. 441.
Ens martis. 90.
veneris. 90.
Eſſentia antimonii. 212.
auri. 448.
emetica. 212.
martis per deliquium. 92.
ſuccini. 151.
Extractum antimonii. 225.
martis. 330.
cydoniatum. 331.
pomatum. 331.
ſaturni Goulardi. 399-401.
Janini. 398. 399.
ſiccum. 411.

F

Febrifugum Craanii. 190.
Ferrugo. 324.
Ferrum. 303-333.
vitriolatum. 139.
Flores antimonii. 195.
albiſſimi. 236.
argentei. 187.
argentini. 171.
cum alumine. 186.
cum ſale commun. 195.
cum ſale fixo ammoniaco. 232.
nitroſi. 196. 237.
rubri. 195.
variorum colorum. 195
auripigmenti. 274.
Hoffmanniani. 274.
martiales. 90.
reguli antimonii. 187.
argentini. 187.
ſalis ammoniaci haematiſati. 90.
martiales. 90. 328.
ſimplices. 90.

Flores

Flores ſulphuris. 156. 159.
viridis aeris. 347.
zinci. 279-290.
Flos aeris. 344.
ſtibii Helmontianus. 196.
emeticus dulcis. 196.
Fluor mineralis viridis. 19.
Fondant de Rotrou. 148.
Fuligo de cupreo aheno. 346.

G

Gas hepaticum. 168. 384.
Geodes. 321.
Gilla Paracelſi. 145.
Theophraſti. 145.
vitrioli. 145.
Globuli martiales. 329.
Granatus. 30.
Guttae aureae Lamottii. 331.
febrifugae. 265.
Gypſum. 18.

H.

Haematites. 320.
Helmintholithus. 17.
iudaicus. 17.
Hepar antimonii. 191. 192.
lotum. 192.
ſulphuris. 156. 163-168. 383.
arſenicale. 164. 383.
calcareum. 163. 164.
ceratum. 166.
martiale. 166.
ſalinum. 164. 165.
volatile. 156.
vulgare. 164. 165.
Hyacinthus. 30.

K

Κεραυνοχρυσον. 447.
Kermes minerale. 214-218.

L

Lac lunae. 16.
plumbi. 394. 409.
Lac ſaturni. 394.
ſulphuris. 166.
virginis. 409.
Lana philoſophica. 279.
Lapides. 1-31.
Lapis aquilinus. 321.
armenus. 30. 543.
calaminaris. 292.
de pyrmiſon. 277.
de tribus. 277.
de vena plumbi. 173.
diuinus. 124.
geodes. 321.
infernalis. 355. 357-360.
iudaicus. 17.
lazuli. 30.
lunaris. 357.
lyncis. 17.
medicamentoſus. 123. 129.
nephriticus. 26.
prunellae. 73.
ſalutis. 123.
Laudanum mercuriale. 452.
Laxatiuum polychreſtum. 19.
Lazurus orientalis. 30.
Leo ruber. 173.
Lilium minerale. 74.
Paracelſi. 76. 237.
Limatura aurichalci. 346.
cupri. 343.
ferri. 321-324.
martis. 321.
alcoholiſata. 323.
Linimentum de amianto. 426.
ſaturni compoſitum. 426.
volatile. 96. 103.
Lintea cerata. 427. 428.
Liquor aethereus vitriolatus 46.
anodinus martiatus. 331.
anodinus mineralis Hoffmanni. 47-49.
antipodagricus. 99.
arſenici fixi. 208.

Liquor

Liquor auripigmenti. 164. 383.
cornu cerui ſuccinatus. 58. 152.
Manchini. 49.
neruinus albus. 331.
nitri fixi. 74.
Pellegrini. 185.
probatorius fortior. 385.
tartari emetici. 204.
vegeto-mineralis Goulardi. 401-409.
vini probatorius Zelleri. 164. 383.
vulnerarius. 186.
Lithargyrium. 395.
argenti. 395.
auri. 395.
Lixiuium martis. 92.
Luna. 355.
fixata Ludemanni. 279.
potabilis. 362.
purgatiua. 361.
Lupus metallorum. 173.
Lyncurius. 17.

M.

Magdaleones. 157.
Magiſterium antimonii. 193. 244.
diaphoretici. 156. 234.
argenti. 357.
deiectorium. 361.
auri. 446.
chryſopurpurae. 447.
cupri. 348.
hydragogum. 361.
iouis. 303.
lunae. 357.
marcaſitus. 351.
plumbi. 393.
ſaturni. 393. 411.
ſulphuris. 166.
wiſmuthi. 351-353.
Magnes. 317-319.
Magnes arſenicalis. 277.
Magneſia alba. 19-25.
arſenicalis. 277.
calcinata. 25.
nigra. 249.
nitri. 19.
opalina. 191.
ſalis. 19.
ſalita. 108.
ſaturni. 173.
ſiderea. 249.
vſta. 25.
vitriolata. 106.
vulgaris. 249.
Magneſium. 249.
Malachites. 342.
Manganeſe. 249.
Marcaſita. 350.
argentea. 350.
ſaturni. 173.
Mars. 303.
rubificatus. 327.
ſaccharatus. 322.
ſolubilis. 328.
alcaliſat. 328.
nitratus. 329.
ſulphuratus. 325.
Martis limatura praeparata. 326.
minera ſolaris. 316. 317.
Materia perlata. 234.
Mel ſaturni. 44.
Mercurius mortis. 193.
vitae. 193.
caeleſtis. 230.
correctus Syluii. 236.
Metalla. 170-452.
Minera martis ſolaris. 316. 317.
Minium. 363. 395.
Mirabile genuinum. 62.
Molybdaena. 396.
Morſuli martiales. 373.
Muria ammoniaca. 82.
fontana. 77.

Murias ammoniaci. 82.
antimonii. 182.
calcis. 98.
magneſiae. 108.
potaſſae. 95.
ſodae. 77.

N

Naphtha. 154.
nitri. 52.
vitrioli. 43. 45. 46.
Natrum. 59. 60.
vitriolatum. 62.
Nihil griſeum. 291.
Nihilum album. 290.
Nil. 290.
Nitras ammoniaci. 77.
argenti. 356.
potaſſae. 66.
Nitri acidum. 50–53.
Nitrum. 66–77.
alcaliſatum. 74.
ammoniacale. 77.
anodinum. 76.
antimoniatum. 76.
cauſticum. 74.
commune. 66.
flammans. 77.
per metalla fixatum. 74.
phlogiſton. 77.
priſmaticum. 66.
regeneratum non fixum. 77.
ſaturninum. 419.
ſemiuolatile. 77.
ſtibiatum. 76.
tabulatum. 73.
vulgare. 66.
Nix antimonii. 187.

O

Oel, liquoriſch, 185. 246.
Oleum antimoniale. 185.
antimonii. 182. 185.
aliud. 244.
Oleum antimonii compoſitum. 186.
corroſiuum. 182.
cum mercurio ſublimato. 182.
febrifugum. 243.
glaciale. 182.
lunare. 185.
liquidum. 185.
arſenici fixi. 268.
aſphalti. 153.
calcis. 98.
corroſiuum arſenici. 268.
gabianum. 153.
martis per deliquium. 92. 328.
naphthae. 45.
petrae. 153.
ſaturni. 409. 418.
ſolis. 452.
ſuccini. 150. 152.
ſulphuris antimonii. 246.
vini. 45.
vitri antimonii. 243.
vitrioli. 32.
dulce. 45.
Oſteocolla. 18.
Oxide d'arſenic. 250.
Oxymel aeruginis. 346.
Oxyſaccharum vomitiuum. 197.

P

Panacea anglica. 19.
antihypochondriaca. 19.
antimonialis emetica. 211.
Glauberiana. 214.
ſolutiua. 19.
vniuerſalis. 211.
Wilſon's. 214.
Petreolum. 154.
Petroleum. 153–155.
Phlegma aluminis. 122.
Pilulae aeternae. 188.
alterantes Plumeri. 221.

Pilulae benedictae Falleri. 146.
caeruleae. 138.
perpetuae. 188.
Plumbum. 362–442.
cinereum. 350.
nigrum. 173.
philoſophorum. 173.
ſacrum. 173.
vſtum. 394.
Pocula emetica. 188.
Πομφολυξ. 290.
Potaſſa arſenicata. 267.
Poudre d'Algaroth. 193.
de Chevalerai. 249.
des Chartreux. 214.
Powder of James. 231.
Ruſſel. 214.
Praecipitatum ſaturni. 394.
ſulphuris. 166.
Pſoricum Galeni. 409.
Puluis albus antimonii. 233.
alterans Plummeri. 221.
angelicus. 193.
anticachecticus Ludouici. 235.
anticancroſus Bernhardi. 261.
antidyſentericus anglicanus. 225.
antilyſſus Hillii. 123.
antimonii fixus. 193.
auri. 447.
benedictus. 260.
cachecticus. 325.
Carthuſianorum. 214.
Comitis de Palma. 19.
e ceruſſa compoſitus. 442.
emeticus Monckii. 195.
eryſipelatodes Mynſichti. 442.
febrifugus Iacobi. 231.
nitroſus. 70.
Sentinelli. 19.
ſtypticus. 111.
Heluetii. 122.
ſympatheticus. 142.
vitalis Halenſis. 235.

Q

Quartzum. 29.
Quinta eſſentia antimonii. 243.

R

Radix metallorum. 173.
Ramoneus. 195.
Realgar. 269.
Regulus alchemiſticus. 188.
antimonii. 171. 187.
Regulus antimonii aculeatus. 193.
compoſitus. 187.
iouialis. 187. 189.
lunaris. 188. 189.
martialis. 187.
medicinalis. 191.
metallicus. 187.
ſaturninus. 187. 189.
ſimplex. 187.
ſine marte. 187.
ſolaris. 191.
ſtellatus. 188.
vegetabilis. 187.
venereus. 187. 189.
vulgaris. 187.
metallorum. 189.
Rete Vulcani. 189.
Rex metallorum. 443.
Riſigallum. 269.
Rubinus. 30.
antimonii. 191.
auripigmenti diaphoreticus. 274.
Rubrica. 320.
febrilis. 320. 321.

S

Saccharum ſaturni. 411–418.
Sal. 77.
amarum. 106–108.
muriaticum. 108.
ammoniacum. 82–103.
cupriferum. 137. 138.
depuratum. 90.
fixum. 98.
anglicum. 106.
antepilepticum Weismanni. 137. 138.
antimonii muriaticum. 182.
armoniacum. 82.
caeduum. 71.
catharticum anglicum. 106.
chalybis. 139. 141.
colcotharis. 145.
commune. 71.
regeneratum. 95.
culinare. 71.
decrepitatum. 78.
digeſtiuum Syluii. 95.
ebshamenſe. 106.
epſonienſe. 106.
febrifugum Syluii. 95.
foſſile. 71.
gemmae. 71.

INDEX.

Tinctura martis caerulea Ettneri. 349.
cum vino maluatico et pomis aurant. 331.
cydoniata. 330.
e vitriolo Zwelfferi. 145.
helleborata. 145.
in ſpiritu ſalis. 331.
Londinenſium. 331.
pomata. 331.
Radcliffii. 329.
ſtiptica. 144.
tartariſata. 329.
vinoſa. 332.
metallorum. 75. 236.
mineralis amara. 240.
minii. 397.
neruina Beſtucheffii. 331.
neruino-tonica flaua. 331.
ſaturni. 411.
folis. 448.
ſuccini. 152.
ſulphuris. 165.
volatilis. 99.
tartari. 65.
veneris. 138.
vitri antimonii. 238.
altera. 239.
zincea. 290.
Topaſius. 30
Trochiſci a bi Rhazes. 442.
de minio. 442.
e nitro. 70.
eſcharotici. 442.
Tutia. 291.
alexandrina. 291.

U

Ultimus index. 173.
Unguenta ſaturnina. 420-426.
Unguentum ad ambuſta. 420.
cancrum. 421.
cicatrices delendas. 421.
herpetem. 422.
ophthalmiam ſiccam. 424
perniones. 424.
pſoram. 158.
ſcabiem. 128. 129. 159. 425.
aegyptiacum. 346.
album. 420.
camphoratum. 420.
ſimplex. 420.
apoſtolorum. 346. 421.
contra ſcabiem. 425.
de liquiritia. 422.
minio camphoratum. 423.
tutia. 425.
deſiccatiuum. 421.
diapompholygos. 421. 422.
e calaminari lapide. 421.
Unguentum e ceruſſa. 420.
e lithargyrio. 423.
e ſulphure. 158.
fuſcum. 422.
griſeum. 422.
haemorrhoidale. 422.
in eryſipelate. 422.
mundificans. 423.
nihili. 291.
ad oculos. 423.
nobile Mynſichti. 423.
nutritum. 424.
ophthalmicum. 424.
paralyticum. 50.
placentinum. 424.
pſoricum. 159.
rubrum. 425.
ſaturninum. 424. 425.
ſibiricum. 347.
triapharmacum. 426.

V

Venus. 333.
Vinum antimoniale. 212.
antimonii Huxhami. 212.
chalybeatum. 332.
emeticum. 188. 197.
hippocraticum antimoniale. 197.
martiale. 332.
Viride aeris. 345.
natiuum. 342.
Vitriola. 124 — 146.
Vitrioli acidum. 32 — 50.
oleum. 32.
ſpiritus. 32. 38.
Vitriolum album. 124.
anglicum. 139.
argenti. 356.
caeruleum. 133.
cupri. 133 — 139.
ferri. 139 — 146.
hungaricum. 139.
martis. 139.
romanum. 139.
veneris. 133.
viride. 139.
zinci. 124 — 133.
Vitrum antimonii. 194.
ceratum. 225.
ſuccineum. 193.

W

Wiſmuthum. 350 — 354.
Witherit. 3.

Z

Zarnic. 269.
Zincum. 279 — 292.
vitriolatum. 124.

APPARATVS MEDICAMINVM

TAM SIMPLICIVM

QVAM

PRAEPARATORVM ET COMPOSITORVM

IN

PRAXEOS ADIVMENTVM

CONSIDERATVS.

P. II.

REGNVM MINERALE

COMPLECTENS

VOL. II.

AVCTORE

IO. FRID. GMELIN

AVLAE REGIAE CONSILIARIO, PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE, HVIVS PROFESSORE P. O. ACADEMIARVM CAESAREAE NATVRAE CVRIOSORVM, SCIENTIARVM ELECTORALIS MOGVNTINAE ERFORDIENSIS, ATQVE IMPERIALIS PETROPOLITANAE, SOCIETATVM SCIENTIARVM REGIAE GOETTINGENSIS, OECONOMICAE PETROPOLITANAE, PHYSICARVM TIGVRINAE, BELGICAE ET IENENSIS, PERINDE AC MEDICORVM HELVETICAE, ET METALLICAE SODALI.

GOETTINGAE

APVD IOANN. CHRIST. DIETERICH

1796.

12. *Mercurius, Hydrargyrum, Hydrargyrus, Argentum viuum, Argentum liquidum, Argentum fuſum, Argentum mobile, Aqua argentea, Aqua metallorum, Aqua ſicca, Protheus, Chamaeleon minerale, Seruus fugitiuus, Illuſor chymicorum, Impoſtor chymicorum, Azoph, Zaibar, Zabach*, nitore eoque conſtanti argentum referens, pondere ſpecifico, ſi aurum ac platinam exceperis, omnia reliqua metalla ſuperans, quod quippe, pondere aquae diſtillatae = 10000 poſito, aequat, ſi BRISSONO (loc. cit.) fidem tribuas, 135681, ſi aliis v. g. MUSSCHENBROECKIO (elem. phyſic. p. 274.) et BOERHAAVIO (de mercur. p. 21.) 141108, aut inter vtrumque intermedium, ſaporem quaſi metallicum linguae immerſae imprimens, caloris materiem tam tenaciter retinens, vt, qua nota ab omnibus aliis metallis mirifice diſcedit, ideo a multis ex metallorum ordine excluſum, non conſueto modo atmoſphaerae calore fotum, perpetuo liquida compareat forma, ſed in hibernis etiam rigoribus intemeratam ſeruet, niſi, argento viuo thermometri FAHRENHEITIANI 38 et 40 gradibus (HUTCHINS *Chemiſche Annalen* 1784. Vol. I. p. 38.) infra 0 deſcen-

deſcendente, aut ſummo Sibiriae vltimae (J. G. GMELIN *Reiſe durch Sibirien von dem Jahr* 1733 *bis* 1743. Goettingen. 8. P. I. 1751. p. 356. II. 1752. p. 451. PALLAS *Reiſe durch verſchiedene Provinzen des ruſſiſchen Reichs*. 4. Petersb. P. III. 1776. p. 418. LAXMANN *chemiſche Annal*. 1785. Vol. I. p. 244. 245. FRIES ibid. 1787. Vol. II. p. 318.) frigori exponatur, aut cum acidis aliisque ſalibus ſolutis, quae aliis corporibus vicinis caloris materiem auidiſſime ſurripere, docet experientia, in contactum veniat (C. BLAGDEN hiſtory of the congelation of quickſilver. London. 1784.). Eminet porro mercurius ſumma partium mobilitate, exactiſſima earum, etiam minimarum, forma globoſa, quae diuelli praeterea facili opera a ſe inuicem poſſunt, vt incluſus firmiſſime ſacco ex corio aut ſolidiori panno confecto mercurius preſſus pluuiae argenteae inſtar per minutiſſimos eius poros transſtillet, et transeat omnis, modo ab omni peregrina materia liber ſit.

Caloris maioris vi aequabiliter expanditur, calore decreſcente contrahitur mercurius, aequabilius longe, quam vini ſpiritus (COTTE hiſtoire de la ſocieté de medecine à Paris pour 1776. p. 360), hinc barometris et thermometris multo aptior; calore vehementiori (G. FR. HILDEBRANDT *chemiſche und mineralogiſche Geſchichte des Queckſilbers*. Braunſchweig. 4. 1793. p. 45.) in vapores abit, ad 600mum vsque thermometri Fahrenheitiani aucto, ebullit, et totus, ſi quidem purus ſit, in auras auolat, halitibus, ſi inſpirentur, nocentiſſimis, para-

paralyſes atque apoplexiam frequentes progignentibus, ſi vaſis clauſis ebulliente mercurio in frigidiore apparatus parte colligantur, in veras iterum argenti viui guttas confluentibus.

Etſi facile mobilitatem (exſtinguatur) et ſplendorem ſuum amittat mercurius, in puluerem cineneum acerbi ſaporis abiens, ſiue ſolus concutiatur in tubis vitreis occluſis, ſiue diu ſatis cum aqua, aceto, cum pinguedinibus, balſamis, mucilaginibus, ſaccharo, terris abſorbentibus, ſulphure, antimonio conteratur, difficilius tamen, partim eo quod vaporum ſpecie tam facile aufugit, partim eo quod eodem igne nitorem metallicum tam facile recuperat, ignis ſolius vi in calcem conuertitur, quae eximio rubore conſpicua et acris, nullo alio corpore adiecto, in vaſis clauſis igni violento expoſita, praeeunte multo aëre vitali, quem, dum calcinabatur, abſorpſerat, in perfectum argentum viuum redit, ea nota ad metalla nobilia quam proxime accedens.

Facile quoque mercurius a multis ſalibus diſſoluitur, neque colorem eorum immutans, neque acrimoniam mitigans, vt potius, quae acidis mineralibus ineſt, ab eius connubio mirifice augeatur, additis aliis metallis, potiſſimum zinco et cupro, forma ſua metallica et liquida ab iis iterum ſecedens, a ſalibus lixiuioſis et terris calcis facie ex omnibus acidis praecipitandus, cum multis ſalibus, vt primum ſuperfluus humor ignis vi expulſus eſt, in cryſtallos elegantes, aqua diſtillata denuo, ſaepe quoque vini ſpiritu diſſoluendas abiens.

 Faci-

Facillime diſſoluitur mercurius, facilius quando plena adhuc metalli facie gaudet, quam calcis forma indutus, nitri acido, ſeu quae vulgo audit, aqua forti, modo ab omni alieno acido depurata, ſiue fortiori, ſiue magis diluta, ſiue frigida, ſiue calida, vt tamen ad ſolutionem accelerandam leui calore, et ad acidum penitus ſaturandum finem verſus ebulliente opus ſit. Acerrima haec ſolutio cutem et vngues colore obſcure rubro tingens, et, modo ſaturata ſit, pilis, lanae, ligno carbonis quaſi nigredinem inurens, etſi pellucidiſſima, et dilutionem per aquam diſtillatam pûriſſimam egregie ferens, a minima aquae fontanae guttula lactis tenuioris in modum turbatur, aurum ex aqua regis calcis dilute purpureae (lilas vulgo vocant) ſpecie deturbat, ab acidis ſalis communis, arſenici, molybdaenae, ſpumae lupi, tartari, acetoſellae, citri, phoſphori, et pinguedinis, ipſo aëreo, ſalibuſue haec acida continentibus infuſis, ſedimentum album dimittit, in quo mercurius, relicto nitri acido, cum his acidis copulam iniit; ſimile, ſi coloris rationem habeas, ſedimentum album exhibet ab iniectis terris acido aëreo adhuc foetis, calcaria, magneſia, aluminari, acidum hoc tunc ſecum coniungens, viride ab infuſa cupri ſolutione, pallidiſſime roſeum ab vrina, flauum, a vitrioli acido aut ſalibus illud continentibus feruidis inſtillatis, albidum in luteum, ſi ſiccetur, abiens, a lixiuio caerulei berolinenſis, lateritium certe in initio ab aqua gallarum principio adſtringente foeta, aurantium in luteum poſtmodum abiens, ab aqua calcis, ochroleucum, ſi dilutiori acido ſolutus fuerit mercurius,

luteum

luteum paulatim flaueſcens, ſi ebulliente, ab inſtillato lixiuio cauſtico, album, ſi frigido ad ſolutionem vſus fueris acido, luteum ſenſim ochroleucum, ſi calido, ab infuſis aqua ſolutis cineribus clauellatis, flauum, ſi frigido acido ſolutus ſit mercurius, luteum, ſi feruida, ab alcali minerali aqua ſoluto; album, ſi feruida, atrum, ſi frigida aqua forti ſolutus fuerit mercurius, ab inſtillato alcali volatili.

Eadem ſolutio diſſipato aut per inſtillatum vini ſpiritum puriſſimum ſubtracto ſuperfluo humore eximias exhibet cryſtallos, priſmata hexaëdra vtroque fine truncata referentes, pellucidas, albas (*Hydrargyrum nitratum*, *Nitras mercurii*), atmoſphaerae expoſitas non humeſcentes, ſi diu tamen expoſitae illi fuerint, aqua diſtillata, quamuis feruida, quae rubrum illis colorem impertitur, non niſi addito nitri acido, denuo diſſoluendas, ſi prunae ardenti imponantur, detonantes, caloris vi facile liquandas, qua tortum partim in auras abit, plurima tamen expulſa et omni aqua, tandem omni fere acido, colore ex albo in flauum et rubrum transeunte, tum annuli tricoloris (*Mercurius tricolor*) ſpecie in altum agitur, tum calcis lateritiae (*Mercurius praecipitatus ruber*) forma in fundo remanet.

Difficilius longe ſoluitur mercurius vitrioli acido, nec niſi fortiſſimo atque ebulliente, et quae ex ea coctione naſcitur maſſa, quamuis externa facie perfectum ſalem metallicum referat, eo tamen multum abludit a ſalis perfecti indole, quod vix tertia eius pars aquae, etſi puriſſimae, iniecta ſoluatur, plurima potius pulueris citrini (*Turbith minerale*)

rale) ſpecie in fundum ſecedat, quae feruidiſſimam quoque aquam ſubire renuit; minor illius maſſae, ſi quidem cum atmoſphaera in contactu maneat, humeſcentis, portio, quae in aquam tranſit, aqua illa vaporis ſpecie diſpulſa in cryſtallos exiles coit, facile, ſi atmoſphaerae exponantur, eius humore attracto diffluentes, in telae quaſi ſpeciem inter ſe contextas.

Neque ſalis culinaris acidum, ſi mercurio infundatur, magnas in illum exſerit vires ſoluentes, exſerit tamen, ſi fortius cum eo coquitur, et dum cum eo ebullit, noua ſemper acidi portio ſuperingeritur, aut ſi loco mercurii viui calx eius rubra, ſiue ſola ignis vi, ſiue nitri acido adiecto parata, ſiue calx per ſal culinare vel cineres clauellatos ex acido nitri, ſiue per hos ex ſoluto in aqua mercurio ſublimato corroſiuo praecipitata, calenti acido immittatur; efficax quoque in ipſum viuum mercurium, ſi diſtillatione a magneſia nigra immutatum ſit, ſiue elaſtica, ſiue liquida forma illum contingat, et quum validius eum trahat, quam quodcunque fere aliud acidum, cuicunque fere eius ſolutioni inſtilletur ſiue acidum ipſum liberum, ſiue ſal neutrum ex eo conflatum, eius conſortio auctus, ſedimenti albi, aqua vix diſſoluendi (vocant *Mercurium praecipitatum album*) ſpecie in fundum cadit.

Soluitur etiam ſalis communis acido mercurius, ſi per cineres clauellatos ex aqua forti praecipitatus cum ſale ammoniaco tritus fortiori igni exponitur; ſed vulgatiſſimus Arabum aeuo iam notus modus, quo ſal metallicum ex vtriusque connubio progenitum,

nitum, *mercurium ſublimatum corroſiuum album* vulgo appellant, praeparatur, eſt ſublimatio, qua vtriusque halitus ſibi occurrentes, mutuae attractionis vi arctiorem copulam ineuntes ſpiculorum ſalinorum ſpecie altiori et frigidiori apparatus parti adfiguntur.

Reſpuit quidem aquam regis vulgarem mercurius viuus; ſoluitur tamen ea, quae ex ſpiritus ſalis fumantis partibus tribus et ſpiritus nitri fumantis parte vna, melius adhuc ea, quae inuerſa ratione ex vtroque conflatur, ſoluitur quoque, ſi mercurio infundantur ſpiritus ſalis communis partes quinque, et modice calefacto inſtilletur ſenſim ſpiritus nitri non fumantis pars vna; imo ſi, infuſa peractae per aquam fortem ſolutioni ſalis communis muria, plurima mercurii pars ſedimenti albi forma delapſa ſit, in liquore ſupranatante in aquam regis nunc conuerſo ſoluta nunc ſupereſt exigua mercurii pars.

Ab acido ſulphuris volatili et fluoris in calcem potius, quae acidi portionem ſecum coniunctam retinet, corroditur, quam ſoluitur; neque multo potentius in illum agunt acida ſuccini, boracis, et phoſphori, aceti, acetoſellae, citri, pomorum, tartari, ſebi, caerulei Berolinenſis, niſi aut calcinatus quocunque modo, aut ſolutus aliis acidis, aut praecipitatus ex his fuerit; calcis tamen forma indutus ipſo vino et ſero lactis diſſoluitur.

Facile etiam cum aliis metallis coit mercurius, (audit *amalgama*) paſtam argenti more nitentem pro alia atque alia ratione metalli et mercurii nunc molliorem nunc duriorem referens, facillime cum

metallis nobilibus, ſi cum eorum puluere, ſcobe, bracteis, ſuperadfuſa aqua, conteratur, aut leniori ignis gradu fluentibus v. g. wismutho, ſtanno, plumbo, ſi liquefactis his agitando intermiſceatur.

Commemoranda potiſſimum venit mirabilis illa facultas, quam mercurius alia atque alia ratione praeparatus, alio atque alio modo adplicatus, in corpus animale viuum exſerit (B. ALBINUS diſſ. de mercuriali ſaliuatione. Francof. ad Viadr. 1689.), ſiue globoſa eius particularum figura (AL. THOMSON diſſert. medic. Lugd. Bat. 1705. 8. IV. Propoſ. 3. p. 92), ſiue facillima in minimos globulos partitione (M. PANTELIUS diſp. de mercurio et eius in vſu medico operandi ratione. Regiom. 1698. 4. §. IX. p. 8.), ſiue facultate, qua ponderoſae eius particulae continuo per vaſa motu agitatae natum praeter naturam humorum viſcorem tollunt (H. BOERHAAVE praefat. in AL. LUISINI aphrodiſiacum ſ. de lue venerea. Leid. fol. 1738. LOESECKE l. c. pag. 265. 266. J. FRID. EHRMANN diſſertat. de hydrargyri praeparatorum internorum in ſanguinem effectibus. Argentor. 1761. 4. pag. 16. 17), ſiue nitatur illa inſigni, quod ipſi competit, pondere, quae multorum, praecipue PITCARNII (de ingreſſu morbi, qui venerea lues vulgo appellatur in diſſertat. medicis. Edinburg. 1713. 4. et diſſ. de cauſis diuerſae molis, qua fluit ſanguis per pulmones natis et non natis. p. 37.), C. A. GERHARD (materia medica. Ed. alt. Berol. 8. 1771. pag. 559), ED. BARRY (medic. transactions. Lond. 8. Vol. I. 1768. art. 10. p. 125), DE LA ROBARDIERE (recherche

che ſur la rougeole, ſur le paſſage des medicamens et des alimens dans le torrent de la circulation, ſur le choix des remedes mercuriaux dans la maladie venerienne. Paris 1776. 12.), veri ſpecie tamen carens, eſt opinio, ſiue ſingulari quadam, quam in alios atque alios corporis humores (FR. HOFFMANN de vera medicamentorum in morbis virtute et efficacia rite dignoſcenda. §. 40. Opuſc. med. practic. Hal. 1736. 4. Dec. I. p. 136. J. G. BAIER diſſ. de mercurii in corpus humanum agendi modo. Altorf. 1739. 4. p. 8. BOISSIER DE SAUVAGES diſſ. ſur les medicamens, qui affectent certaines parties du corps humain plutot que d'autres. Bourdeaux 1751. 4. p. 41), et mucum (PLENCK method. nov. et facil. argent. viuum aegris venerea labe infectis exhibendi, cui accedit hypotheſis noua de actione metalli huius in vias ſaliuales. Vindob. 1766. 8. p. 58), ſaliuam (BOISSIER DE SAUVAGES l. m. c. p. 41), pinguedinem praeſertim eiusque acidum (SCHWEDIAUER practical obſervations on venereal complaints. Edinb. 1788. p. 162), aut ſalem humorum armoniaco aemulum, aut virus venereum ipſum, quo, perinde ac acidum alcali conſortio, illud miteſcat (Practical eſſays on medical ſubiects by a Member of the royal College of phyſicians of London and Edinb. Lond. 1773. 8. Chemico-medical diſſertation on mercury, on its various proportions and mode of operating. Lond. 1774. 8. R. MAYWOOD eſſay on the operation of mercury in the human body. Lond. 1787. 8. ALTHOF l. c. p. 36 ſqq.) exercet, attractione, ſiue ſpecifico quodam ſtimulo, quo hoc potius quam aliud fabricae animalis ſyſtema afficit (PR. OWEN diſſ. de

mercurio. Edinb. 1757. 8. G. CULLEN lectures on materia medica, Edinb. 1772. N. D. FALCK on the medicinal qualities of mercury. Lond. 1776. 12. J. ANDREE obſervations on the theory and cure of the venereal diſeaſe. Lond. 1779. 8. A. DUNCAN obſervations on the operation and uſe of mercury in the venereal diſeaſe. Edinb. 1772. CHPH. GIRTANNER *Abhandl. über die veneriſche Krankheit.* Goetting. 8. 1788. I. p. 332. 333. III. p. 786. S. HAHNEMANN *Unterricht für Wundärzte über die veneriſchen Krankheiten.* Leipz. 1789. 8. §. 633. p. 251), ſiue ſpecifica quadam vi (ALBERTI diſſ. de iſtis mercurii partibus, quae inprimis miaſma venereum, in corpore haerens, deſtruere valent. Ienae. 1758. p. 34. VAN SWIETEN l. c. V. p. 521. J. C. G. MÜLLER diſſ. de viribus ac vſu mercurialium. Ienae. 1775. 4. p. 13), qua ex dominantibus artis ſalutaris principiis hactenus non explicanda, et in humores, et in ſolidas corporis viui partes agit.

Excitat certe paulo largius et diutius continuatus mercurii alio alioue modo praeparati vſus pulſum ſolito citatiorem, debiliorem et durum, odorem moleſtum in naribus, ſaporem in ore ingratum metallicum, tinctum faciei pallidum, murmura in canali cibario, cetera nullis doloribus ſtipata, nares acutas quaſi catarrho obſeratas, craſſos orbitarum margines, pallida et liuentia labia, horripilationes intima corporis penetralia concutientes aut continuas, aut crebro recurrentes, faſtidium cibi, praeſertim animalis, imo interdum niſus vomendi vehementes, capitis dolores lanci-

nantes

nantes aut comprimentes, radicem naſi aut occiput potiſſimum occupantes, naſi, aurium, manuum pedumque frigus, aluum ſegnem, ſomnum inquietum, languorem inſignem, oculorum nitorem quaſi aqueum, muſculorum colli rigorem quaſi rheumaticum, linguae in dorſo candorem, et, niſi progredienti eius efficaciae obex ponatur, difficilem pauliſper deglutitionem, dolorem quaſi pungentem, per radicem linguae et vtrumque oris interius latus vagantem, dentium quaſi vacillantium aut hebetium ſenſum, tonſillarum et glandularum ſubmaxillarium tumorem, et, ſi mercurii vlterius efficacis viribus nihil obſtat, tandem ſaliuae profluuium largiſſimum, quae omnia per quatuor vt plurimum dies aegrum exagitantia ſymptomata febris mercurialis nomine complecti geſtiunt alii; e. gr. Cl. HAHNEMANN (*Unterricht für Wundärzte über veneriſche Krankheiten.* Leipz. 1789. 8. §. 290.) febris ſaliuatoriae alii, v. g. Cl. ALTHOF (l. c. pag. 34.), morbi mercurialis alii e. g. G. FR. SCHREIBER (ſpecimen de morbo mercuriali. Erford. 1792. 4.)

Minimam longe mercurii partem, quo medici vtuntur, metallica (audit tunc *mercurius virgineus*) ſua facie et puram ſiſtit nobis natura, plurima potius ex mineris, quae cinnabarin modo magis modo minus impuram referunt, et in Iaponia, Sina, Sibiria (prope Nertſchinſk), regno Mexicano, Chilenſi, Peruuiano, Sicilia, Hetruria, Hungaria, Tranſylvania, Temeſia, Bohemia, Stiria, Carinthia, Tiroli, potiſſimum Carniolia, in Palatinatu rhenano, Ducatu Bipontino et propinquis quibusdam oris ex terrae viſce-

viſceribus eruuntur, iam PLINII (l. c. L. XXXIII. c. VIII. p. 599.), DIOSCORIDIS (l. c. L. V. c. LX. p. 456.) et GALENI (de ſimplicium medicamentorum facultatibus. L. IX. p. 299 a) tempore excocta, plurima, quemadmodum olim, Hannibale et Romanis hoc regnum tenentibus, ex Hiſpania, ita nunc ex Carniolae metallo Idrienſi, quod noſtra quidem aetate quotannis (J. J. FERBER *Nachricht von dem Anquicken der gold- und ſilberhaltigen Erze etc.* Berlin 1787. 8. p. 83-86.) 16000 eius centumpondia largitur, huius mercurii copia prodit.

Duplici autem potiſſimum modo ex mineris ſuis elicitur hydrargyrum, aut enim, ſicuti in officinis rhenanis, minerae hae contuſae cum calce viua, aut quae maiorem eius partem in ſe recludunt cum pauperioribus permiſtae vaſis retortis ex ferro crudo fabrefactis, quarum plures ſeriatim in furno nudae igni exponuntur, ingeſtae, ignis vim expertae, hydrargyrum vaporum forma eructant, qui vaſis appenſis aqua refertis excepti in guttas condenſantur, vt defuſa aqua colligi facile queat mercurius (COLLINI journal d' un voyage, qui contient differentes obſervations mineralogiques &c. Mannheim. 1776. 8. C. 4. tab. VIII.), aut, quae in Hiſpania (JUSSIEU mémoir. de l'Acad. des ſcienc. à Paris. ad ann. 1719. p. 461 &c. BOWLES introduzione alla ſtoria naturale e alla geografia fiſica di Spagna, publicata e commentata dal Cav. D'AZARA, e tradotta da FR. MILIZIA. Parma. 8. Vol. I. p. 77), et Carniolia (J. J. FERBER *Beſchreibung des Queckſilberbergwerks zu Idria in Mittelcrain.* Berlin. 1774. 8.) vſu venit operandi ratio, minerae contuſae nudae

fornici

fornici ex lapide calcario conſtructae furni impoſitae foco huic ſubſtrato excalefactae vapores per foramina ſex in poſteriori furni parte aperta exeuntes, olim per tot ſeries ollarum ex argilla coctarum, ſubgloboſarum vtroque fine peruiarum, (vocant *Aludel*), in plano quinque orgyas longo verſus mediam ſui partem inclinato poſitarum, nunc, melius vtique (SCOPOLI *Anfangsgründe der Metallurgie.* p. 136. T. X. f. A — D.) per canales muri inſtar conſtructos in cameram frigidam, dum labor iſte durat, vndique arctiſſime occluſam, ducuntur, et, opitulantibus etiam vaſis, aqua frigida repletis, quae in hac camera ponuntur, in liquidum mercurium rediguntur.

Ita mercurius, ab aqua et fuligine, qua nonnunquam poſt eliquationem contaminatus prodit, liberatur, 150 vtplurimum librarum pondere corio, interdum duplici, et praeterea doliis incluſus in officinas tum artificum, tum medicamentarias intrat.

Intrat tamen haud raro aliis iam vitiatus, quae ineptum non modo reddunt aliis atque aliis inſtrumentis phyſicis, ſed ſalutarem quoque eius virtutem magis minusue corrumpunt. Sunt v. c. qui mercurio, in mortario ferreo, ſuperinfuſo oliuarum oleo excalefacto, agitando intermiſcent liquefacti aut ſtanni, aut, quod crebrius euenit, plumbi cum aequa wismuthi portione permiſti, partem quartam (MOENCH *ſyſtematiſche Lehre von den gebräuchlichſten Arzneymitteln. Dritte Auflage.* 1795. 8. p. 218.) intermiſcent: Sunt, qui alia ratione aut ſolum, aut wismutho temperatum addunt plumbum.

Vltro

Vltro patet illa fraus aliquando ex minori mercurii mobilitate, et oblongata magis, quam globoſa, caudatam fere dixeris, particularum, in quas diuellitur, figura, ex ſuperſtite, ſi per corium premitur, in hoc corio metallo ſolido, cuius ne hilum quidem remanet, ſi idem periculum cum mercurio meraco capias; certius definit ignis, quo opus eſt, vt ferrum candeat; illo enim igne in auras vtique abit mercurius, nequaquam illa metalla, quibus vitiari mercurius ſolet; quodſi igitur mercurius in cochleari ferreo igni expoſitus, quo cochlear illud penitus candet, relinquat aliquid, non amplius dubitabis, eſſe adulteratum, et ex indole et copia reſidui colliges, quo peregrino metallo et quantopere corruptus ſit. Certiſſime atque exactiſſime determinatur illud vitium ope diſtillationis, qua quippe, ſi genuinus ſit mercurius, et circumſpecte ſatis operetur artifex, ne minimam quidem ſui ponderis iacturam facit mercurius; vt igitur hoc ſcrutinium ſubeat, definitum mercurii de corruptela hac ſuſpecti pondus vaſi retorto minori vitreo puro et ſicco ingeritur, quod circumligata eius fini charta griſea in tubum ſenſim anguſtiorem conuoluta in arenae, quod appellant, balneo ita ponitur, vt, collo eius fere perpendiculari, finis illius chartae contingat ſuperficiem aquae vaſe appoſito contentae; ſubſternitur nunc focus, calore paulatim eo vsque aucto, donec mercurius ebulliat, quo facto vapores mercurii per collum vaſis et continuum tubum chartaceum propulſi, vt primum cum aqua in contactum veniunt, multi iam in collo vaſis, in guttas liquidi mercurii condenſantur; ita

conti-

continuato tam diu eo igne, donec nulli amplius vapores aſſurgant, omnem mercurium tum in collo retortae tum infra aquam in vaſe excipiente habebis, cuius ſollicite collecti et ab aqua adhaerente caute mundati pondus, ſi genuinus fuerit mercurius exacte reſpondebit ponderi adhibiti et in vas intromiſſi mercurii: ſin minus, tantum imminutum deprehendes, quantum peregrini metalli mercurio inhaeſerat.

Illud peregrinum metallum, quod facile nunc examinari vlterius poteſt, in fundo vaſis haerens, ſuo pondere exacte referet iacturam ponderis, quam mercurius hac operatione perpeſſus eſt, mangonium igitur mercurii, eius indolem et rationem confirmabit.

Quodſi ergo peregrino quodam metallo, et nocentiſſimo praeprimis plumbo, adulteratum eſſe mercurium haec exploratio manifeſtat, depuratione eius omnino opus eſt; ea quidem, ſi ſalutarem tibi praefigas in eius vſu finem, optime fit per eandem diſtillationem, aut ſimiliter in vaſis retortis vitreis, in arenae balneo poſitis, aut in vaſis retortis ex argilla coctis, quae nuda ignis vim experiuntur, peractam; metallica vaſa ob ſummam qua in mercurium feruntur, attractionem, ne ferro quidem denegandam, ſi ad hunc laborem perficiendum adhibeantur, nouae labis metum merito incutiunt.

Ab aliis ſordibus argenteum argenti viui nitorem crebro obſcurantibus minoris momenti, v. g. pinguibus, pulviſculis in atmoſphaera obuolitantibus et in eius ſuperficiem delapſis facilius liberari poteſt

mercu-

mercurius, ſi vel per goſſypium, quo infundibulum vitreum ſarcitur, traiiciatur, vel per corium aut alutam prematur, vel in mortario lapideo cum aqua, addito forte aceto aut ſale communi, aut vtroque, aliquamdiu, donec plenus metalli ſplendor redeat, conteratur.

Argentum viuum, quamuis iam ARISTOTELI (Μετεωρολογικ. L. IV. c. 8.) et THEOPHRASTO ERESIO (de lapidibus ed. Heinſ. p. 400.) ἀργυρου χυτου nomine notum, ſero tamen in officinas medicamentarias receptum fuit, a multis potius e. gr. PLINIO (l. m. c. et c. 6. p. 596), et Graecis potiſſimum, HERACLIDE (apud PLINIUM l. c. L. XX. c. 5. p. 370), NICANDRO (ibid. L. XXII. c. 13. p. 412), DIOSCORIDE (l. m. c. et L. VI. c. 27), GALENO (l. m. c. L. V. c. 19), et qui eorum verba repetierunt, AETIO (tetrabibl. I. ſerm. 1. et tetrabibl. IV. ſerm. 1. c. 79), PAUL. AEGINETA (de re medica L. V. c. 64), ACTUARIO (method. medend. L. V. c. 12), ISIDORO (ORIGEN. L. XVI. c. 18), P. DE ABANO (de venenis eorumque remediis p. 14), aliisque tanquam venenum deteſtatum, ab aliis ſerioris quoque aeui, externo adeo vſu reformidatum, vt v. g. CHR. G. DE HONESTIS (expoſitio ſuper antidotarium MESUES. Venet. 1602. fol.) ex vnguento a MESUE ad ſcabiem ſanandam commendato, argentum viuum, quod ille receperat, exulare iuberet, MANARDUS (epiſtolarum L. VI. Pariſ. 1528. 8.), J. COSTAEUS (in MESUAE ſimplicia et compoſita et antidotarii nouem poſteriores ſectiones adnotationes. Venet. 1602. fol.), C. SCHELLIG (conſilium in puſtulas malas, morbum, quem malum de francia vulgus appel-

appellat, quae ſunt de genere formicarum. Heidelberg. 1497. 4.), WEND. HOCK (mentagra ſiue tractatus de cauſis, praeſeruatiuis, regimine et cura morbi gallici &c. Venet. 1502.), EUST. RUDIUS (de morbo gallico L. V. a *Mundino Mundinio* ore excepti &c. Venet. 1604. 4.), J. HARTMANN (diſſ. de lue venerea. Marburg. 1611. 4.), M. MOREL (quaeſtion. medic. Monſpel. 1617. 4.), M. UNZER (anatomia mercurii ſpagyrica, ſiue de hydrargyri natura, proprietate, viribus et vſu L. II. Hal. Saxon. 1620. 4.), CONSTANT. DE REBEQUE (le Chirurgien hoſpitable. Lauſann. 1673. 8.) et J. MOYLE (Chirurgus marinus. Lond. 1702. 8.) timidos valde in eius vſu ſe gererent, alii v. g. NAT. MONTESAURUS (de epidemia, quam vulgares mal Franzoſs appellant. 1497.), SEB. AQUILANUS (interpretatio morbi gallici et cura. Lugd. 1506. 4.), C. TORELLA (dialog. de dolore cum tractat. de vlceribus in pudendagra euenire ſolitis. Romae 1500.), U. DE HUTTEN (de guaiaci medicina et morbo gallico. Mogunt. 1519.), B. STEBER (a malo Franczos, morbo gallorum praeſeruatio ac cura) et L. PHRISIUS (epitome opuſculi de curandis puſtulis vlceribus et doloribus morbi gallici mali Franzos appellati, Baſil. 1532. 4.), J. VOCHS (de peſtilentia anni praeſentis et eius cura, cum quibusdam dubiis et digreſſionibus. Magdeb. 1507. 4.), BENED. VICTORIUS (lib. de morbo gallico et eius cura. Baſil. 1536.), J. B. MONTANUS (tractat. de morbo gallico apud Luiſinum l. c.), P. HASCHARD (morbi gallici compendioſa curatio. Louan. 1554.), Vid. VIDIUS (de curatione morborum generatim. Venet. 1611. L. XXVII.), J. LANGE (medi-

(medicinal. epiſtolar. miſcellan. Baſil. 1554. 4. epiſt. 43.), J. FERNELIUS (de luis venereae curatione perfectiſſima), D. LEONUS (method. curandi febres &c. Bonon. 1562.), B. TOMITANUS (de morbo gallico. 1563.), J. PALMARIUS (de morbis contagioſis. L. VII. Lutet. 1578. 4.), A. QUIQUEBOEUF et P. PAULMIER (Eſtne hydrargyrus luis venereae alexipharmacum? Pariſ. 1596.), AUR. MINADOUS (tractat. de virulentia venerea &c. Venet. 1596. 4.), GUIL. ARRAGOSIUS (epiſt. ſ. diſſert. de natura et viribus hydrargyri, apud THEOD. ZWINGER faſc. diſſertat. medic. ſelectior. Baſil. 1710. 8.), AL. MASSARIAS (practica medica cur. J. BURMANNI. 4. Francof. 1601.), J. B. SYLVATICUS (controuerſiae medicae numero centum. Mediol. 1601. fol.), J. RENODAEUS et G. ARBAUD (an hydrargyrum tutum luis indicae alexipharmacum? Lutet. 1606.), F. PACIUS (comment. in ſeptimum Galeni librum cum tract. de morbo gallico per methodum curando. Vicent. 1608. fol.), H. GUARGUANTUS (reſponſa varia. Venet. 1613.), J. C. CLAUDINUS (empirica rationalis, libris ſex abſoluta. Bonon. 1653. fol.), J. C. ROSENBERG (roſa nobilis iatrica ſ. animaduerſiones et exercitationes medicae hippocraticae et hermeticae. Argent. 1624. 12.), A. EVERHAERS (antiqui morbi recrudeſcentis cum gallico collatio. Mediob. 1661.), FR. DECKER (exercitation. practicae circa medendi methodum. Lugd. et Amſtelod. 1673.), A. BIGORRA (doctoralis laureae triumphus. Monſp. 1658.), N. DE BLEGNY (Zodiacus medico gallicus. Genev. 4. T. I. 1679. p. 108.), S. JANSONIUS (flagellum veneris of verhaal van Venus-plage. Rotterdam.

terdam. 1680.), THEOD. DE CRAANEN (Oper. omn. Antwerp. 1689.), N. HEINSIUS (de kwynende Venus. Amſterd. 1697.), J. LINDER de venenis in genere et ſpecie. Lugd. Bat. 1708. 12.), H. CESTONUS (vera condicione della ſalſa Pariglia. Liburn. 1708.), J. SINTELAER (the ſcourge of venus and mercury. Lond. 1709.), L. G. DE KAVEN (Venus à la mode. Leipz. 1717.), J. BOUEZ DE SIGOGNE methode nouvelle pour guerir les maladies veneriennes. Paris 1722.), A. M. ZANNINI (in edit. Oper. omn. G. BALLON. Venet. 4. Vol. III. 1736. epiſt. dedicat.), LUDOLF et RITTER (demonſtratio, quod atrociſſima luis venereae ſymptomata non ſint effectus morbi, ſed curae mercurialibus inſtitutae. Erf. 1747. 4.), L. H. WINKLER (*Gründlicher Vorſchlag, ſich von allen veneriſchen Krankheiten zu befreyen.* Freyberg 1752.), L. G. FABRI (appendice al trattato dell' uſo del mercurio ſempre temerario in medicina. Lucca 1751. 4.), J. VERGELY DE VELNOS (diſſert. ſur un nouveau remede antivenerien vegetal. Paris 1768.), J. ST. MITTIE (lettre ſur les inconveniens du mercure. à Paris 1784. 8.), ipſum adeo externum in mali venerei medicatione tanquam periculoſum et noxium penitus reiicerent.

Fuere tamen iam inter Arabes medicos, qui, quamuis alias Graecorum veſtigiis ſeruiliter inſiſtentes, eorum criminatione haud deterriti, mercurio alia atque alia forma induto ad ſanandos corporis humani morbos vti non dubitabant, ii tamen in externo vtique vſu acquieſcentes: Ita JANUS DAMASCENUS ſ. JOANNES fil. MESUE (Medicinae theoreticae. Baſil.

1543. fol. L. III. c. 5.), EBN SINA vulgo AVICENNA (Cantic. de medicina), ABUBERIG, ABEN. MESUAI et RHAZES (in libro de ſimplicibus medicamentis cura O. BRUNSFELSII. Argentor. 1531. fol. et J. SERAPIONIS fil. falſo adſcripto cap. 375.) pediculis necandis, poſteriores tres quoque (l. m. c.), perinde ac J. MESUE (Grabadin. L. I. in Oper. omn. Venet. 1589. fol. p. 185.) et EBN-SINA (Canon. medic. Venet. 1582. fol. L. II. Tr. 2. p. 119.) ſcabiei, poſterior quoque (l. m. c.) aliis morbis cutaneis et vlceribus malignis oppoſuere. Ipſum mercurium, quem vulgo vocant, ſublimatum corroſiuum, Arabibus vtique iam cognitum, quamuis venenis atrociſſimis accenſeat (Lib. ad Almanzorem. Venet. 1783. fol. L. 8), aeque ac ante eum aethiopici, vt videntur, medici CHUZI (Continens. 1486. fol. l. 14. c. 1.) inter medicamenta erodentia refert RHAZES.

Verum enim vero, etiamſi medio aerae noſtrae aeuo arabum medicorum codices in multorum eſſent manibus, multi eorum verſionibus et amplis commentariis illuſtrarentur, non paucis adeo medicorum ſcholis normae quaſi loco inſeruirent, etiamſi GALENUS, ea aetate tam magni habitus, vt multis oraculi inſtar aeſtimaretur, de virulenta mercurii epoti indole (de ſimplicium medicamentorum facultatibus L. IX.), proprio experimento deſtitutus, dubitaſſet, et RHAZES (L. ad Almanzorem 8.), periculo in ſimia capto, non nocere comperiſſet, vix tamen auſere, praeiudicio iſto occaecati reliqui Europae medici, mercurium adhibere, donec nouus, in priorum medicorum libris, quos conſulere plurimi

male-

malebant, quam naturam ipſam, non obuius morbus, turpiſſima illa lues venerea, mitiorum, hactenus conſuetarum, medicinarum vſu exaſperata potius, quam ſanata, nouum, et vti quidem videbatur, anceps poſceret remedium. (J. FR. HERRENSCHWANDT diſſ. de hiſtoria mercurii medica. Lugd. Bat. 1737. 4.)

Non huius eſt loci, in aetatem et primam morbi illius, qui largam et Europaeis certe primam vires huius metalli medicamentoſas vlterius experiundi et definiendi exhibuit anſam, inquirere; ſufficiat potius increbeſcentem ab eo tempore paulatim mercurii vſum perſequi, modum, quo effectus illos ſalutares producit, quantum quidem fieri poteſt, enucleare, et multifarias illas formas atque applicandi rationes, quibus medici et agyrtae ad noſtra vsque tempora vſi ſunt, enarrare, ac, quantum quidem experientia permittit, diiudicare.

In omne fabricae animalis ſyſtema efficacitatem ſuam exſerere mercurium, facile ſibi perſuadebit, qui, quas intulit noxas, quas perfecit medicationes, attentiore paulo animo ſecum perpendit. Humores iuſto ſpiſſiores eius vſu attenuari, tot loquuntur fauſtiſſimi euentus, multifarium eius in glandularum et viſcerum obſtructionibus, ipſis inflammationibus, vſum inſecuti, maximae et pernicioſae humorum diſſolutionis a nimio, improuido, diuturno eius vſu progeneratae, et atrocium malorum, quibus aegrotos nimia humorum reſolutione v. gr. ſcorbutica laborantes, mulctauit, exempla, vt haec certe eius virtus extra omnem dubitationis aleam ſit poſita.

Neque ſane in fibram contractilem nulla eſt eius vis; vnde enim citatior ille pulſus, quem medici in aegrotis mercurio vtentibus, nulla eius alia cauſſa intercedente, obſeruant? Vnde tumor ille partium oris interni, ſaliuae profluuium vtplurimum praecedens? Vnde notabile illud in multis iſtiusmodi aegris irritabilitatis augmentum, a morbo ipſo vtique non pendens? Vnde languor ille inſignis eorum, quibus per longum temporis ſpatium exhibitus fuit mercurius, niſi in fibram quoque muſcularem agere mercurium tibi perſuadeas?

Neque dubius eſt mercurii in neruos effectus, funeſtus omnino, vt ea certe forma veneni nomine digniſſimus ſit, ſi halitus ſpecie per nares atque os corpus ingrediatur, ita vt non tremores modo artuum experiantur v. gr. metallici, qui in fodinis, in quibus mercurius virgineus occurrit, operantur (KEYSZLER *Reiſen.* Hannov. 4. edit. nov. 1751. pag. 1199. J. J. FERBER *Beſchreibung des Queckſilberbergwerks zu Idria in Mittelcrayn.* pag. 12), chirurgi (B. RAMAZZINI de morbis artificum diatribe p. 491.), qui in mercurio per frictionem adplicando deſudant, et ii, qui e. g. in officinis venetis mercurii cum ſtanno miſtura vitri ſuperficiem illinunt (*Idem* l. m. c. p. 501.), ſed alii quoque artifices, qui ſurgentibus ex igne mercurii vaporibus ſeſe exponunt, (FABRICIUS HILDANUS obſeruat. et curation. chirurgicar. cent. V. Francof. 1646. obſ. 92-98. p. 491. SAUVAGES noſologia methodica. T. II. P. 2. p. 55. et T. III. P. 2. p. 181. FERD. PONZETTI de venenis. L. II. c. 21.), potiſſimum

mum aurifabri, qui in deaurandis ignis auxilio aliis metallis verſantur (SCHENCK obſeruat. medic. L. VII. p. 820. FORESTUS obſeruation. L. VIII. Obſ. 5. FERNELIUS de luis venereae ſ. morbi gallici curatione perfectiſſima. Antwerp. 1579. 8. c. 7. M. ETTMÜLLER colleg. medico-chirurg. p. 137. FR. HOFFMANN opuſc. patholog. practic. Vol. II. p. 427. B. RAMAZZINI l. m. c. pag. 486 ſq. A. VAN HAEN ration. medend. T. II. p. 214. et T. III. p. 220-229.), tum aſthmati, tum paralyſi artuum, et apoplexiae praeſertim valde ſint obnoxii, neque rara adeo ſint exempla hominum (TANAQUIL GUILLAUMET de la cryſtalline. Lyon 1611. 12. KORNBECK hiſtoria morborum a mercurio. Vienn. 1776.), ab inſpiratis exitioſis his halitibus mortem repentinam obeuntium. Ab interno quoque medicamentorum mercurialium vſu conuulſiones et epileptica ſymptomata nata referunt FR. HOFFMANN et G. L. SCHOTT (de medicamentis inſecuris. Hal. 1713. §. XXII. p. 33.); hominibus cerebro debili vel nimis laxo praeditis, vertigini, torpori, conuulſionibus obnoxiis praeprimis nocere teſtatur WILLIS (de anima brutorum c. 9. de paralyſi).

Memorandus praecipue venit effectus, quem mercurius in organa, ſecernendae atque excernendae ſaliuae inſeruientia, exercet, vt primum largiori paulo copia, ſano etiam corpori, ingeritur, vt ideo inter medicamenta ſaliuae profluuium excitantia ſiue ſialagoga primum merito occupet locum; tantum tamen abeſt, vt in hac virtute omnis vertatur cardo, in largiori hoc ſaliuae fluxu omnis

 abſol-

abſoluatur mercurii ope peracta medicatio, vt potius in plurimis morbis mercurium poſcentibus eo effectu non opus ſit, in aliis aut noceat, et fini, quem medicus praefixum ſibi habet, obſtet, aut praeter neceſſitatem debilitet aegrum, et perfectam eius ſanationem procraſtinet, conſilio igitur tum per modum adhibendi, tum per interpoſita alia medicamina vitandus ſit.

Sunt tamen morbi, in quibus mercurius ſingularem quandam exſerit ſalutarem efficaciam, nequaquam ſemper ex generalioribus iſtis principiis explicandam. Et inter hos quidem morbos eminent morbi venerei, in quibus, aeque ac in affini ſatis Africae et calidioris Americae vicinarumque inſularum morbo, incolis ſub nomine Yaws (AD. FR. LÖFFLER *Beyträge zur Arzneywiſſenſchaſt und Wundarzneykunſt.* Leipz. und Alton. 8. P. I. 1791.) et Pians (BAJON memoires pour ſervir à l'hiſtoire de Cayenne et de la Gujane françoiſe. à Paris. 8. T. I. 1777.) notiſſimo, quicquid recentius quoque v. g. POTEL (journal de medecine, chirurgie, pharmacie &c. 1776. Tom. XLVI. Dec. nr. 2.) obmurmuret, ad argentum viuum tanquam ad ſacram anchoram confugiunt, et, modo circumſpecte ſatis procedant, fundata multiplici ſucceſſu fiducia confugiunt medici.

Primus tamen, qui ad debellandum truculentum hoc malum, primo in Europam introitu leprae, cui iam THEODERICUS (Chirurgia. Bergam. 1498. fol.) et alii oppoſuerant, tantopere aemulum, mercurio vſus eſt, videtur fuiſſe JO. WIDMANN ſ. de SALICETO (tractat. de puſtulis et morbo, qui vulgato nomine

nomine mal de Franzos appellatur. 1497. 4.), ſequentibus mox non agyrtis modo (B. STEBER l. c.) qui nulla adhibita cautela eo vtebantur, ſed veri etiam nominis medicis, P. PINCTORE (de morbo foedo et occulto his temporibus affligente. Romae 1500. 4.), JO. ALMENAR (libell. ad euitandum et expellendum morbum gallicum. Venet. 1502. 4.), M. J. PASQUAL (praxis medica ſ. methodus medendi. Valent. 1555. 8.), V. GISELINO (ep. de hydrargyri vſu ad M. EVERARDUM. Antwerp. 1579. 8.), HERCULE SAXONIA (luis venereae perfectiſſim. tractat. Patav. 1597. 4.), SEGUYN et RABAULT (qu. med. an vt leprae ſic lui venereae hydrargyroſis? Paris 1598.), A. BASTELLO (Speculum medicinae. Madrit 1599. 4.), J. QUERCETANO (lib. de priſcorum philoſophorum verae medicinae materia, praeparationis modo, atque in curandis morbis praeſtantia. Genev. 1603. 8.), G. FABRICIO HILDANO (Curation. chirurgic. Centur. 5. obſ. 96. Oper. Francof. 1646. fol. p. 493-495.), M. MORELLO (quaeſtion. medicae. Monſpel. 1617. 4.), J. COLLE (de cognitu difficilibus in praxi ex libello HIPPOCRATIS de inſomniis, et ex libris AVENZOARIS per commentaria et ſententias dilucidato. Venet. 4. 1628.), S. HAFENREFFER (Πανδοχειον αιολοδέρμον, in quo cutis eique adhaerentium partium affectus omnes traduntur. Tubing. 1630. 8. L. I. c. 2.), J. JOHNSTON (Idea vniuerſae medicinae practicae. Lugdun. 1655. 8. L. XI. p. 729.), P. SARTORIO (*Franzoſenarzt oder Tractat von der Schwachheit der Franzoſen und derſelben Cur.* Strasburg 1645. 8.), BOUJONIER et PATIN (Qu. med. Eſtne certa et optima luis venereae per ſolam

 hydrar-

hydrargyroſin curatio? Paris 1649.), MATTOT et GUERIN (Qu. med. An in curanda ſyphilide balneum ptyaliſmo praemittendum? Paris 1668. 4.), F. MENDEZ (Stadium Apollinare. Lugd. 1668. 4. Th. IX.), J. D. MAJOR et J. N. SCHIPPEL (diſſ. de vſu et abuſu mercurii in lue venerea. Kilon. 1673. 4.), P. DE SORBAIT (Prax. medic. auct. et a plurimis mendis repurgata. Vienn. 1678.), L. VON HAMMEN (Curricul. medic. monſpelienſ. Monſpel. 1674. 4.), GU. HARRIS (de morbis acutis infantum, annexis etiam quibusdam de luis venereae origine, natura et curatione. London 1705. 8.), FR. CALMETTE (Riuerius reformatus ſiue praxis medica methodo Riuerianae non abſimilis. Genev. 1677. 8.), M. G. PURMANN (*Wahrhaftiger Feldſcherer oder die wahrhafte Feldſchererkunſt.* Halberſt. 1680. 8.), M. ETTMÜLLER (Medicus theoria et praxi inſtructus i. e. fundamenta medicinae vera. Lipſ. 1685. 4.), J. H. JÜNGKEN (compend. chirurg. manual. abſolut. Francof. 1691. 8.), J. MOYLE (Chirurg. marin. ſ. Chirurg. P. I. et II. Lond. 1702. 8.), C. OERI (diſſ. de hydrargyri viui viribus et vſu. Baſil. 1706. 4.), W. HALLET (diſſ. de viribus argenti viui. Lugd. Bat. 1714. 4.), AL. KNIPS MALOPE (de Co Averrhoae, de duobus remediis ab eo maxime illuſtratis, mercurio et Aponenſibus thermis commentat. Paris 1725. 4.), BAILLI et FRÉMONT (qu. med. An. hydrargyrus vnicum ſyphilidis αλεξιφαρμακον? Paris 1727. 4.), J. G. H. KRAMER (Commerc. litterar. Noric. 1734. hebd. 41. p. 322. et hebd. 42. p. 330.), J. ASTRUC (de morbis venereis. Paris 1738. 4. L. II. C. 9. p. 158 ſqq.), J. D. SCHLICHTING (ſyphilidos

mnemo-

mnemoſynon criticum. Amſterdam 1741. 8.), L. HEISTER (compendium medicinae practicae. Amſtelod. 1743. 8.), M. GHISI (lettere mediche. Cremona. 1749. 4. n. 1.), CONNALLO O CONNEL (diſſ. de optima tutiſſimaque luem veneream radicitus extirpandi methodo, cui accedit diſſ. altera de neceſſitate ac poſſibilitate operationis caeſareae in partu deſperato. Lugd. Batav. 1751. 4.), auctore libelli (Parallele des differentes methodes de traiter la maladie venerienne. à Amſterdam. 1764. 8.), N. R. VON ROSENSTEIN (Underrättelſen om Barn-Sjukdomer och deras Bote-medel &c. Stockh. 1764. 8.), TH. GATAKER (eſſays on medical ſubjects, originally printed ſeparately, to which is now prefixed an introduction relating to the uſe of hemlock and corroſive ſublimate, and to the application of cauſtic medicines in cancerous diſorders. London 1764. 8. p. 182 ſq.), J. WATHEN (practical obſervations concerning the cure of venereal diſeaſe by mercurials, to which is added a letter to P. COLLINSON, containing an account of an ear of dog's graſs, that was ſwallowed by a child, and afterwards diſcharged on its back. Lond. 1765. 8.), G. HEUERMARN (*Vermiſchte Bemerkungen und Unterſuchungen der ausübenden Arzneywiſſenſchaft.* Kopenhagen und Leipz. 8. Vol. II. 1767. p. 20), J. HARTMANN (Kongl. Svenſk. Vetenſk. Acad. Handling. Vol. XXIX. ann. 1768. trin. 3. art. 8. p. 273 ſq.), N. J. PALLUZZI (Saggio di nuove oſſervazioni e ſcoperte. Florent. 1768. 8. p. 143 ſq.), VAN HORNE (examen des principales méthodes, d'adminiſtrer le mercure pour la guériſon des maladies veneriennes.

à Londres

à Londres et Paris 1769. 8.), N. D. FALCK (treatiſe on the venereal diſeaſe. London 1771. 8. P. III. p. 271 ſq.), G. van SWIETEN (l. c. Vol. V. p. 509 ſq.), CÉZAN (manuel anti-ſyphillitique ou eſſai ſur les maladies veneriennes avec une préſervatif de ces maladies. à Londres et Paris 1774. 8.), DARSSES (de hydrargyri vſu in lue venerea. Monſp. 1776.), J. HOWARD (tr. on the medical properties of mercury. London 1782. 8.), J. de PLENCIZ (acta et obſeruata medica. Prag. et Vienn. 1783. 8.), J. SCHWEDIAUER (practical obſervations on the more obſtinate and inveterate venereal complaints. London 1784. 8. c. 11-15. p. 153-209), ANDRIEN (compte rendu au public ſur les nouveaux moyens de guérir la maladie venerienne. nouv. edit. à Paris 1786. 8.), A. FR. HECKER (*deutliche Anweiſung die veneriſchen Krankheiten genau zu erkennen und richtig zu behandeln.* Erfurt. 1791. 8.).

Non autem ad ſanandum modo iam praeſens, ſed ad praecauendum quoque malum hoc a multis et commendatus fuit et adhibitus mercurius; vt a contagio tuti ſint in veneris ſuſpectae caſtris militantes, ante concubitum, lumbos (FALCK l. c.), genitalia (W. HARRISON diſſ. de lue venerea. Edinb. 1781. 8.), aut penis glandem (L. WARREN nouvelle methode également prompte et facile pour guérir la gonorrhée virulente et pour s'en garantir. Amſterd. 1771. 8.) vnguento mercuriali infricari alii, mercurium dulcem in vola manus cum ſaliua ſubactum ante coitum peni alii (ASSALINI eſſai medical ſur les vaiſſeaux lymphatiques &c. avec les moyens de

de prévénir les effets des ſubſtances venimeuſes, comme la ſalive du chien enragé, le venin de la vipére, le virus venerien &c. Turin et Milan. 1787. 8.), ante et poſt coitum genitalia lauari aqua phagadaenica, illamque iniici alii (GUILBERT DE PRÉVAL examen de l'eau fondante de Mr. GUILBERT DE PRÉVAL. à Paris 1777. et CEZAN l. c.), coitu peracto meracam mercurii ſublimati corroſiui (grani vnius vel duorum) in aqua (vnciis octo) factam ſolutionem eadem ratione adhibendam alii (HARRISON l. c. J. HUNTER treatiſe on the venereal diſeaſe. London 1786. 4. S. GRAHAM diſſ. de gonorrhoea virulenta. Edinb. 1776. ALTHOF l. c. p. 67), mercurium dulcem cum aqua permiſtum alii (FALCK l. c.), mercurium tartariſatum aqua ſolutum (PRESSAVIN traité des maladies veneriennes, dans lequel on indique un nouveau remede, dont l'efficacité eſt conſtatée par des experiences reiterées et un ſuccés conſtant depuis dix années. Génév. 1773. 12.) alii poſt concubitum vrethrae iniici ſuadent. Et cicurari certe poſſe per argentum viuum virus ſyphiliticum probabile reddit experimentum HARRISONII (l. m. c.), qui a permixta cum medicamento mercuriali PLENCKII ſanie venerea iterato ſanorum corporum aliis atque aliis partibus per vulnera inſita ne veſtigium quidem mali venerei inde progenitum vidit.

At quocunque pacto exhibeatur, annotantibus iam THEODERICO (l. c. l. 3. c. 49.) et GUIDONE DE CAULIACO (Chirurgia magna. Bergam. 1498. fol. tr. 6. doctr. 1. c. 3. rubr. 1. 2. 4.), glandulas, quae

ſaliuam

ſaliuam largiuntur, potiſſimum petit mercurius; oritur primo, ſecundo, crebrius tertio die, imo ſerius a primo inde mercurii vſu non febricula modo, calor, anxietas, ſitis, et languor, ſed oris praeſertim halitus foetidiſſimus, certiſſimum et facillimum ſaliuae largis breui temporis ſpatio riuis proditurae indicium; dolent gingiuae, aſſurgunt dentes, rigeſcunt buccae, intumeſcunt labia, inflatur caput, turget lingua, et parte, qua dentes contingit, perinde ac reliquae internae oris partes, multis iisque dolentibus, crebro profundis, exaratur vlceribus; profluit plenis riuis, ne per noctem quidem interruptis, ſaliua putidiſſima.

Largius hoc ſputi profluuium, quamuis vires aegroti mirifice proſternat, aliasque adhuc alibi memorandas calamitates inducat, multosque tum aegros, tum ipſos medicos a mercurii vſu deterruerit, multis tamen ad ſanandam funditus luem veneream adeo neceſſarium viſum fuit, vt, niſi hac via ex humoribus corporis humani quaſi eluatur, deleri virus venereum nunquam poſſe ſibi perſuaderent. Ita iam tempore JOSEPHI GRUENBECK (tractat. de peſtilentiali ſcorra &c. 1496. 4.) de mercurii vſu ſenſere medici; inter hos J. WIDMANN (l. c.), et M. BROCARDUS (diſſ. de morbo gallico ap. LUISINUM l. c.); in eadem perſtitere opinione plurimi inſequentium ſeculorum medici, FRACASTORIUS (Syphilis ſ. morbus gallicus. Veron. 1530. 4.), J. a BETHENCOURT (noua poenitentialis quadrageſima, nec non purgatorium in morbum gallicum ſiue venereum, opus fructiferum. Pariſ. 1527. 8.), J. JOHNSTON (l. c.), G. FABRICIUS HILDANUS

DANUS (obſerv. chirurgic. cent. V. obſ. 96. Oper. p. 494), FR. BOUJONIER et R. PATIN (l. c.), GU. ROLLFINK et Z. N. GOETZ (diſſ. de ſaliuatione. Ienae 1656. 4.), GU. ROLLFINK et J J. HAGER (diſſ. de ſaliuatione. Ienae 1670. 4.); B. TIMAEUS a GULDENKLEE (Caſus medicinales praxi triginta ſex annorum obſeruati. Lipſ. 1715. 4. p. 273 ſq.), J. G. TRUMPH et B. CHRN. CAPELLE (diſſ. de ſaliuatione mercuriali. Ienae 1668. 4.), P. MATTOT et CL. GUERIN l. c., J. WIGAND (diſſ. de ptyaliſmo. Gieſſ. 1669. 4.), GU. HARRIS (l. c.), R. WISEMANN (Several chirurgical treatiſes. London. 1676. fol.), FR. CALMETTE (l. c.), TH. SYDENHAM (epiſtol. de luis venereae hiſtoria et curatione. Londin. 1680. 8.), M. G. PURMANN (*Anweiſung zur Salivationscur*. 8. Frankf. 1700.), J. M. HOFMANN et AD. UNZELMANN (diſſ. de ſaliuatione mercuriali. Altorf. 1691. 4.), A. NUCK (ſialographia. Leid. 1692. 8.), N. M. WILHELMI (diſſ. de ſaliuatione mercuriali. Lugd. Batav. 1694. 4.), FR. HOFFMANN (medicin. rational. ſyſtematic. Hal. 4. T. IV. P. 5. 1739. C. IV. p. 161 ſq.), H. BOERHAAVE (aphoriſmi de cognoſcendis et curandis morbis. Lipſ. et Hal. 8. 1739. aphor. 1467. p. 545), G. E. STAHL et J. D. ISAAC (diſſ. de ſaliuatione mercuriali, aliis praeter luem veneream morbis rebellibus exſtirpandis pari. Hal. 1710. 4.), P. PAXTON (ſpec. de corpore humano et eius morbis, or an eſſay concerning the knowledge and cure of moſt diſeaſes affecting human bodies, to which is annex'd a ſhort account of ſalivation and the uſe of mercury. Lond. 1711. 8.), J. L. PETIT (traité des maladies des os, dans le quel on a repréſenté les appa-

appareils et les machines, qui conviennent à leur guériſon. Paris. 1705. 12.), G. RAST et J. FINKENAU (diſſ. de ſaliuatione mercuriali. Regiom. 1705. 4.), G. GORIS (Mercurius triumphator. Lugd. Batav. 1717. 8.), H. OOSTERDYCK SCHACHT et ABR. VAN LOON (diſſ. de πτυαλισμω artificiali. Lugd. Batav. 1720. 4.), B. BOSCHETTI (diſſ. de ſaliuatione mercuriali. Venet. 1722. 4.), A. KNIPS MALOPE (l. c.), M. SCHURIG (ſialographia ſ. ſaliuae humanae conſideratio. Dresd. 1727. 4.), DE LA METTRIE (ſyſtéma de M. BOERHAAVE ſur les maladies veneriennes, avec des notes et une differt. du traducteur ſur l' origine, la nature, et la cure de ces maladies. à Paris. 1735. 12. p. 98. 99.), M. ALBERTI et H. A. SCHRIMPF (diſſ. de hydrargyroſi ſ. de ſaliuatione ope mercurii. Hal. 1740. 4.), J. ASTRUC (de morbis venereis. Pariſ. 1738. 4. L. IV. C. 9. p. 426), J. D. SCHLICHTING (loc. cit.), W. CHR. HOFMANN (diſſ. de ſaliuatione mercuriali. Gieſſ. 1743. 4.), CONNALLUS O-CONELL (l. c.), PH. J. BORELLUS et H. GUIL. SIBECKER (diſſ. de ſaliuatione artificiali. Marb. 1752. 4.), J. GRAINGER (diſſ. de modo excitandi ptyaliſmum, et morbis inde pendentibus. Edinb. 1753. 8.), J. WATHEN (l. c.), G. HEUERMANN (l. c. Vol. II. 1767.), MARIGUES (journal de medecine, chirurgie &c. Aout. 1771. p. 160), et ipſe G. van SWIETEN (l. c. T. V. p. 525 ſq.), nuperius demum Cl. C. A. GLOGGNER (diſſ. de ſaliuationis vſu in morbis venereis. 4. Goett. 1793.).

Plurimi tamen inter hos modo memoratos viros, et praecipue quidem recentiores, limitatas

tantum

tantum laudes praeter modum aucto illi ſaliuae per argentum viuum fluxui tribuunt; alii leuiori malo alia, potiſſimum ſudorifera vegetabilia, aut etiam leniora mercurialia, aut ex antimonio paratas medicinas opponendo, grauius ſolummodo, pertinacius atque inueteratum, mercurio ad largum ſaliuae vsque profluuium adhibito impugnant, alii, funeſtis illis nimiae profuſionis ſymptomatibus, quae graphice deſcripſit Ill. VON HUTTEN (lib. de guaiaci medicina et morbo gallico. Mogunt. 1519. 4.), perterriti, perſuaſi tamen, euacuandum hac via eſſe virus venereum, parcioribus praebiis adhibendo hoc pharmacum, modica tantum ſaliuae excretione excitata acquieſcunt. Ita iam J. DE VIGO (pratica copioſa in arte chirurgica. Romae 1514. fol.) eo vsque tantum mercurium adhiberi ſuadet, donec ſaliua promanare incipiat; ita ASTRUC (l. m. c.), non ſubitaneam, tumultuariam, immodicam ciendam eſſe ſaliuationem, ſed placidam, moderatam, remiſſam, facile tractabilem, quae ori inflammationem nullam vel leuem, quae vlcera pauca et ſuperficiaria inferat, quae vnam aut alteram vel ad ſummum tres ſaliuae libras intra horas viginti quatuor ſuggerat, rectiſſime monet; ſputi libras tres vel quatuor ſpatio viginti quatuor horarum exſcreatas ſufficere, ſi maior copia excernatur, inhibendum, eſſe fluxum, hortatus eſt BOERHAAVE (l. m. c. §. 1470-1472).

Alii autem tum horrenda illa mala, quae ſaliuae fluxum a mercurio excitatum, ea ipſa de cauſſa et in noſodochio Florentiae ab incurabilibus denominato, et anno iam 1730 (PISO de regimin.

magnor. auxil. diſſ. 4. p. 439) in noſodochio Patauino interdictum, in hominibus praeſertim debilioribus, aut in hoc profluuium ſuapte natura magis pronis, crebro tam comitantur, quam ſequuntur, extimeſcentes, tum ſaliuatione quamuis abundantiſſima neutiquam ſemper omne virus venereum elui, morbos ex eo natos penitus ſanari, multoties experti, tum acrimoniam veneream, quocunque id fiat modo, argento viuo, quamuis ſaliuae fluxum nullum progenerante, obtundi, mala exinde oriunda tolli feliciſſime atque exſtirpari poſſe, multiplici experientia edocti (v. g. B. ALBINUS l. c. §. 23), ceterum in mercurio tanquam potentiſſimo veneni ſyphilitici antidoto confiſi, ea cum circumſpectione hoc vtuntur remedio, vt naſciturum ex hoc vſu nimium ſaliuae effluxum ſolerter opprimant et reſtinguant.

Ita iam ſuo tempore J. ALMENAR (libell. ad euitandum et expellendum morbum gallicum. Venet. 1502. 4.), CATANEUS (tr. de morbo gallico apud LUISINUM), J. BENEDICTUS (tr. de morbo gallico apud LUISINUM), C. MUSITANUS (de lue venerea. L. IV. Neapol. 1689. 8.), D. ABERCROMBY (tuta ac efficax luis venereae, ſaepe abſque mercurio ac ſemper abſque ſaliuatione mercuriali curandae methodus. Londini. 1684. 12.), et qui hunc librum in gallicum ſermonem conuertit G. B. DE S. ROMAIN (méthode aſſurée et efficace pour guérir la maladie vénérienne ſans ſalivation mercurielle &c. à Paris 1690. 12.), J. N. PECHLIN (Obſerv phyſico-medicar. Hamb. 1691. 4. l. 1. obſ. 72. p. 194.), RAVELLY (traité de la rage. Metz 1696.), J. MOYLE

(l. c.) et FR. DE FONSECA HENRIQUEZ (trat. unico do azougue nos cazos que he prohibido. Lisboa. 1708. 4.) inutilem, adeo noxium mercurii ad ſputationem largam vsque exhibiti vſum pronuntiarunt; adſtipulantibus et tum argumentis tum ſua aliorumque experientia confirmantibus ſerioribus medicis, potiſſimum FR. CHICOYNEAU et A. PELISSERY (quaeſt. medic. an ad curandam luem veneream frictiones mercuriales in hunc finem adhibendae, vt ſaliuae fluxus concitetur? Monſpel. 1718. 8.), C. WILLOUGHBY (the practice of ſalivating ſhewn to be of no uſe or efficacy in the cure of venereal diſeaſe, but greatly prejudicial thereto, or the antivenereal virtue of mercury proved to be independent of any ſalival evacuation. Lond. 1723. 4.), J. JUNCKER (apud LUDOLF et MUSCULUS diſſ. de gonorrhoea. Erford. 1731.), J. S. (mechanical diſſertation on the lues venerea, proving the certainty of curing that diſeaſe without ſalivation. Lond. 1732. 8.), P. DESAULT (diſſ. ſur les maladies vénériennes, contenant une méthode de les guérir ſans flux de bouche, ſans risque et ſans dépenſe. Bourdeaux 1733. 12.), J. G. KRAMER (Commerc. litterar. Noric. 1734. hebd. 41. 42. p. 322. 330.), H. HAGUENOT (mémoires conténant une nouvelle méthode de traiter la verole. Montpellier 1734. 8.), WERLHOF (Commerc. litterar. Noric. 1735. p. 98.), N. ROBINSON (a new treat. of the venereal diſeaſe &c. Lond. 1736. 8.), J. DOUGLAS (diſſ. on the venereal diſeaſe. London. 8. 1737.), J. A. PUJATO (decas rarior. obſerv. medicar. theoricis practicisque obſeruationibus illuſtratarum. Venet. 1737. 4.), ANONYMO

 (Letter

(Letter from a phyſiciam abroad, proving both by facts and reaſon, that the Montpellier method bids fairer for the cure of the pox, than the common way by ſalivation. London. 1738. 8.), A BRUNN (diſſ. de methodo tuta et facili curandi citra ſalivationem luem veneream. Scaphuſ. 1739.), SCHREIBER (de peſtilentia p. 43), A. GUISARD (eſſais ſur les maladies vénériennes &c. à la Haye 1740. 8.), J. J. FICK (Act. Acad. Caeſ. Nat. Curioſ. Norimb. 4. Vol. V. 1740. obſ. 15. p. 66), de RABOURS et CANTWELL (qu. med. an ptyaliſmus frictionibus mercurialibus prouocatus perfectae luis venereae ſanationi aduerſetur? Pariſ. 1741. 4), J. MIDI et L. R. DESBOIS (qu. med. an ſyphilis per frictiones mercuriales absque vlla excretione, niſi fere inſenſibili, ſanabilior? Pariſ. 1741. 4.), DELBOET (diſſ. de tuta et facili luem curandi methodo. Argent. 1750), J. D. CHEVALIER et L. P. F. R. le THIEULLIER (qu. med. an per ſuffitum felicior et tutior quam per inunctionem mercurialem, morbi venerei curatio? Pariſ. 1752. 4.), A. DEIDIER (Conſultations et obſervations médicinales. Paris 1754. 12.), J. RAULIN (obſervations de médécine. à Paris 1754. 12. et lettre ſur l'alliage du camphre avec le mercure et le ſuccès de ce remede dans les maladies vénériennes. à Paris 1755. 12.), M. MOONEY (diſſ. on the nature and cure of the venereal diſeaſe. Lond. 1756. 8.), T. GOULARD (remarques et obſervations pratiques ſur les maladies vénériennes, avec une ſeconde edition des maladies de l'urethre &c. à Pezenas. 1760. 12.), PH. FLECHET DE FLECHY (obſervations particulieres ſur la medécine

cine et la chirurgie, l'art des accouchemens, et les maladies véneriennes. à Paris 1761. 12.), ANONYMO (Paralléle des différentes méthodes de traiter la maladie vénérienne. Amſterd. 1764. 8.), N. ROSEN VON ROSENSTEIN (l. c.), J. HARTMANN (Kongl. Svenſk. Vetenſk. Acad. Handling. Vol. XXIX. ann. 1768. trim. 3. art. 8. pag. 276), N. J. PALLUCCI (ſaggio di nuove oſſervazioni e ſcoperte. Florent. 1768. 8. p. 143 ſq.), C. SALLIN et A. A. BÉLANGER (qu. med. an curandae lui venereae confirmatae methodus exſtinctionis aliis praeſtantior? Pariſ. 1768. 4.), HOUSTET (Memoir. de l'Académ. de chirurg. à Paris. T. IV. 1768. p. 141 ſq.), J. J. GARDANE (recherches pratiques ſur les différentes maniéres de traiter les maladies vénériennes. à Paris 1770. 8.), FALCK et A. DUNCAN (ll. cc.), J. COLOMBIER (Cod. de médécine militaire pour le ſervice de terre. à Paris 1772. 8.), J. L. L. (chemico-medical diſſertation on mercury, on its various proportions and mode of operating. London 1774. 8.), M. E. BLOCH (*Mediciniſche Bemerkungen.* Berlin 1774. 8.), F. B. DARSSES (l. c.), AD. MURRAY et P. DUBB (diſſ. meditamenta circa methodum luis venereae curandae. Upſal. 1771. 4. p. 25 ſq.), J. HUNCZOVSKY (*med. chirurg. Beobachtungen auf ſeinen Reiſen durch England und Frankreich, beſonders über die Spitäler.* Wien 1783. 8.), L. NANNONI (del veleno venereo. Firenz. 1784.), J. V. MÜLLER (*praktiſches Handbuch der medic. Galanteriekrankheiten, zum Gebrauch für Aerzte und Wundärzte mit den nöthigen Recepten.* Marburg 1788. 8. c. 13. p. 215) et Ill. GIRTANNER (l. c. T. I. c. 9. p. 319 ſq. c. 20. p. 387 ſq.).

 Hunc

Hunc tamen ſcopum mercurio ad debellandum virus venereum nullo excitato ſaliuae fluxu vtendi aſſecuturi ad alia atque alia ſubſidia confugere alii atque alii medici: Fuere, qui adiectis nunc his nunc illis huic mercurii efficaciae aduerſantibus pharmacis hanc reprimere, intemerata tamen manente antiſyphilitica virtute, anniſi ſunt; addi argento viuo iuſſerunt eo fine camphoram A. MATTHIOLUS (de morbo gallico. Venet. 1535.), P. HERMANN (cynoſur. mater. medic. p. 93. a.), SCHREIBER (l. c. p. 60), QUINCY (philoſoph. transact. abridged by EAMES and MARTYN. Vol. VII. p. 590), J. RAULIN (l. c.), qua adiecta non impediri modo ſaliuae profluuium RAISIN (journal de medecine, chirurgie &c. 1756. Dec. p. 434), CORDET (ibid. Febr. 1757. p. 149), TILLOLOY (ibid. Septembr.), et MONCHAN (ibid. T. XII.), ſed natum iam ſiſti H. M. MISSA et G. D. DESPATUREAUX (qu. med. an lui venereae hydrargyrus camphoratus? Pariſ. 1756. 4.), expertos ſe eſſe profitentur; lapidem bezoar adiecit R. LENTILIUS (Miſcellanea. p. 25), millepedes addidit CHR. J. VON TREW (Commerc. litterar. Noric. 1731. p. 412), aſſentientibus CHR. FEUERLEIN (ibid. 1736. hebd. 29 et 37. p. 227 et 289), et J. G. H. KRAMER (medicin. caſtrenſis. Norimb. 1735. 8.), ſulphur J. GRAINGER (diſſ. de modo excitandi ptyaliſmum et morbis inde pendentibus. Edinb. 1753. 8.), TH. QUELLMALZ (Hydrargyri vires a ſulphure ſuſpenſae. Lipſ. 1748.), J. HIGGS (Practical eſſay on the cure of venereal, ſcorbutic, arthritic, leprous, ſcrophulous and cancerous diſorders in a method entirely new. London. 1755. 4.), MAUF-

LATRE

LATRE et QUERENET (recueil periodique d'obſervations de médécine, chirurgie, pharmacie &c. 1756. Mars.) et nuperius J. HUNTER (treat. on the venereal diſeaſe. London 1786. 4.), ſulphur antimonii auratum A. PLUMMER (Eſſays and obſervations phyſical and litterary read before a Society at Edinburgh. 8. Vol. I. 1733. n. 6.), opium, corticem cinchonae, ferrum, ſcammoneum alii, quae tamen omnia multiplici docente ASTRUCII, HEUERMANNI, COLOMBIERI, SWEDIAUERI et BLOCHII (ll. cc.) experientia, eam mercurii potentiam neutiquam delent.

Quamobrem alii, v. g. W. HOCK (mentagra ſ. tractatus de cauſis, praeſeruatiuis, regimine, et cura morbi Gallici. Ed. alt. Argent. 1514. 4.), G. VELLA (conſilium medicum pro egregio artium doctore, Aloyſio mantuano, qui morbo gallico laborabat, apud LUISINUM), AMATUS LUSITANUS (curationum medicinalium centuriae ſeptem. Venet. 1557. 8. cent. I.), GU. RONDELET (de morbo italico lib. I. Monſp. 1560.), L. BOTALLUS (luis venereae curandi ratio. Pariſ. 1563. 12.), G. DORDONUS (de morbi gallici curatione tract. 4. Pap. 1568. 8.), L. GHINUS (morbi neapolitani curandi ratio perbreuis. Spir. Nemet. 1589. 8.), FR. MONAVIUS (cryſtallina, puta luis venereae nouae inuentae ſpecies, ab ipſo MONAVIO pertractata. Brunſv. 1665. 8.), TH. TURQUET de MAYERNE (ſyntagm. praxeos Mayernianae. Lond. 1690. P. II.), J DOLAEUS (encyclopaedia medica. Francof. 1686. 4. l. 3. c. 15), J. VALLISNERIUS (vera methodus celtica lue affectos ſanandi. 1693. cod.), C. J. LANGIUS (Oper. omn. Lipſ. 1704.),

H. HEINRICI (tela ex pharetra Apollinis in ſui ſecuritatem ſubducta. Hal. 1713.), A. PITCARNIUS (de ingreſſu morbi, qui venerea lues. Amſtelod. 1714.), J. VERCELLONUS (de pudendorum morbis et lue venerea tetrabiblion. Lugd. Bat. 1722.), R. DIBON (diſſ. ſur les maladies vénériennes. à Paris. 1725.), J. FR. SCHROMMIUS (diſſ. de aethiope minerali. Altd. 1725.), J. A. WEDEL et J. G. SLEVOGT (diſſ. de lue venerea. Ien. 1729.), J. J. STAHL et G. FEINLER (de mercurii in corpus humanum agendi modo. Erford. 1738.), P. DE ROTUNDIS (de victus ratione in febre acuta continua &c. Rom. 1739.), B. VOYSIN (le medecin familier et ſincère. à Turin. 1747.), L. R. MARTEAU et N. A. J. B. CHESNAU (an in curanda lue venerea ſuffumigia rite adhibita remedium optimum? Paris 1745.), J. J. BAIERUS (diſſ. de abuſu purgantium in morbis venereis. Altdorf. 1749.), J. M. DELBOEL (diſſ. de tuta et facili quadam luem veneream curandi methodo. Argent. 1750.), A. E. BÜCHNER et J. L. TELLGMANN (diſſ. de commoda venereae luis ſine ſialagogis curatione. Hal. 1758.), N. DU SAULSAY (journal de medecine, chirurgie &c. T. X. p. 239), COSTA (traité de la verole. Berol. 1760.), D. LANGHANS (*Anweiſung ſich von den meiſten Krankheiten befreyen zu können.* Bern 1763. P. III.), J. BENEDICTUS, ALMENAR, PALMARIUS, MOYLE, DESAULT, J. DOUGLAS, MOONEY, P. DE SORBAIT, et WATHEN (ll. cc.); ne nimio impetu in glandulas ſaliuales irruat mercurius, deorſum deriuare (vocatur ideo etiam *methodus deriuatoria*) eius efficaciam ſtudent, interpoſitis ſcilicet medicinis, quae aluum valide ducunt, ſibi perſua-

perſuadentes, et diuidi minuique eo artificio violentiam, qua mercurius agit, et elui atque expelli hac via optime poſſe virus venereum, non perpendentes, ea arte eliminari iterum ex corpore mercurium, antequam cum humoribus permiſtus, quae perficere debebat, peregit, et mirifice debilitari repetito illo purgantium vſu canalem inteſtinalem.

Quare alii cautiores v. g. a BETHENCOURT (l. c.), A. M. BRASSAVOLUS (de morbo gallico. Venet. 1751.), L. SEPTALIUS (animaduerſ. et caut. medic. Mediol. 1614. 8. l. 7.), ST. BLANCARDUS (Venus belegert en ontſet. Amſterd. 1684.), FR. HOFFMANN et van den VELDE (diſſ. de mercurio et medicamentis ſelectis &c. Hal. 1700.), J. JACKSON (enchiridion medicum. Norimb. 1716.), TH. ZWINGER (theatr. praxeos. Baſil. 1710.), D. TURNER (Syphilis, a practical diſſertation on the venereal diſeaſe &c. London 1717. 8.), J. M. BOEHM (diſſ. de morbo dicto neapolitano. Argent. 1738. 4.), et POUPPÉ DESPORTES (hiſtoire des maladies de S. Domingue. à Paris 1770.), lenioribus tantum, quae aluum tentant, non ſupprimere omnino, ſed moderari tantummodo ſaliuae fluxui anniſi ſunt.

GUIL. BROMFIELD, vt ad vias vrinae ducat (Account of the engliſh nighſhades and their effects, with practical obſervations on the uſe of corroſive ſublimate and Salſaparilla, and ſome hints offered to the faculty on the cure of lues venerea by the ſecretion of urine inſtead of ſalivation. London 1757. 12.) balneorum calidorum, gargariſmatum

 adſtrin-

adſtringentium et remediorum internorum diureticorum vſum cum mercurii vſu coniungendum ſuadet.

Alii eodem conſilio ſudoriferis iungere mercurium maluerunt, non violentis quidem illis apud veteres decantatis, quorum vſu totum quaſi corpus in ſudores diffluere diceres, qualia illa balnea laconica, a P. MAYNARDO (de morbis venereis. 1518. ap. Luiſinum), M. BROCARDO (diſſ. de morbo gallico ap. Luiſinum), B. PERDULCI (vniuerſa medicina ex medicorum principum ſententiis conſiliisque collecta opus edit. a R. CHARTERIO. Pariſ. 1630. 4. l. 12.), D. SENNERT (medic. practic. Vitemb. 4. P. 6. 1635.), D. TURNER (l. c.), T. a GÜLDENKLEE (l. c.), ſerius adhuc a RONDELETIO (l. c.), P. GYONGYOESSIO (diſſ. de empiricis remediis. Harderov. 1753.) et H. BASSIO (tr. de morbis venereis. Francof. et Lipſ. 1763.), in hoc conſortio celebrata, ſed paulo mitioribus, v. gr. potibus ex lignis quibusdam potiſſimum peregrinis paratis largius hauſtis, eo artificio ſyphiliticum virus vna cum mercurio per cutis poros diſflaturi, vel balneis, vel vtrisque; priores aut certe alias ſudorem cientes medicinas commendarunt mercurii comites A. FERRERIUS (de pudendagra. Toloſ. 1533.), B. VICTORIUS (lib. de morbo gallico. Florent. 1551. 8.), PR. BORGARUTIUS (method. de morbo gallico. Patav. 1566.), H. BRUCAEUS et C. BATTUS (diſſ. de morbo gallico. Roſtoch. 1569.), P. LOWE (eaſy, certain and perfect method to prevent and cure the ſpaniſh ſickneſs. London. 1596. 4.), J. VARANDAEUS (tr. de elephantiaſi ſ. lepra;

lepra; item de lue venerea et hepatitide ſeu hepatis atonia. Monſp. 1620. 8.), S. CORTILIO (de chirurgica inſtitutione libr. V. cum practica chirurgica eiusdem libros IV. continente. Francof. 1610. 8.), L. GUYON miroir de la beauté et ſanté corporelle, contenant toutes les difformités et maladies, qui peuvent ſurvenir au corps humain. Lyon. 1615. 8.), J. VIGIERIUS (Oper. medico-chirurgica. 1659.), J H. JÜNGKEN (compend. chirurg. manualis abſolutum. Francof. 1691. 8.), G. UCAY (tr. de la maladie venerienne. Toloſ. 1693.), J. D. GOHL (*Compendium oder Einleitung zur* Praxi clinica. Lipſ. 1733. 8.), CHR. WEISBACH (*Wahrhafte Cur aller Krankheiten.* Marburg 1712.), M. ALBERTI et J. HAVIGHORST (de ſingulari mercurii dulcis vſu in deſperatis quibusdam morbis. Hal. Magd. 1745. 4.), G. S. BAUMLER (*mitleidiger Arzt.* Argent. 1731.), J. H. KNIPHOF (Act. phyſ. med. A. C. N. C. T. V. Obſ. 16.), S. J. HILSCHER (prol. de inſigni faucium tumore et angore moleſtiſſimo circa ſaliuationem mercurialem ſymptomate euitando. Ien. 1741.), D. M. LOHMANN (diſſ. de curatione luis venereae ſine ſaliuatione. Duisburg. 1741. 4.), CHR. G. STENZEL et J. PH. KLIPSCH (diſſ. ſiſt. caſus aliquot hominum a lue venerea per ſaliuationem curatorum. Vitemb. 1793.), A. E. BÜCHNER et J. FR. FRANCK (diſſ de grauiſſimo luis venereae ſymptomate, tortura nocturna. Erf. 1744.), H. LUDOLF et P. CHR. GRASS (diſſ. de mercurio in alcali ſoluto tutiſſimo ſpecifico antiuenereo. Erford. 1747.), BOURRU (l'art de ſe traiter ſoi-même dans les maladies veneriennes. Paris 1770.), QUERCETANUS, D. SENNERT, J. JUNCKER,

PURMANN, M. ETTMÜLLER, JACKSON, SCHROMMIUS, FEURLEIN, HUNDERTMARK, MAJOR et SCHIPPEL, WEDEL et SLEVOGT, J. J. STAHL et FEINLER, BÜCHNER et TELLGMANN (ll. mm. cc.): Potuum iſtorum in vicem cum mercurio coniunxerunt balnea anonymi auctores librorum (les operations de chirurgie, avec un traité des maux veneriens. Paris 1688. et *neue Anweiſung zu der gründlichen Erkenntniß und glücklichen Curierung derer innerlichen menſchlichen Krankheiten.* Leipz. 1744.), GARNIER (traité pratique de la verole. Lugd. 1699.), J. B. F. ALLIOT et J. FR. LEAULTÉ (Quaeſt. med. an morbus antiquus ſyphilis? Pariſ. 1717.), FR. BAILLY et D. C. FRÉMONT (quaeſt. med. an hydrargyrus vnicum ſyphilidis alexipharmacon? Pariſ. 1727.), M. ALBERTI et H. A. SCHRIMPFFIUS (diſſ. de hydrargyroſi. Hal. Magdeb. 1740.), J. DE PELLERIN (treat. of the venereal maladies &c. Lond. 1750.), JAUBERTHOU (traité des maladies vénériennes. Paris 1766.), FABRE (traité des maladies vénériennes. Paris 1759.), COSTE (trait. de la verole. Berlin 1760.), BROMFIELD (obſervations ſur le ſolanum avec des remarques ſur l'uſage de la ſalſepareille, du mercure et de ſes preparations. à Paris 1761.), POMMÉ (trait. des affections vaporeuſes des deux ſexes. Lugd. 1763.), J. Z. PLATNER (ars medendi ſingulis morbis accommodata. Lipſ. 1765.), ROYER (diſſ. ſur une nouvelle methode de traiter les maladies vénériennes par des lavemens. Paris 1765.), MATTOT et GUÉRIN, CALMETTE, VERCELLONUS, DESAULT, HAGUENOT, ASTRUC, J. M. BOEHM, GUISARD, LIEUTAUD, MARTEAU et CHESNEAU, N. DE SAULSY, GOULARD

(ll. mm.

(ll. mm. cc.): Sudorifera et balnea ſimul mercurio iungenda eſſe, auctores fuere FR. B. DE LINDEN (Venus Spiegel. Argent. 1732.), BARRY (Eſſays and obſervations read before a Society at Edinb. Vol. III. p. 394 et Vol. IV. p. 32), S. SCHARSCHMIDT (*Abh. von den veneriſchen Krankheiten.* Berlin 1750.), G. H. BEHR (medicina conſultatoria. Augſp. 1751.), CHR. G. LUDWIG (inſtitutiones medicin clinicae. Lipſ. 1758.), TURQUET DE MAYERNE, TH. ZWINGER, FR. et W. C. HOFFMANN, VOYSIN, BOERHAAVE, LANGHANS (ll. mm. cc.). Quum tamen tantum abſit, vt haec remedia ſaliuae profluuium inhibendo viribus aegri parcant, vt potius omnes fere eius humores in ſudores reſoluendo malum augeant, mirum ſane non eſt, plurimos noſtri aeui medicos ab hoc operandi modo receſſiſſe.

Illud tamen attentos medicos experientia docuit, mirum quantum iuuari felicem mercurii in debellanda lue venerea effectum, intemerata permanente tranſpiratione inſenſibili; quare non regimen tantum calidum inculcant aegris, tum per omne medicationis tempus, tum per aliquod adhuc abſoluta medicatione temporis ſpatium, atque ab aëre frigido et humido interdicunt, cui ſi quando exponi eos iubet muneris ratio, vſum veſtimentorum et tibialium laneorum commendant, ſed praemittunt quoque balneum tepidum, et ſublato morbo per aliquot adhuc ſeptimanas aliquoties per hebdomadem vti aegrum balneo, poſt balneum calefacto lecto committi, corpus pannis laneis calefactis per horae mediae ſpatium fricari ſuadent, et lenia diaphoretica

v. g.

v. g. ſpiritum a *Minderero* denominatum aliquoties per diem recipi iubent.

Iuuat quoque, vt ſtimulus, quem mercurius incutit, paulisper debilitetur, octo diebus primum mercurii vſum praegredientibus alternatim per binos dies veſperi praebere laudani liquidi SYDENHAMI guttas aliquot, et, vt omnis complicatio, a ſordibus primarum viarum metuenda, tollatur, tertia veſpera medicamentum leniter aluum laxans.

Quodſi venerea lues cum ſcorbuto aut alia quacunque ſanguinis reſolutione complicata ſit, hoc malum remediis huic fini reſpondentibus prius tollendum, quam mercurius adhibetur, cuius quippe vſu mirifice exaſperatur haec labes; ſi nimis debilis viribusque exhauſtus ſit aeger, diaeta animalis, vſus vini, corticis cinchonae, ferri et ferreorum aliorumque roborantium praeire mercurii vſui debet.

His demum praemiſſis adhibetur mercurius, primo minori copia, ſenſim, et quidem (BLOCH et ROSENSTEIN ll. cc.) optime per interualla, maiore, quodſi ab eius vſu alui profluuium contingat, quo mercurius, antequam, quos debebat, produxit effectus, e corpore eliminaretur, aut halitus oris foetere incipiat, vt illud ſiſtatur, et vlterior mercurii in glandulas ſaliuales efficacia praeuertatur, non ſeponendus modo mercurius, ſed praebendum quoque aliquoties de die ad guttas aliquot laudanum liquidum SYDENHAMI; poſt aliquot dies vero repetendus, ac donec ſublatus ſit morbus, et profligato iam malo per aliquot adhuc hebdomades continuandus mercurii vſus, aegro ceterum ſomnus

longior,

longior, et vſus quidem modicus carnis et vini concedendus, verum ciborum acidorum et facile aceſcentium interdicendus, et vt eius vires morbo et mercurio labefactatae reſtaurentur, roborantium tandem, potiſſimum corticis cinchonae et ferri vſus ſuperaddendus.

Quodſi, hac circumſpectione quamuis adhibita, largioribus riuis promanet praeter exſpectationem medici ſaliua, opio caute ſiſtendum profluuium, quotidie per mediam horam balneo tepido committendus aeger, abſoluto balneo corpus pannis laneis fricandum, ſtricta ſeruanda diaeta, vires, forte exhauſtae, per roborantia reſtaurandae, os internum aqua cum cortice cinchonae decocta et tinctura laccae laudanoque liquido SYDENHAMI temperata eluendum, atque vlcera, palatum orisque interiora erodentia, penicilli ope tinctura myrrhae melle roſarum edulcata mundanda.

Si praemiſſam et abſoluta medicatione imperatam venaeſectionem, niſi plethora aut inflammatio ſuadeat, inutilem et facile nociuam, et copioſa balnea, excipias, parum abludit haec medendi ratio ab ea, quae adhuc Monſpelii vſitata, monſpelienſis ideo audit, a monſpelienſibus potiſſimum medicis, CHICOYNEAU et HAGUENOT (ll. cc), ſimiliter a GOULARDO (l. m. c.), MIDI et DESBOIS, P. FLECHET DE FLECHY, HOUSTEL, COLOMBIER, DARSSES, CHEVALIER et LE THIEULLIER, A. MURRAY et P. DUBB, NANNONI, HUNCZOVSKY, SALLIN et BELANGER (ll. cc.), auctore anonymo libri: Paralléle des différentes méthodes de traiter la maladie vénérienne.

nérienne. Amſterdam, 1764. 8. et M. FR. BOEHM (diſſ. varia ſyphilidis theoria. Argent. 1771. 4.), commendata.

Licet in plurimis caſibus melius ſit, mercurium ea cum cautela adhibere, vt nulla exoriatur ſaliuatio, nonnullae tamen morbi conditiones violentiorem, quae ſaliuam vberiorem proliciat, mercurii effectum poſcere videntur; luem quae oſſa iam infecit, niſi largius ſputi cieatur profluuium, ſanari non poſſe, perſuaſiſſimum ſibi habet Cl. BLOCH (l. m. c.); inueteratam et pertinacem luem non cedere mercurio, niſi ad illud vsque punctum exhibito G. GORIS (Mercurius triumphator, continens argenti viui hiſtoriam, indolem, praerogatiuam et noxas in morborum chronicorum, praeſertim luis venereae curatione. Lugd. Bat. 1717. 8.); grauius malum expugnandum eſſe ſaliuatione per mercurium excitata praeter alios LOESECKE (l. c. p. 270), Cl. GLOGGNER (l. c. p. 45) contendunt.

Quodſi igitur ſaliuatione opus eſſe colligat medicus, non praeparandum tantum corpus, atque omnia, antequam mercurius adhibeatur, tollenda, quae exacerbari eius effectu vel turbare eum poſſent, ſed ita etiam adminiſtrandum argentum viuum, vt modica tantum ſenſim exurgat et per omnem decurſum maneat ſputatio.

Vtantur igitur (van SWIETEN l. c. V. p. 531) aegroti, qui ea medicatione indigent, per octo dies continuos primam mercurii adminiſtrationem praegreſſos, ii praeſertim, quibus exſuccum atque aridum eſt corpus, victu molli humectante, acria, aroma-

aromatica, excalefacientia excludente, crebris decoctorum mollium ac demulcentium hauſtibus, ſingulis diebus balneo tepido, ne ſordes inteſtinorum obſtent, medicina leniter aluum ducente, vel eius loco enematibus, et, ne plethora diſcrimen a ſalivatione imminens augeat, ſi quidem adſit, ſanguinem ſibi mitti curent; induantur veſtibus laneis, quibus ad plenam vsque ſanationem induti perſtent, ipſo capite cucupha lanea contecto, et in atmosphaera calida permaneant.

Quibus praemiſſis adhibetur mercurius primo parcioribus praebiis, ne nimio impetu feratur in glandulas ſaliuales, et, antequam venenum venereum ſuperauit, rurſus ex corpore exeat, ſenſim paulo maioribus, donec primi ſaliuae largius profluxurae prodromi appareant; quibus ſeſe monſtrantibus, aut imminuatur doſis argenti viui hactenus adhibita, poſtea, ſi nimis parcus videatur ſaliuae effluxus, denuo augenda aut per aliquot dies mercurii vſus interrumpatur, aut, ſi vlterius et violentius progrediatur ſputi euacuatio, penitus abrumpatur; largior iſta iuſto excretio, in ſummum ſaepe periculum aegrum praecipitans, perinde ac ſuperueniens alui fluxus, argentum viuum nimis cito e corpore eliminans, opiatis potius, vel facta ſulphuris in tribus lixiuii cauſtici partibus ſolutione octo aquae florum aurantiorum partibus temperata, aut mixto cum ſcobe ferri et camphora ſulphure (HECKER l. c.), quam aut enematibus, aut purgantibus internis, aut ferro, a B. HIRSCHELIO eum in ſcopum (*Briefe über verſchiedene Gegenſtände von dem Reiche der Arzneywiſſenſchaft.*

ſchaft. Berlin 1768. 8.) laudato, prior quoque vitrioli ſpiritu (HEUERMANN l. c. Vol. II.) compeſcenda. Ceteroquin aegro in omni iſto temporis ſpatio decocta cum radicibus graminis, ſeminibus hordei, auenae et aliis eiusmodi aqua largis hauſtibus crebro potanda, tumidae, dolentes, vlceribus eroſae interiores oris et colli partes gargarismatibus et collutionibus ex herbis emollientibus, rapis, melle roſarum etc. paratis, qualia iam ſuo tempore commendarunt (ll. cc.) GRUENBECK, M. BROCARDUS et B. ALBINUS, fouendae, et ſi tumor iſte praefocationem minitetur, ſanguis mittendus, et, vt impetus humorum aliorſum vertatur, clyſteribus irritantibus iniectis ſtimulanda vehementius aluus.

Neque alia praetermittenda, quibus ad complendam medicationem per argentum viuum citra ſaliuationem adhibitum opus eſſe ſupra monui. Quae cautelae et leges ſi religioſe obſeruentur, plurimas noxas, quae hinc inde intuliſſe improuidum hydrargyri vſum perhibent illius potiſſimum aduerſarii, praeuertes.

Negandum certe non eſt, ſaepe nocuiſſe; legas, eius vſu interfectos (C. TORELLA, U. DE HUTTEN, PURMANN ll. cc. G. FABRICIUS HILDANUS l. c. Cent. III. Oper. p. 277 et 914. J. DOLAEUS Ephemerid. Acad. Caeſ. Nat. Curioſ. 1686. Dec. II. A. 4. obſ. 120. p. 228. D. CRÜGER ibid. J. CH. MENZEL ibid. Dec. III. 1706. obſ. 34. p. 49. D. SCHLICHTING act. phyſ. med. Acad. Caeſ. Nat. Curioſ. T. VIII. 1748. obſ. 26. p. 60. KIRKLAND London medical journal. 8. Vol. VII. ann. 1786. P. I. nr. 1.), tabidos

bidos (C. TORELLA l. c. FABRICIUS HILDANUS l. m c. WEPFER l. c. obſ. 275. KIRKLAND l. m. c.), pallidos per omnem vitam (J. B. MONTANUS l. c.), epilepticos (J. B. MONTANUS l c. F. ZANNETTI Nov. act. phyſico-med. Acad. Caeſar. Nat. Carioſ. T. VII. p. 184. D. RAYMOND traité des maladies qu' il eſt dangereux de guérir. Avignon. 1757. 12. II. obſ. 6. p. 303), arthriticos (PELARGIUS *mediciniſcher Jahrgang* V. et VI. p. 669. CHR. E. LOT diſſ. de arthritide incongrui mercurialium vſus effectu. Hal. 1759. 4.), lotium difficulter mittentes (A. AGOSTINI ſtranguria, quae venerea dicitur, mercurii poteſt eſſe aliquando effectus. Venet. 1763. 8.), cynanchicos (M. STOLL ratio medendi in noſocomio practico Vindobonenſi. Vienn. Auſtr. 8. T. III. 1780. p. 431), maximo angore affectos (S. B HILSCHER diſſ. de inſigni faucium tumore et angore moleſtiſſimo circa ſaliuationem mercurialem ſymptomate euitando. Ienae 1741. 4.), caecos (FABRICIUS HILDANUS obſeruat. cent. V. obſ. 13. WILLISIUS de anima brutorum. P. II. c. 2.), ſurdos, caecos et mutos BLEGNY (Zodiacus medico gallicus ann. I. Iun obſ. 13.), inſigne ſanguinis profluuium paſſos (EL. CAMERARIUS diſſ. Taurinenſ. epiſt. 7.), vlceroſos et hydropicos (KIRKLAND l. m. c.), alia atque alia ratione mulctatos (AL. BENEDICTUS, FR. CALMETTE, PURMANN, COLOMBIER, J. ANDREE, J. GRAINGER ll. cc. A. MOELLENBROEK Miſcellan. Ac. Caeſ Nat. Carioſ. Dec. II. Ann. 1. 1684. obſ. 54. p. 131. HERRENSCHWAND apud AD. MURRAY et P. DUBB l. c. p. 42 ſq.), aliis atque aliis malis affectos (HECKER l. c.), quae vlteriori hydrargyri vſu magis adhuc ingraueſcunt, eaque indole

D 2 facile

facile dignoſci a ſimilibus malis ex alio fonte propullulantibus poſſunt. Nolo vrgere illud mercurii opprobrium, mercurii nimis larga manu adhibiti globulos pertinaciſſime infixos aliquando haerere oſſium cellulis aut interiora corporis caua replere (A. MUSA BRASSAVOLUS de morbo gallico apud LUISINUM, BONNET ſepulchret. T. III. p. 452. 453. SCHENCK obſerv. medic. L. VI. obſ. 12. p. 80. N. FONTANUS reſponſionum et curationum medicinalium. Amſterd. 1631. 12. l. 1. p. 100. TIMAEUS a GÜLDENKLEE l. c. l. 3. p. 955. G. FALLOPIUS l. c. c. 76. aphrodiſ. p. 809. FERNELIUS patholog. L. VII. c. 7. p. 229. J. G. BRENDEL proluſ. de hydrargyri reliquiis a ptyaliſmo expellendis. Goetting. 1747. 4. C. FR. HUNDERTMARK progr. de ozaena venerea. Lipſ. 4. 1758. J. S. G. STOLL diſſ. de mercurii in ſolidis corporis humani haerentis noxa. Argentor. 1760. 4.), recentioribus obſeruationibus non ſatis confirmatum, aut heic enarrare amplius damna, quae non niſi hac illaue forma indutus, hac illaue ratione adplicatus, huic illiue materiae iunctus corpori humano intulit, de his prauis eius effectibus in recenſu ſingulorum pharmacorum mercurialium amplius locuturus.

Sunt vtique, qui, quamuis mercurii vſum non omnino damnent, eum tamen non niſi in grauioribus eiusmodi morbis admittunt (v. g. P. SARTORIUS *Franzoſenarzt oder Tractat von der Schwachheit der Franzoſen und derſelben Cur.* 8. Strasburg 1645.), et in decrepitis, exſuccis, eneruibus, nutricibus, feminis grauidis, menſtruum ſanguinem fundenti-

bus,

bus, hyſtericis, in hominibus epilepticis, rheumaticis, arthriticis, in haemoptyſin pronis, aut debilitate pulmonum, et (BORELLUS l. c. p. 9) neruoſi ſyſtematis, labe hepatis, ſcorbuto (J. G. H. KRAMER diſp. epiſtol. de ſcorbuto. Norimb. 1737.), cancro laborantibus, perinde ac in iis, quibus ab vſu mercurii caput perquam intumeſcit, aut oculi dolent, difficulter mouentur, et propinqua obiecta dignoſcere non valent, aut parciſſimum iam mercurii praebium ſaliuam ciet, exulare, aut non niſi maxima cum circumſpectione adhiberi iubent. Rariſſime quoque infantibus, caute hypochondriacis, ſcrophuloſis, alui fluxu affectis adhibendum eſſe vult GUIL. BUCHAN (domeſtic medicine. Lond. 1772. 8. cap. 36.).

Audaciores tamen alii (v. g. AD. MURRAY et P. DUBB l. c. p. 25 ſq.) morbo quoque comitiali laborantibus, difficulter reſpirantibus, ſanguinem ſpuentibus, hypochondriacis venerea labe infectis adhibere mercurium haud dubitarunt, et ſecundo cum ſucceſſu adhibuerunt; epilepſiam adeo cum morbo venereo complicatam mercurii vſu feliciter ſublatam legas (apud M. ETTMÜLLER medic. theoria et praxi inſtructus i. e. fundamenta medicinae vera, cur. AUSSFELDIO. Dresd. 1685. 4.); iuuenem morbo attonito correptum illito aliquoties vnguento mercuriali ab hoc malo liberauit V. RIEDLIN (obſerv. medicinal. Auguſt. Vindelic. 1691. 12. cent. III. obſ. LXXI. p. 389), alium poſt diuturnam hemicraniam epilepticum poſt annuum interuallum eodem denuo morbo affectum mercurii ad ſaliuae vsque profluuium ſubminiſtrati auxilio ſanauiſſe ſe refert

HOUSSET (diſſertation ſur les parties ſenſibles du corps animal, ſuivie d'un mémoire ſur les avantages, que procurent les frictions mercurielles dans le traitement de quelques epilepſies idiopatiques, avec les conſultations et lettres, qui y ont rapport, terminé par deux obſervations ſur l'uſage du mercure pour la guériſon du ſcorbut et des dartres. à Lauſanne. 1770. 8.); mercurium eadem ratione in eiusmodi malis adhibitum commendant TH. WILLIS (pathologiae cerebri et neruoſi generis ſpecimen, in quo agitur de morbis conuulſiuis et de ſcorbuto. Oxon. 1667. 4. p. 46), et M. ETTMÜLLER (Collegium practic. Oper. p. 812), morbum iſchiadicum quam maxime rebellem mercurio prudenter adminiſtrato cedere teſtatur expertiſſimus LENTIN (Memorabilia circa aërem, vitae genus, ſanitatem et morbos Clausthalenſium annorum 1774-1777. Goetting. 1779. 4.); alios morbos rheumaticos atque arthriticos WEDEL (de medicament. facultatib. L. II. ſect. 2. c. 12.), LOEW (Ephemerid. Acad. Caeſar. Nat. Curioſ. Dec. III. A. 5. 6. obſ. 156.), HUXHAM (de aëre et morbis epidemicis 1728-1737. p. 21), FALCK (l. c.); calculos diſſolutos eius virtute teſtantur FALCK (l. c.) et R. MEAD (de imperio ſolis et lunae. c. 3. p. 76); paralyſin ſanatam TH. WILLIS (de anima brutorum. Oxon. 1672. 4. Exerc. 2.); puellam a muliebri fluxu obſtructo catalepticam hoc mercurii auxilio reſtituto cum valetudine in gratiam redeuntem perhibet MICHEL (journal de medecine, chirurgie, pharmacie &c. T. XI. 1759. Auguſt. p. 109 ſq.); ipſum ſcorbutum, quod quidem aliorum praeſertim J. G. HEM-

PELII

PELII (*Eigene Erfahrung und Wahrnehmungen vom Scharbocke.* Kopenhagen. 8. 1778.) experientiae penitus refragatur, mercurii ope feliciſſime ſublatum (l. c.) HOUSSET, (*medicinisch-chirurgiſche Wahrnehmungen.* P. II. p. 253) L. HEISTER, (l. c.), N. D. FALCK, R. LENTILIUS (Miſcellan. medico-practica pag. 269) et alii (Ephemerid. Acad. Caeſ. Nat. Curioſ. Dec. II. ann. 3. obſ. 173. ann. 9. obſ. 165. Dec. III. ann. 7 et 8. obſ. 7.).

Qui mercurium nimia copia corpus ingreſſum pertinaciter inhaerendo plurima cauſſari mala ſibi perſuadent, auro naribus intruſo et in ore detento elicere illum tentant (LAZARUS RIVERIUS obſeruationes. Cent. II. obſ. 91. Oper. medic. vniuerſ. Francof. 1669. fol. p. 606. et S. JACOB apud. eund. obſerv. communic. XIII. p. 674). Debilitas, tumores, exanthemata, vlcera, quae non raro nimium mercurii vſum ſequuntur, feliciter roborantium vſu tolluntur.

Non autem lues tantummodo venerea ipſa, ſed multa mala, ex eodem virus progenita, mercurio expugnari ſolent: Ita verrucas venereas medicamentis mercurialibus externis deleri ſuadet Ill. GIRTANNER (l. c. I. p. 237); ita vlceribus vteri venereis cautum mercurii vſum externum opponit J. ASTRUC (traité des maladies des femmes, ou l'on a taché de joindre à une théorie ſolide la pratique la plus ſure et la mieux eprouvée, avec un catalogue chronologique des medécins, qui ont écrit ſur ces maladies. à Paris. 4. 1761. T. II. p. 179), vlceribus genitalium venereis (Chancres) aliisque eius-

 dem

dem proſapiae tum internum tum externum mercurii vſum opponit Cl. B. BELL (treat. on the theory and management of ulcers, with a diſſertation on white ſwelling of the joints. Edinb. 1778. 8.), externum tantummodo alii (v. apud Ill. GIRTANNER l. c. I. p. 215-218); multi etiam, qui bubones venereos externo mercurii vſu diſpellere ſtudent; caue tamen, bubonem ſcirrhoſum fruſtra tentes, aut pus iam profundentem irrites, et vlceris conſolidationem mercurii vſu procraſtines. Nec deſunt etiam noſtris temporibus, qui in gonorrhoea, quin in gonorrhoea ſecundaria, cui nihil venerei ſubeſt, mercurio tum intus tum extrinſecus vtuntur, certiſſime, niſi venereum miaſma ſubſit (SCHWEDIAUER l. c. p. 24. Auctores Commentarior. de rebus in ſcientia naturali et medicina geſtis. Lipſ. 8. Vol. 26. 1784. p. 518) incaſſum; vix maiora praeſtabit in ſcirrho teſticuli diſſipando, niſi venerea labes remanſerit, quo tum in caſu tam ore recipitur, quam vnguenti forma perinaeo adplicatur (SCHWEDIAUER l. c. p. 71).

Ita mercurii ope paralyſin a miaſmate ſyphilitico profectam vicit HOUSTET (Memoir. de l'Académie de chirurgie. à Paris 1768. 4. nr. 7. p. 141); ſurditatem ex eodem, vt videtur, fonte promanantem mercurio ad lene vsque ſaliuae profluvium adhibito feliciter ſuſtulit GORDON (Medical and philoſophical commentaries by a ſociety at Edinburgh. London. 8. Vol. III. 1775. P. I.); amauroſin eiusdem originis hydrargyro ad ſui medicationem egere ſolide monet J. L. SCHMUCKER (*Vermiſchte chirurgiſche Schriften* P. II.).

Neuti-

Neutiquam tamen mercurii ſalubris vſus ad morbos tantummodo venereos reſtringitur, ſed in numeroſis aliis morbis prodeſt, gentem humanam affligentibus.

Plicae polonicae opponunt hydrargyrum, ad ſaliuae vsque profluuium exhibitum HERCULES SAXONIA (de plica, quam Poloni Gwozdziec, Roxolani coltunum vocant? Patav. 1604. 4.) et DE BERNIZ (Act. Acad. Nat. Curioſ. Dec. I. A. 2. obſ. 52.).

Fuere, qui cancrum cedere mercurio aſſeuerabant (Nov. litterar. mer. Baltic. 1701. pag. 365. A. E. BÜCHNER et C. CLESS de medicamentorum mercurialium vſu in cancro. Hal. 1755. 4. OL. BORRICHIUS apud BARTHOLINUM Epiſtol. medicinar. Cent. IV. epiſt. 92.), at nocere in hoc morbo exemplis citatis experti ſunt Cl. J. BIERCHEN (Inträdes Tal om kärftſkadors, ſcrophulöſe och veneriſche Scärs och Svullnaders igenkanaande. Stockh. 1772. 8.) et R. RÖNNOW (Kongl. Svenſk. Vetenſk. Academ. Handling. för År 1778. V. 39. trim. 2. art. 9. p. 150), teſtatur quoque Ill. GIRTANNER l. c. I. p. 336); in ſcrophuloſo nihil prodeſſe BIERCHEN (l. m. c.).

In aliis quoque maligni moris vlceribus a VALLISNERIO (apud PISON. de regimine magnorum auxil. diſſ. IV. p. 243), et TREWIO (Commerc. litterar. Noric. 1731. p. 410), commendatum hydrargyrum fuit.

Sunt alii, qui in ſcrophulis cum fructu exhiberi poſſe argentum viuum perhibent (Gentleman's Magazine and hiſtorical Chronicle for the Year 1754.

Vol. XXIV. Iun. p. 265 ſq. BORDEU recueil des pieces, qui ont concouru pour le prix de l'Academie de chirurgie. à Paris. 4. T. III. 1759. p. 80. J. A. WOLSTEIN diſſ. de ſcrophulis. Ien. 1775. 4. p. 30. A. GUIL. TOETTELMANN diſſ. de ſcrophulis et morbis ſcrophuloſis. Goetting. 1777. 4. p. 30. 31. N. D. FALCK l. c. BELL treat. on the theory and management of ulcers &c. GUIL. G. PLOUCQUET et J. U. SCHAER diſſ. ſiſtens caſum morbi ſcrophuloſi. Tubing. 1790. 4. p. 8-10. D. MONRO l. c. I. p. 238. GUIL. LEURS Prijsverhandeling bekroond door hat Genootſchap ter Bevordering der Heelkunde te Amſterdam. Amſterdam. 8. D. I. 1791.); tumorem ſtrumoſum eius auxilio diſpulſum perhibet CLAUNIG (Act. phyſico - medic. Ac. Caeſar. Nat. Curioſ. Vol. II. obſ. 12.), aliis tamen aut nocere (GIBBS obſervations on various cures of ſcrophulous diſorders commonly called the kings evil. London. 1712. 8. GRAINGER hiſtoria febris anomalae batavae. Altenburg. 1770. 8. GUIL. DEASE introduction to the théory and practice of ſurgery. London. 8. Vol. I. 1781. S. HAHNEMANN apud D. MONRO l. m. c.), aut malo ſuperando impar eſſe (TH. KIRKLAND enquiry into the preſent ſtate of medical ſurgery. London. 8. Vol. II. 1786.), tum ex aliorum, tum ex ſua ipſorum experientia colligentibus, viſum fuit.

In aliis glandularum infarctibus, iis praeſertim, quibus infantes a venereis parentibus progeniti affliguntur, mercurius mirifice prodeſt (GUIL. DEASE l. m. c.); iis, qui a cauſſa frigida proficiſcuntur, hydrargyrum opponit Ill. RICHTER (*Chirurgiſche Biblio-*

Bibliothek. Vol. VI. 1783. p. 565), in pertinacibus glandularum infarctibus hydrargyri ad ſaliuae vsque profluuium adhibiti vſum ſuadet Ill. CRELL (in HALLER'S *Sammlung academiſcher Streitſchriften die Geſchichte und Heilung der Krankheiten betreffend in einen vollſtändigen Auszug gebracht und mit Anmerkungen verſehen.* Helmſtädt. 8. Vol. I. p. 398); ſtrumas leni ſaliuae profluuio per argentum viuum excitato diſſipandas ſuadet GUIL. SALMON'S (Compendium of the theory and practice of Chirurgy. Lond. 1699. p. 639); ſimiliter refractarias viſcerum oppilationes mercurio feliciter deuicit AASKOW (Acta Regiae Societatis medic. Havnienſ. Havn. 8. Vol. I. 1783.); alios morbos diuturnos ex eius generis obſtructionibus toties natos hoc pharmaco oppugnandos eſſe, autor eſt FR. ZYPAEUS (fundamenta medicinae reformata phyſico-anatomica. Bruxell. 1683. 12. p. 356); cum ſimili ex cauſſa crebro proueniant, haud mireris, in malo hypochondriaco et melancholia commendatum (GU. ROLFINCK ordo et method. medicinae ſpecialis ὡς εν γενει ad normam veterum et recentiorum. Ien. 1665. 4. p. 510), in mania (TH. WILLIS patholog. cerebri et neruoſi generis ſpecimen, in quo agitur de morbis conuulſiuis et ſcorbuto. Oxon. 1667. 4. P. II. c. 12. J. D. SCHLICHTING nov. act. Acad. Caeſ. Nat. Curioſ. T. I. 1757. n. 88. p. 346), in febribus intermittentibus quartanis (TH. WILLIS diatr. duae. Hag. 1659. 12. alt. de febr. c. 6. GUIL. BALLONIUS epidemiorum et ephemeridum. Pariſ. 1640. 4. L. II. p. 131. J. H. SCHULZE et J. G. GRAEVIUS diſſ. de mercurialium vſu in febre quartana curanda. Hal. 1742. 4.

§. XII.

§. XII. p. 17), in hydrope (Memoir. de l'Académ. des ſcienc. à Paris 1703. p. 174. Act. Acad. Caeſ. Nat. Curioſ. Dec. II. ann. 4. obſ. 36. Recueil periodique d'obſervations &c. T. II. p. 366. van SWIETEN l. c. T. IV. p. 225. FALCK l. c. J. LIND eſſay on diſeaſes incidental to European in hot climates, with the method of preventing their fatal conſequences &c. London. 1768. 8. p. 268), ad tollendum eum morbum mercurii ad ſaliuae vsque profluuium exhibiti vſum contuliſſe D. MONRO (l. c. p. 238) et (apud eum) HAHNEMANN teſtantur: Hydropem cum hepatis obſtructione complicatum mercurii auxilio feliciter ſuſtulit FR. KNIGHT (Medical Transactions publiſhed by the College of phyſicians in London. London. 8. Vol. III. 1785. art. 23).

In hepatis inflammatione, niſi cum febre putrida complicata, mercurii, ita tamen adhibiti, vt ſaliua non profluat, vtilitatem extollunt Angli potiſſimum medici, experientia edocti, CLARKE (Medical and philoſophical Commentaries by a Society in Edinburgh. London. 8. Vol. V. 1777.), ANDR. MURRAY (diſſ. de hepatitide, maxime Indiae orientalis. 8. Goett. 1779. p. 53), R. HAMILTON (Medical Commentaries, collected and publiſhed by ANDR. DUNCAN. London. Vol. IX. ad ann. 1783. 1784.), GUIL. SAUNDERS (treatiſe on the ſtructure, economy and diſeaſes of the liver, together with an enquiry into the properties and component parts of the bile and biliary concretions, beeing the ſubſtance of the Gulſtonian lectures. London. 1793. 8.), J. WATSON (medical facts and obſervations. London.

8.

8. Vol. V. 1794. art. 3.), in aliis quoque morbis inflammatoriis J. LIND (London medical journal. Vol. VIII. 1787. P. I. art. 4.) et R. HAMILTON (l. m. c.), inflammationibus inteſtinorum, pulmonum, oculorum, etiam rheumaticis et praecipue catarrhalibus (journal de medecine, chirurgie, pharmacie &c. T. LXXXV. Oct. 1790.), et ipſa adeo dyſenteria, niſi putridae indolis ſit, (J. LIND l. m. c. PAISLEY et WILSON apud eundem, GUIL. BOAG Medical facts and obſervations. London. 8. Vol. IV. 1793. nr. 1.), potiſſimum tamen inflammatoria J. PRINGLE (Obſervations on the diſeaſes of the army &c.). Quin immo in aliis quoque febribus, tum ſporadicis (N. D. FALCK l. c.), tum epidemicis, praeſertim verminoſis (J. BENVENUTO diſſert. hiſtorico-epiſtolari ad J. B. BECCARIUM, qua epidemicae febres in Lucenſis dominii quibusdam pagis graſſantes deſcribuntur &c. Lucc. 1754. 8. p. 35. et apud eum J. VALDAMBRINI et GHISI p. 65), in ipſis adeo bilioſis (v. g. in febre flaua terrarum calidiorum BOAG l. m. c.) et malignis (J. B. MOREALI ſyſtem. theoretico-practic. febrium malignarum et contagioſarum. Mutin. 1739. 4.), quod cum J. F. BIANCHINI (Lettere medico-pratiche intorno all' indole delle febbri maligne e de loro principali rimedi colla ſtoria de vermi del corpo umano e dell' uſo del mercurio. Venez. 1750. 8.) ſane neutiquam probes, commendatus et adhibitus fuit mercurius.

Magnam porro, niſi nimis ſero adhibeatur, (QUIN treatiſe on the dropſy of brain illuſtrated by a variety of caſes. Lond. 1790. 8.), hydrargyrum

gyrum vtplurimum (non opus eſſe teſtatur PERCIVAL Medical facts and experiments. London. 8. Vol. I. 1791.) ad ſaliuae profluuium vsque adhibitum, exſerit efficaciam in cerebri, quem vocant hydrope, teſtibus DOBSON et PERCIVAL (medical and philoſophical Commentar. by a Society of Edinburgh. Vol. VI. 1779.), QUIN (diſſ. de hydrocephalo interno. Edinb. 1779. 8.), MACKIE (Medical commentaries, a view of the lateſt diſcoveries in medecine and medical philoſophy, by A. DUNCAN for the Year 1780. P. II.), J. HOOPER et D. C. LETTSOM (Memoirs of the medical Society of London, inſtituted in the Year 1773. 8. Vol. I. art. 8. 9), vt tamen in difficili morbo non raro ſpem medici fallat (HOOPER, LETTSOM, QUIN ll. cc. B. WILMER caſes and remarks in ſurgery. Lond. 1779. 8.) Fuerunt etiam, qui in medicatione ſpinae ventoſae magnam in argento viuo poſuerunt fiduciam (J. D. SCHLICHTING philoſoph. Transact. nr. 466. A. E. BÜCHNER et NIEMANN diſſ. de remediis mercurialibus ſpinae ventoſae medicandae interdum idoneis. Hal. 1754. 4.), in aliis quoque oſſium morbis (SCHREIBER de peſtilentia p. 44) adhibuerunt.

Inſignis porro hydrargyri eſt potentia in ſanandis morbis cutaneis, etiam iis, qui nequaquam ex labe venerea pronaſcuntur, a primis iam inde temporibus, quibus eo remedio vtuntur medici, agnita, in elephantiaſi, qua affectis nocere tamen perhibetur (FR. RAYMOND hiſtoire de l'elephantiaſis, contenant l'origine du ſcorbut, de la vérole, et un précis de l'hiſtoire phyſique des temps. Lauſanne.

ſanne. 1767. 8.) olim frequens, et a ſerioribus quoque medicis (EDM. MORPHAEUS quaeſtion. medic. duodecim. Monſpel. 1668. 4. quaeſt. 3.) commendata; in lepra tamen non niſi veneno ex interioribus corporis propulſo ſalutaris (G. GUIL. SCHILLING diſſ. de lepra. Traiect. ad Rhen. 1769. §. LIX.); in peculiari eius ſpecie, Surinamenſibus familiari (TH. FERMIN traité des maladies les plus fréquentes à Surinam, et des remedes les plus propres à les guérir. Maeſtricht. 1764. 8. p. 109), in capitis tinea a b. MURRAYO (progr. de medendae capitis tineae ratione. Goetting. 1782. 4. p. 14 ſq.) in herpete (HOUSSET l. c.) egregie efficax, in ſcabie ſananda multoties extrinſecus tentata, in ipſa peſte auxilium ſpondens SCHREIBERO (l. m. c.).

Nollem certe ex eodem fonte deriuare virtutem, quam mercurius in variolis exercet, tot exemplis fauſti effectus confirmatam (BOUCHARD Miſcellan. Ac. Caeſar. Nat. Curioſ. Dec. I. ann. 3. obſ. 9. p. 13. et GRASS ibid. obſ. 56. p. 93. HUXHAM eſſay on fevers &c. p. 167. SPIESS ap. WERLHOFF de variolis et anthracibus. p. 95. n. 108. Act. medicor. Berolinenſ. Dec. I. Vol. II. p. 11. BALLONIUS l. c. TH. DIMSDALE preſent method for the inoculating of the ſmall pox. London. 1767. 8. p. 17. N. A. CATANEO Raccolta d'opuſcoli ſcientifici e filologici. Venez. 12. T. XLVII. art. 7. LETTSOM *Nachrichten vom allgemeinen Diſpenſatorium, aus dem Engl.* p. 176), ſiue virus illi, quod variolas progenerat, tanquam antidotum reſiſtendo, cum BOERHAAVIO (aphoriſm. de cognoſc. et curandis morb. &c. §. 1392.),

§. 1392.), van SWIETEN (l. c. Vol. V. pag. 61), SCHREIBERO (*Anweiſung zur Erkenntniß und Cur der vornehmſten Krankheiten.* Leipzig. 1756.), FOWLERO (diſſert. de methodo medend. variolis praecipue auxiliis mercurii. Edinburg. 1778. 8.), et van WOENSEL (Memoir. de la Societé de medecine. à Paris ann. 1777 et 1778.), et (*neue mit dem Merkur in den Blattern gemachte Erfahrungen, welche deſſen ſpecifiſche Kraft in dieſer Krankheit beweiſen.* Leipzig. 1783.), ſiue ſaliuae profluuium, in hoc morbo adeo ſalutare, promouendo, cum B. LOESECKE, qui ideo etiam in morbillis et febre miliari eius vſum commendat (l. c. p. 271), et D. COTTUNNIO (de ſedibus variolarum συνταγμα. Vienn. 1771. 8. p. 80), ſiue vermes, qui inteſtina vellicantes in infantibus potiſſimum complicatum adeo reddere malum poſſunt, necando agere cum M. A. PLENCIZ (Oper. medico-phyſic. Vindob. 1762. 8. tr. 2. c. 4. p. 105 ſq) tibi perſuadeas.

Et ingens profecto eſt hydrargyri vis in enecandis omnis fere generis animalibus minoribus, iis potiſſimum, quae corpus humanum crebro infeſtant, in pediculis perimendis Arabibus medicis olim iam comprobata, in filaria ſiue dracunculo ſeu vena medinenſi expellenda a GALLANDAT (journal de medecine, chirurgie, pharmacie &c. T. XII. 1760. Jan. nr. 4. p. 24. et Cl. BAYON (memoir. pour ſervir à l'hiſtoire de Cayenne et de la Gujane françoiſe. à Paris. 8. T. I. 1777. celebrata, nuperius tamen a LOEFFLERO (*Beyträge zur Arzneywiſſenſchaft und Wundarzneykunſt.* P. I. 1791.) in dubium

reuo-

reuocata, in vermibus praeſertim, inteſtina obſidentibus, occidendis, iam dudum (G. A. WEDEL amoenitates materiae medicae. Ienae. 1704. p. 371. FR. HOFFMANN medicina rational. ſyſtematic. T. IV. P. 5. p. 85. 86. c. XII. §. VII. H. BOERHAAVE l. m. c. §. 1371. 1372. BIANCHINI l. c. p. 240. GUALTH. van DOEVEREN diſſ. de vermibus inteſtinalibus hominum. Lugd. Batav. 1753. 4. multisque aliis) confirmata.

In rabie, morſus animalium rabidorum toties excipiente, tum praecauenda, tum ſananda, commendatus iam fuit, vt tentaretur, ſub finem praeteriti ſeculi a Gallorum Medico TAURY (Hiſtoir. de l'Académ. des ſciences. à Paris. ann. 1699. nr. 57.) mercurius, conſentiente cum hac egregiae virtutis coniectura multiplici plurium medicorum experientia, PALMARII (de morbis contagioſis p. 272), DESAULT (diſſ. ſur la rage. 1734. 12. in diſſert. de medecine. à Paris. 12. T. II. 1738.), R. JAMES (method of preſerving and curing the madneſs, cauſed by the bite of a mad dog. Lond. 1735. 8.), FR. BOISSIER DE SAUVAGES (diſſ. ſur la nature et la cauſe de la rage. Toulouſe. 1750. 4. p. 53. 54. 58. 59. et noſolog. methodic. T. III. P. 1. p. 357), DARLUC (Recueil periodique d'obſervations &c. T. III. p. 193. 198 et T. IV. p. 278), ROSE (ibid. T. V. p. 170), HOIN (journal de medecine, chirurgie, pharmacie &c. T. XV. p. 100), Cl. DE CHOISEL (ibid. T. V. p. 189 ſq. et nouvelle methode ſure pour le traitement des perſonnes attaquées de la rage. à Paris. 1756. 8.), ROEDERERI (progr. de morſu canis rabidi ſanato. Goetting. 1760. 4.),

CORIANI (apud A. N. HAGG diſſ. de hydrophobia eiusque per mercurialia potiſſimum curatione. Argent. 1761. 4.), LIEUTAUD (ſynopſ. vniuerſ. prax. medic. p. 318), KÜHNII (nov. act. Ac. Caeſ. Nat. Curioſ. T. I. obſ. 55. p. 219 ſq.), TISSOTI (avis au peuple ſur la ſanté. p. 209), LAYARDI (eſſay on the bite of a mad dog. Lond. 1762. 8. p. 113), PH. G. HENSLERI (*Anzeige der hauptſächlichſten Rettungsmittel derer, die auf plötzliche Unglücksfälle leblos geworden ſind, oder in naher Lebensgefahr ſchweben.* Altona 1770. 8. p. 61), GYSERI (apud J. J. FLACHSLAND diſſ. de rabie canina, eius ſequelis atque medela. Argentor. 1780. 4. p. 45-47), SAULQUINI (journal de medecine &c. T. XXX. 1769. Februar. n. 6. p. 152), BLAIRII (hiſtoir. de la Societé de medecine à Paris. ann. 1777 et 1778.), MATTHIEU (ibid. ann. 1779.), aliorum Gallorum (journal oeconomique 1760. p. 115. et journal de medecine, chirurgie, pharmacie &c. T. XL. Aug.), et Lipſienſium (Commentar. de rebus in ſcientia naturali et medicina geſtis. 8. Lipſ. Vol. XXV. 1782. p. 548); non paucis medicis metallum hoc, donec, lenis ſaltem, ſaliuae fluxus natus ſit, exhibentibus, PERRY (mechanical account and explication of the hyſteric paſſion &c. Lond. 1755. p. 109), BERTRAM (diſſ. praeſ. KALTSCHMIED de ſaliuatione mercuriali ceu indubio praeſeruationis et curationis remedio aduerſus rabiem caninam. Ienae. 1760. 4.), J. LOTTI (ſaggio e memoria della cura préſervativa dell' idrofobia eſeguita in dieci perſone offeſe da cane rabioſo. Venez. 1775.), HOLDEFREUND (*Erzählung merkwürdiger Krankengeſchichten.* Braunſchweig und Wolfenbüttel.

büttel. 1775. nr. 3.), et FALKENER (Medical Tranſactions publiſhed by the college of phyſicians in London. Vol. II. 1787. art. 15. p. 221).

Magnum porro auxilium praeſtitit mercurius in tetano, teſtibus Al. et Don. MONRO (Eſſays and obſervations phyſical and litterary read before a Society in Edinburgh and publiſhed by them. Edinb. 8. Vol. III. n. 30.), poſteriori quoque (praelection. medic. in CRONII inſtituto et orat. anniuerſar. ex HARVEYI inſtituto dicta d. Oct. 18. ann. 1775. in theatro collegii R. medicorum Londinenſium. Lond. 1776. 8. et Memoires of the medical Society of London. 8. London. Vol. I. 1787.), DE LA ROCHE (journal de medecine, chirurgie, pharmacie &c. T. XL. p. 213), B. RUSH (Memoir. of the medical Society of London. London. 8. Vol. I. 1787.); puellam praegreſſa menſium obſtructione catalepticam mercurii vi cum ſanitate in gratiam redeuntem vidit MICHEL (journal de medecine, chirurgie, pharmacie &c. T. XI. 1759. Aug. art. 3. pag. 109), ſpaſmum oeſophagi et natam ex eo difficilem deglutitionem hoc remedio feliciter ſuperauit TH. PERCIVAL (Medical Transactions publiſhed by the college of phyſicians in London. Vol. II. 1772. art. 8. p. 90 ſq.); ſingularem quendam, ſpaſticum ſimiliter oeſophagi morbum, dummodo recens adhuc eſſet, N. MUNCKLEY (ibid. Vol. I. 1768. art. 11. p. 165), vomitum per quatuor menſes omnibus aliis pharmacis pertinaciter reſiſtentem J. R. ZWINGER (Act. heluet. phyſico-mathematico-anatomico-botanico-medica. Baſil. 4. Vol. IV. 1760. art. 17. p. 234).

Mercurium vtilem eſſe in plumbi particulis ex veſica vrinaria eliciendis expertus eſt LE DRAN (Lettre ſur la diſſolution du plomb dans la veſſie. à Paris. 1750.), ſedecima parte wismuthi temperatum SHARP (apud van SWIETEN l. c. V. p. 469), ex aliis quoque corporis internis cauis educendis HEUERMANN (l. c. Vol. II. p. 101); in morbis a plumbo progenitis fauſtiſſimo cum ſucceſſu adhibuit H. CLUTTERBUCK (account of a new and ſuccesſfull method of treating thoſe affections, which ariſe from the poiſon of lead, to which are added general obſervations on the internal uſe of lead as a medicine. London. 1794. 8.).

Amauroſin hydrargyri ope ſublatam legas apud TH. BARTHOLINUM (epiſtolar. medicinalium. Hafn. 8. Cent. IV. 1667. ep. 92.) et L. HEISTERUM (diſſ. de amauroſi ſaliuatione curata. Altdorf. 1713. 4. et *mediciniſch - chirurgiſch - und anatomiſche Wahrnehmungen.* Roſtoch. 4. Vol. II. 1770. p. 27); virtutem oculis amicam iam praedicauit ALEX. TRAJANUS PETRONIUS (de morbo gallico L. VI. c. 1.), aſſentientibus J. RHODIO (analecta et notae in L. SEPTALII animaduerſion. et caution. medicas. Patav. 1652. 8.), R. BOYLE (de vtilitate phyſic. experimental. exerc. 5. c. 19. §. 18.), et WESTPHAL (Act. Acad. Caeſ. Nat. Curioſ. Vol. VIII. obſ. 62.).

Hydroſarcocele nautam de labe venerea nequaquam ſuſpectum eiusdem ope tandem penitus liberauit TERLIER (Journal de medecine, chirurgie, pharmacie. T. XVI. 1762. Apr. art. 5. p. 333 ſq.).

At multum porro intereſt, qua forma, quo conſortio, qua via corpus humanum ingrediatur mercurius; rarius porrigitur crudus, quam aliis atque aliis modis praeparatus.

Argentum viuum, etſi a multis (v. gr. P. ABANO l. c. p. 14. exemplum virulentae huius potentiae allegante), ſi quidem deglutiatur, inter venena relatum ſit, ob inſignem tamen ſuam mobilitatem, niſi obſtaculum quoddam offendat, nihil efficiendo per omnem canalem cibarium cito decurrit, et ano exit (J. E. HEBENSTREIT et CHPH. FR. SARTORIUS diſſ. de vſu hydrargyri interno. Lipſ. 1735. 4.). Quamuis igitur ab hoc mercurii vſu ſperare multum virtutis vix liceat, non feminae tantum Smirnenſes, vt pulcrae et opimae maneant, tres quotidie eius drachmas ſorbent (MALOUIN chymie medicinale. à Paris. 12. 1750. Vol. II.), ſed ſunt quoque inter medicos, qui ſalutares inde vires exſpectant (v. GUIL. RIVIÉRE quaeſtion. medicae duodecim. Monſpel. 1696. 4. quaeſt. 5. J. J. BAJER et J. P. ROESEL diſſ. de mercurii crudi vſu interno. Altorf. 1704. 4. JOS. VALDAMBRINI uſo del mercurio crudo. Firenze. 1744. 4.).

Vermibus potiſſimum inteſtina vellicantibus hac quoque ſpecie indutum cum ſyrupo, conſerua, diacydonio ſolummodo ſubactum oppoſuere nonnulli v. g. A. LE GRAND (curioſ. rerum abditarum naturaeque arcanorum perſcrutator. p. 219), qui eius ſcrupulos binos, et BIANCHINI, qui (l. c.) quater vel quinquies per diem drachmam integram deglutiendam imperat, tametſi iam ſuo tempore G. BAG-

LIVIUS (Oper. omn. medico-pract. et anatomic. Edit. IX. Antwerp. 1715. 4. p. 60), ſerius J. B. BURSERIUS (epiſt. de anthelmintica argenti viui facultate. Favent. 1753. 4.), periculis extra corpus viuum captis, vermibus his non officere hydrargyrum viuum, experti ſint.

Alter morbus, cui debellando argentum viuum, amygdalarum oleo vtplurimum iunctum, deglutiendum praeceperunt medici, eſt dolentiſſimus ille ileus; ita RIVERIUS (prax. p. 456), RHODIUS (cent. obſerv. 2. obſ. 80.), M. ETTMÜLLER (colleg. practic. p. 101.), SYLVIUS DE LE BOË (id. prax. medic. L. I. c. 15. §. 53.), ZACUTUS LUSITANUS (prax. admirand. L. II. obſ. 35. et de princip. medic. hiſt. L. II.), A. PARAEUS (Oper. L. XXI.), BÜCHNER et RAU (nov. act. Acad. Caeſar. Nat. Curioſor. T. III.), FR. HOFFMANNUS (medicin ſyſtemat. T. IV. P. 2. Sect. 2. c. 4. obſ. 3. p. 305-308), A. DE HAEN (ration. medend. T. XI. 1767. p 184-193), BOUCHEL (journal de medecine, chirurgie, pharmacie &c. T. XL. 1773. Dec. art. 3. p. 503), cum felici ſucceſſu a duobus, tribus, quatuor vnciis ad dimidiam vsque et integras adeo libras exhibuerunt, quemadmodum nuperius in vomitu, puellam per quatuor menſes vexante J. R. ZWINGER (l. c.), et in pertinaci alui obſtipatione, qua ebrioſus quidam laborabat, PERRY (apud DUNCAN medic. Commentar. Dec. II. Vol. VI. art. 13.). Monendum tamen eſt, multa in hoc mercurii vſu (FR. HOFFMANN l. m. c. LA BORDE journal de medecine, chirurgie, pharmacie &c. T. L. Jul. art. 1. p. 30 ſq. HAHNEMANN apud D. MONRO l. c. p. 231) opus eſſe cautione, largius

largius praebium non niſi in caſibus celerrimam opem poſcentibus admittendum (DE HAEN l. c. p. 191), neque tentandum vnquam eum vſum eſſe, ſi inflammatio vel ſpaſmus adſit.

Rhachiticis, antequam alia ſumant, hauſtum argenti viui depurati ingerendum ſuadet GUIL. BROMFIELD (Chirurgical obſervat. and caſes. Lond. 8. Vol. II. 1773).

Quid ad foetum expellendum et calculum vrinae diſſoluendum facere poſſit, vix perſpicere licet.

Suis adeo effluuiis ſcopo medici reſpondere videtur interdum mercurius; ſunt qui pennae anſerinae ſtipiti incluſum, et medios inter capillos collocatum pediculis pellendis cum fructu adhibent; alii qui ſacco ex aluta confecto et mercurio referto ac lateribus braccae adſuto, aut eodem conſilio, aut vt ſaliuae profluuium cieant, vtuntur (A. KAAUW BOERHAAVE perſpiratio dicta HIPPOCRATI per vniuerſum corpus anatomice illuſtrata. Leid. 1738. 8. §. 432.).

Multi in aqua cum argento viuo cocta, aut ſub continua agitatione per aliquot horas digeſta, aut (R. BOYLE medicinal experiments. Lond. 1692. 12. p. 80) per noctem infuſa, quamuis ea aqua nihil eius ſoluatur, neque pondere imminutum ab ea coctione redeat (MENGHINI Commentar. Bononienſ. T. II. P. 2. p. 120. HILDEBRANDT l. c. p. 93) principem ad vermes inteſtina obſidentes et morbos verminoſos debellandos fiduciam ponunt. Ita iam ſuo tempore eo conſilio commendauit J. B. van HELMONT (*Aufgang der Arzneykunſt.* Sulzbach. 1683. Tract. 54. *von den Krankheiten.* c. 21. §. 7. p. 1078.

 et

et ſextupl. digeſt. aliment. humani. p. 180), conſentientibus BAGLIVIO (Oper. omn. p. 59), G. BATE (diſpenſatory, by W. SALMONS. London. 1693. 8.), PEZOLD (Act. Ac. Caeſar. Natur. Curioſor. Cent. VII. Obſ. 11.), KRAMER (Commerc. litterar. noric. 1734. p. 323. et 1736. p. 122), C. FR. HUNDERTMARCK (de mercurii viui et cum ſalibus varie mixti ſumma in corpus humanum vi atque efficacitate &c. Lipſ. 1754. 4. p. 72 ſq.), C. CHRN. KRAUSE (de amuletis medicis. Lipſ. 1758. 4. §. 20. p. 21), WERLHOFIO apud Ill. BALDINGER (hiſtoria mercurii et mercurialium medica. Goetting. 4. P. II. 1781. pag. 7), KLEINIO (ſelect. rational. medicaminum. Francof. 1765. 8.), LOESECKIO (l. c. p. 338), PH. R. VICAT (delectus obſeruat. practicar. ex diario clinico depromptus. Winterth. 1780. 8.), ROSENSTEIN, qui (l. c. p. 299) melle temperatam ano iniiciendam ſuadet, MELLIN (l. c. p. 58), van DOEVEREN (l. c.), P. S. PALLAS (de infeſtis viuentibus intra viuentia. Lugd. Batav. 1760. pag. 23. 24.), BALDINGERO (l. m. c.), medicis Caſſellanis (pharmacia rationalis correct. et aucta. p. 111), L. HEISTERO, qui (*Wahrnehmungen.* nr. 200. p. 351. 352) ea aqua columbas a vermibus liberatas vidit, quam virtutem, etſi tributa ſit ab aliis plumbo (pharmac. rational. l. m. c.), mercurium vtique crebro contaminanti, et aquae, cui liquefactum infunditur, eam facultatem impertienti (P. S. PALLAS l. m. c. p. 24), ab aliis, v. g. GERHARDO (Materia medica. 2te Auflage. Berlin 1771. 8.), vitrioli acido, mercurium in turbith minerale conuertenti, aliisque aquae communi inhaerentibus, aut ex conſilio additis

ditis particulis, neutri tamen deberi, ex eo eluceſcit, quod nec aquae puriſſimae deſit cum mercurio puriſſimo decoctae (G. BAGLIVIUS l. c. p. 59. BALDINGER l. m. c. p. 8).

At non anthelminticas modo vires nanciſci a quacunque ſubtiliori hydrargyri parte aquam, ſed veneno quoque venereo aduerſas, et morbis cutaneis ſuperandis pares, ex eo colligas, quod partem certe non infimam decoctorum in lue venerea praedicatorum, alterius a PH. FRAUNDORFFER (tabula ſmaragdina. Norimb. 1699. p. 81), inter probatiſſima medicamenta collocati, alterius a ZWELFFERO denominati, a JUNGKENIO (l. c. p. 396 ſq.), DE SPINA (manuale ſiue lexicon pharmaceutico-chymicum. Francof. 1700. 8. p. 235), ab ipſo KLEINIO (l. m. c.) et WERLHOFIO (apud BALDINGER l. m. c.) commendati, aeque ac antipſorici medicorum Suecicorum (Pharmacop. ſuec. Lipſ. et Alton. 1776. p. 47. 48.) conſtituat, et ſaliuae profluuium excitaſſe, a B. KAEMPFIO (l. c.) comperta ſit.

Venerei veneni delendi ergo argentum quoque viuum granorum duodecim pondere prunis ardentibus infuſum aegrotis inhalandum praeceptum olim fuit (J. G. BAIER diſſ. de mercurii in corpus humanum agendi modo ſecundum leges phyſicas. Altd. 1739. 4. §. XIV. p. 9).

Crebrius tamen argentum viuum, difficilioribus paulo artificiis quaſi praeparatum, fuit a medicis adhibitum.

Fuere inter hos, qui mercurium alia aliaue ratione praeparatum, aegrotis, venereo veneno

 affectis,

affectis, infantibus praeſertim, ita exhibebant, vt lac caprae, vaccae, aſinae, nutricis, matris haurirent, hydrargyro, vti quidem ſibi perſuadebant, tinctum. Ita lacte aſinae, vaccae, caprae, cui hydrargyrum inunctum fuit, nutriendum ſuadet aegrotum DAUMOND (diſſert. ſur une nouvelle maniére d'adminiſtrer le mercure, à la fin du traité de phyſiologie de M. JEAN FÉRAPIÉ DU FIEU. Lyon. 1763.), caprae, melius prouectioris, cui mercurius adminiſtratus fuit, lac infantibus potius inſeruire putant ASSALINI (Eſſai medical ſur les vaiſſeaux lymphatiques &c. avec les moyens de prévenir les effets des ſubſtances venimeuſes, comme la ſalive du chien enragé, le vénin de la vipére, le virus venerien &c. Turin et Milan. 1787. 8.), J. V. MÜLLER (*praktiſches Handbuch der mediciniſchen Galanteriekrankheiten.* c. 19. pag. 280), M. E. BLOCH (*mediciniſche Bemerkungen.* Berlin. 1774. 8. p. 163) et ROSENSTEIN (l. m. c.), qui tamen matris quoque et nutricis lac mercurio imbui poſſe ſuadet; in noſocomio etiam Lutetiano infantibus a virus venereo liberandis deſtinato nutricibus exhibetur mercurius (J. COLOMBIER hiſtoir. de la Societé de medecine. à Paris ad ann. 1779. p. 181).

At enim vero ab hac adminiſtrandi ratione vix aliquid ſperandum auxilii (GIRTANNER l. c. I. p. 434. 435.); animalia enim ab adhibito mercurio non aegrotant modo saepius, et lac largiuntur parcius, tandem largiri deſinunt, ſed contabeſcunt ſaepe atque emoriuntur; et quamuis non perinde periculoſus ſit mulieribus, lac tamen eorum non ſubire, coniicias ex periculis J. B. LE ROUX des TILLETS

et

et C. L. BERTHOLLET (diſſ. de lacte animalium medicamentoſo. Pariſ. 1779. 4.), vt infantem lac nutricis magnis praebiis hydrargyrum haurientis ſugentem nullum ſaliuae profluuium pati expertus ſit BLOCH (l. m. c. p. 162).

Alii fumi ſpecie applicare corpori maluerunt mercurium, hanc formam tum potiſſimum praeferentes, quando de labe venerea delenda ſolliciti erant.

Cognitum autem fuit illud medicationis genus a primis inde increbeſcentis in Europa luis venereae temporibus, J. CATANEO (l. c. c. 9.), J. BENEDICTO (l. c.), A. BOLOGNINO (l. c. libr. de vnguentis c. 6.), J. DE VIGO (pratica copioſa in arte chirurgica. Romae. 1514. fol.) iam memoratum, a N. MASSA (de morbo gallico, in quo omnes modi poſſibiles ſanandi continentur. Venet. 1532. l. 5. c. 7.), J. WYERO (*Arzneybuch von etlichen bis anher unbekannten und unbeſchriebenen Krankheiten.* Frankf. am Main. 1580. 8.), A. BASTELLO (Speculum medicinae. Madrit 1599. 4.), J. D. MAJOR et J. D. SCHIPPEL (diſſ. de vſu et abuſu mercurii in lue venerea. Kiliae 1673. 4. c. 6. theſ. 7. 10-17. 23.), et noſtro adhuc ſeculo ab agyrta quodam CHARBONNIERE (Lettre d'un Médecin à un de ſes amis de province touchant le remede de M. DE CHARBONIERE. à Paris. (1738.) 12. et Lettre de M.*** DE CHARBONNIERE au ſujet de deux ouvrages, qui ont paru contre la methode de fumigations, avec la reponſe de M. DE CHARBONNIERE. Paris. 1742. 12.), a C. DIONIS et N. M. DE GAVIGLAND (quaeſt. med. an ſyphilidi conueniat ſuffumigatio recens? Pariſ. 1741. 4.),

L. R.

L. R. MARTEAU et N. A. J. B. CHESNEAU (quaeſt. med. An in curanda lue venerea ſuffumigia rite adhibita remedium optimum? Pariſ. 1745. 4.), a J. D. CHEVALIER (lettre à M. DEJEAN ſur les maladies de S. Domingue &c. à Paris. 1752. 12. et quaeſt. med. An per ſuffitum felicior et tutior, quam per inunctionem mercurialem, morbi venerei curatio? Pariſ. 1752. 4.), a J. HIGGS (practical eſſay on the cure of venereal, ſcorbutic, arthritic, leprous, ſcrophulous and cancerous diſorders, in a method entirely new. London. 1755. 4.), ab agyrtis ſuecicis (Berättelſar inlämnade til kongl. Collegium medicum, rörande Medicinal-Verkets tilſtänd i Riket i ſäſom en forſättning of Provincial-Medicorum berättelſen til Kongl. Collegium medicum &c. Stockholm. 1765. 8.) et ſibiricis (J. G. GMELIN *Reiſe durch Sibirien.* Göttingen. 8. Vol. II. 1752. p. 163) et Calmuccis (PH. FR. GMELIN ſpecificum antidotum nouum aduerſus effectus morſus rabidi canis. Tubing. 1750. 4. p. 24. §. 26.), qui tabaco, cuius fumum ſugebant, cinnabarin inſpergebant, recentius a G. HEUERMANN (l. c. Vol. II. 1767.), medicis Lutetianis (apud J. J. GARDANE Detail de la nouvelle direction du bureau des nourrices de Paris. Paris 1775. 8.) et potiſſimum a P. LALOUETTE (nouvelle methode de traiter la maladie venerienne par la fumigation avec les proces verbaux des guériſons operées par ce moyen. Paris. 1776. 8.) commendatum atque adhibitum, quamvis ſuo iam tempore J. BENEDICTUS (l. c.), A. MUSA BRASSAVOLVS (de morbo gallico ap. LUISINUM), H. FRACASTORIUS (Syphilis ſiue morbus gallicus. Veron.

Veron. 1530. 4.), J. CALVO (Libro di medicina y chirurgia, que trata de las llagas en general y en particular, y aſſimeſmo dal morbo gallico &c. Sevilla 1580. 4.), TH. BOVIUS (flagello contra de medici communi detti rationali. Vienn. 1601. 4.), FAB. PACIUS (Comment. in ſeptimum Galeni librum cum tract. de morbo gallico per methodum curando. Vicent. 1608. fol.), ANGELUS SALA (Septem planetarum terreſtrium ſpagyrica recenſ. Oper. p. 205), J. D. MAJOR et J. N. SCHIPPEL (l. c. c. 4. th. 14-16. c. 6. th. 7-23.), J. A. STISSER (Laboratorii chemici ſpecim. III. Helmſt. 1698. 4.), FR. HOFFMANN (medicin. rational. ſyſtematic. T. IV. P. 5. c. 4. §. 9. p. 162), J. HILL (medical eſſays of Edinburgh. 1737. 8. p. 41), J. ASTRUC (l. c. L. II. C. IX. p. 168), et ſerius G. van SWIETEN (l. c. Vol. V. p. 514 ſq.), D. PONYRKA (diſſ. de anathymiaſi cinnabaris. Argentor. 1780. 4.) et Ill. GIRTANNER (l. c. I. pag. 436), argumentis tum a nociua vaporum mercurialium et ſulphureorum ex iſtiusmodi ſuffitibus aſſurgentium, aliis quoque exemplis probata indole, tum a directa experientia petitis innixi, tanquam damnoſam et ſummopere periculoſam hanc medicationem reprobarent, alii, e. gr. A. FRACANCIANUS (de morbo gallico lib. edit. a Cam. COCCHIO. Bonon. 1564. 4.), J. HARTMANN et J. KEIL (diſſ. de lue venerea. Marburg. 1611. 4.), non niſi ſumma circumſpectione adhibita, admitterent, aut certe (v. gr. EUSTACH. RUDIUS de morbo gallico L. V. Venet. 1604. 4.) aliis per mercurium peractis medicationibus inferiorem haberent, aut non niſi in robuſtis (v. gr.

GUIL.

GUIL. RONDELET de morbo italico l. vnus ſub finem ap. LUISINUM, AL. TRAJ. PETRONIUS de morbo gallico. L. VII. apud LUISINUM, et ipſe NIC. MASSA l. c. l. 5. c. 7.), aut inueterata et leniori medelae non cedente lue laborantibus (G. FALLOPIUS tract. de morbo gallico. Patav. 1564. 4. c. 69. ZACUTUS LUSITANUS prax. hiſtor. l. 2. c. 1. DE HORNE examen des principales méthodes d'adminiſtrer le mercure pour la guériſon des maladies vénériennes. à Londres et Paris. 1769. 8. p. 4. J. J. GARDANE recherches pratiques ſur les différentes manieres de traiter les maladies vénériennes. à Paris. 1770. 8. p. 76 ſq.), aut ad debellanda mala topica ex labe venerea prognata (D. TURNER Syphilis, a practical diſſertation on the venereal diſeaſe. Lond. 1717. 8. J. ASTRUC l. c. l. 2. c. 13.), e. gr. vlcera atque papulas (H. FRACASTORIUS l. c.), tumores, vlcera fiſtuloſa, ophthalmias venereas (DE HORNE l. c. p. 4), lippitudinem veneream cum inflammatione adnatae et vlcere corneae (G. FALLOPIUS l. m. c.), bubones, pus fundere pertinaciter renuentes, et venerea narium vlcera (van SWIETEN l. m. c. p. 516), exoſtoſes, cariem, teſticulos induratos (J. V. MÜLLER l. c. Sect. II. c. 12. pag. 208) adhiberent, fumum aſſurgentem v. gr. per intermedia infundibula ad partes malis memoratis affectas deriuando, et ſollicite cauendo, ne, quantum quidem fieri poteſt, perniciofiſſimi illi vapores, qui, quando cum ſpiritu trahebantur, toties (G. FALLOPIUS tract. de metallis et foſſilibus. Opp. omn. Francof. 1584. p. 391. TANEQUIL GUILLAUMET de la cryſtalline. Lion. 1611. 12. FERD. PONZETTI de venenis commenta-

mentarius, Venet. 1492. fol. L. II. c. 21. M. ETTMÜLLER mineralog. cap. de mercurio menſ. April. 1665. et Colleg. medico-chirurg. p. 135. J. FERNELIUS de luis venereae ſ. morbi gallici curatione perfectiſſima. Antwerp. 1579. 8. P. FORESTUS obſeruation. et curat. medicinal. et chirurgic. Lugd. Batav. 8. L. VIII. obſ. 5. SCHENK obſerv. medic. L. VII. p. 820. RAMAZZINI l. c. p. 486 ſq. 501. FR. HOFFMANN opuſcul. pathologico-practic. Vol. II. p. 427. A. DE HAEN ration. medend. T. II. p. 214 et T. III. p. 220-229. J. J. FERBER *Beſchreibung des Queckſilberbergwerks zu Idria in Mittelcrayn.* Berlin 1774. 8. pag. 12. G. HEUERMANN l. c. Vol. II. KORNBECK hiſtoria morborum a mercurio. Vienn. 1776.) vertiginem, paralyſin artuum, apoplexiam, ipſam mortem repentinam induxerunt, per os et nares ingrediendo cerebrum et pulmones petant, qua cautela, etſi difficilima, religioſe adminiſtrata, ſperari poſſet, fore, vt mercurius halitus ſpecie per vaſa cutanea reſorptus citius, validius, minori longe pondere, quos debebat exſerere, effectus edat.

Qui praeparatum adhibere maluerunt mercurium, alio alioque modo ſcopo ſuo potiri anniſi ſunt; acquieuere alii imperfectiori illa calcinatione, qua per diuturnam triturationem ſplendore ac mobilitate ſua deſtituitur argentum viuum, et in pulverem abit ex cinereo atrum, vocant vulgo *exſtinctionem;* auctam alii efficaciam comperiſſe ſibi viſi ſunt in mercurio perfectius per ignem calcinato; placuit aliis arctius hydrargyri cum aliis metallis, aut cum ſulphure, aut cum ſalibus iisque potiſſimum

mum acidis connubium; aliis hunc, aliis illum ſalem praeferentibus. Praetulerunt alii ob noxas, quas deglutita ventriculo facile inferunt (ASTRUC l. m. c. II. c. II. PETIT traité des maladies des os. II. p. 496. J. HUNTER et SCHWEDIAUER ll. cc. WITHERS *Bemerkungen über die Fehler bey dem Gebrauche der Arzneymittel.* Leipz. 1776. p. 261. BRAMBILLA *von der Phlegmone.* II. p. 380. HILDEBRANDT dulcis mercurii laudes. Erlang. 1793. 8. p. 27), mercurialium vſum externum, alii aliis argumentis permoti internum. Inde innumera illa medicamenta, ex mercurio praeparata, quibus a primis inde temporibus, quibus medicato inſeruiebat vſui, et medicorum ſcripta obruuntur, et noſtra pharmacopolia.

PRAEPARATA.

I. *Vnguenta mercurialia, Mercurius vnguinoſus.*

Haec vtique prima, quantum quidem nouimus, fuit adhibendi mercurii ratio et forma, Arabibus iam medicis e. gr. ABHENGUEFITH (L. de ſimplici medicina cap. 385. ad calcem oper. MESUE), ABUBECKER MOHAMMED BEN ZACHARIAE a patria Raia vulgo dicto RHAZES (libr. ad ALMANZOREM IX.), AVICENNAE (Canonis l. II. tr. 2. cap. 47.) et MASAWAIH ſiue vulgo MESUAEO (Antidotarium diſtinct. II.), et, qui eos ſequebantur, M. ROGERIO, a patria PARMENSI dicto (Chirurgia. Bergam. 1498. fol. l. I. c. 42.), M. ROLANDO (Chirurg. 1499. fol. l. I. c. 15.), THEODORICO (Chirurg. Bergam. 1498. fol. l. 3. c. 49. f. 175 a.), P. HISPANO (ſumma experimentorum ſ. theſaur. pauperum, ſ. de medendi

corpo-

corporis humani morbis per euporiſta. Antwerp. 1497. c. 4.), B. DE GORDONIO (lilium medicum, practica GORDONI dicta et tr. de vrinis et pulſibus. Lion. 1474. 8.), GUIL. DE VARIGNANA (ſecret. ſublim. ad varios curandos morbos. Venet. 8. 1520. tract. 3. c. 9.), ARNOLDO BACHUONE, vulgo VILLANOVANO (breuiar. practic. a capite vsque ad pedes. Mediol. 1483. fol. l. 2. c. 43.), GUIDON. DE CAULIACO (Chirurg. Bergam. 1498. fol. tract. 6. doctr. 1. c. 3.), VALESCO DE THARANTA (Practica vulgo dicta Philonium de curatione morborum. Venet. 1502. fol. l. 7. c. 14.) vſitata.

Et primo quidem adhibita fuere iſta vnguenta ad mala tantummodo externa ſuperanda; ita tali vnguento ad necandos pediculos vſi ſunt ABHENGUEFITH, RHAZES, AVICENNA, PETER HISPANUS, GUIL. VARIGNANA, B. DE GORDONIO, GUID. DE CAULIACO, VALESCUS DE THARANTA (ll. cc.), prouti hodienum principem nonnullorum vnguentorum eodem conſilio praeſcriptorum materiem conſtituit, ad ſanandos varios cutis morbos, impetiginem ABHENGUEFITH, AVICENNA et MESUE (ll. cc.), tineam ROLANDUS (l. c.), morphaeam albam ROGERIUS (l. c.), et eam potiſſimum peſſimam leprae ſpeciem, quae mali mortui nomine notata fuit (THEODORICUS l. m. c.), ſcabiem ABHENGUEFITH, AVICENNA, MESUE, ARNOLDUS BACHUONE (ll. cc.), contradicente tamen UNZERO (*der Arzt*. Hamburg. 8. T. IX. 1763. pag. 268), quemadmodum noſtro adhuc aeuo nonnulla a ſcabie denominata vnguenta intrat; ad demulcenda et tollenda mala topica, a veneno venereo excitata, tum cutanea tantam ſaepe cum morbis cutaneis modo

modo memoratis ſimilitudinem prae ſe ferentia, tum alia, v. gr. inguinum (FR. MERY et Cl. J. GENTIL quaeſt. med. an bubo venereus ſcirrodes absque cauterio curandus? Pariſ. 1751. 4.) aliarumque glandularum tumores, paralyſes (HOUSTET memoir. de l'Acad. de chirurgie à Paris. 4. T IV. 1768. 7. p. 141 ſqq.), penis contorſionem (HAHNEMANN *Unterricht* &c.), exoſtoſes J. L. PETIT (traité des maladies des os, dans lequel on a repréſenté les appareils et les machines, qui conviennent à leur guériſon. à Paris. 1705. 12.), et ANT. LE PASCHEUX DE LA REAULTE (Quaeſt. med. an exoſtoſi venereae frictiones mercuriales? Monſp. 1756. 4.), phimoſin et paraphimoſin J. C. BRUNS (diſſ. obſeruation. quasdam anatomic. et chirurgico-medic. exhib. Gotting. 1760. 4.), vlcuscula venerea GUIL. FORDYCE (review of the venereal diſeaſe and its remedies. London. 1768. 8.) et alia: In enarratis his caſibus vnguentum parti affectae illinitur, et vtplurimum linteo vel faſcia contegitur.

At quum iam antiquiores illi medici hydrargyri extrinſecus applicati effectum omnem non in parte, quam proxime contingit, ſubſiſtere, ſed in interiora corporis penetrare, in os internum praeſertim agere, et praeter omnem medici atque aegroti exſpectationem abundantiſſimum ſputi profluuium (v. gr. FABRICIUS HILDANUS Oper. p. 492, qui cinguli ſpecie adhibito ea mala exorta vidit) excitare experirentur, mirum certe non eſt, medicos inductos fuiſſe, vt iisdem vnguentis vterentur ad morbos internos ſuperandos.

Et

Et quum in affinibus morbis cutaneis, quales quoque virus venereum progignere ſolet, toties prodeſſe compertum haberent, in ipſa lue venerea breui temporis ſpatio, poſtquam in Europa inualuerat, eorum vſum tentarunt, rarius, cataplaſmatis ſpecie plantis pedum impoſitum (BERALDUS ap. TURQUET DE MAYERNE l. c.), vel armillarum, carpos et tarſos cingentium (D. SENNERT, ALBINUS et DE HORN ll. cc. R. DIBON diſſert. ſur les maladies veneriennes. à Paris. 1724.) vel, quod conſilium eſt SEBAST. CORTILLO (de chirurgica inſtitutione L. V. cum practica chirurgica eiusdem libros IV. continente. 8. Francof. 1610. L. III) tibialium, quibus aegroti induebantur, aut cingulorum (J. VESTI et G. G. ECKMANN diſſ. de vſu et abuſu medicamentorum mercurialium. Erford. 1705. 4. §. XI. p. 20. E. GOCKELIUS conſiliorum et obſeruat. medicar. Dec. VI. Aug. Vind. 1683. DE LE BOE SYLVIUS Oper. Amſtelod. 1680. D. SENNERT, BLANCARD, ALBINUS et DE HORN ll. cc.), zonarum, armillarum (J. D. MAJOR et J. N. SCHIPPEL l. c. c. 3. th. 1. et c. 4. th. 8. 12. 13.), ex corio molli vel panno aut linteo fabricatarum, quibus lumbi cingebantur, internam faciem iis vel emplaſtris oblinendo, quam, quod omnino praeſtat, manu calida nuda, vel manica armata infricando (*hydrargyroſis*), vel quod potius adhuc eſt, id negotii aegro ipſi committendo.

Circumſpectione tamen, quam omnis mercurii vſus poſcit, praeparatione corporis, cui adhibetur, aliis ſimul exhibitis medicamentis, quae conditio

 aegri

aegri et mercurii effectus ipſe poſtulat, in huius quoque medelae vſu opus eſt; aeger, per totum medicationis tempus in conclaui temperate calido occludendus, et ab omni frigore ſollicite muniendus, toties, mane alternis diebus, linteis, antequam ſputum promanare inchoat, non mutatis, pharmaco illinitur, donec imminentem ſaliuationem praeſentiat, quod vt plurimum quarta inunctione peracta contingit, nunc autem, ſi nolis, hos in ſaliuae fabricam effectus vlterius progredi, per aliquot dies ille labor praetermittitur, et ſi euanuerint illi effectus, denuo repetitur, tam diu hac cum cautela continuandus, donec omne malum exſtirpatum ſit, vel ſi opus eſſe videatur ad tollendum morbum abundante ſputi profluuio, qui multorum adhuc valetudinariorum, medicorum et praeſertim agyrtarum mos eſt, minuendum certe applicati vnguenti praebium, quod hactenus paulatim adauctum fuerat, ne nimis importune et largiter ſputum profluat, et quidem eodem gradu, quo auctum fuerat, ſenſim ad illud pondus, quod prima inunctione adhibitum fuit, et in eo vſu pergendum, donec omnis labes venerea ex humoribus abluta ſit. Alii (v. gr. Ill. GIRTANNER l. c. I. p. 355) autem ſingulis inunctionibus vnicam tantummodo drachmam, alii (v. gr. MELLIN l. c. p. 130) duas adhibent, alii primis quidem inunctionibus duas conſumunt drachmas, at pro alia atque alia mercurii vnguentum intrantis ratione, mali indole ac pertinacia, et aegroti robore et conditione pedetentim ad vnciam dimidiam (ASTRUC l. c. L. IV. c. 7. p. 398), imo ad integram adeo (Pharmacia ratio-

nalis

nalis p. 355) adſcendunt; alii ſuris aut crurum interiori lateri (v. gr. Ill. GIRTANNER l. m. c.) allinendo acquieſcunt; alii (v. gr. ASTRUC l. c. p. 398) prima aut primis inunctionibus a tarſis ad ſuras, ſequentibus a ſuris ad media crura, tandem vltra nates procedunt; alii (Pharmacia rational. l. m. c.) primis diebus ſolis tarſis, inſequentibus ſimul genubus, porro brachiorum etiam articulis, tandem dorſo quoque linimentum applicant, ſinguli vtplurimum partem, cui admouetur, panno laneo, ita vt rubeſcat, prius fricando, vnguentum autem ipſum tamdiu vi quadam adhibita allinendo, donec cutis arida iterum videatur.

Quibus cautelis ſi addas, ad parandum vnguentum recipi hydrargyrum puriſſimum, et quicquid vnguinoſi adiiciatur, adiici recens atque incorruptum, ſubigi ac commiſceri alterum cum altero aequabiliſſime, neque unquam in vſum vocari vnguentum vetuſtatis ſitu obrutum, haud immerito ad palmarias luis venereae medicationes referenda videtur haec hydrargyroſis, ideo iam ſub finem ſeculi decimi quinti et initium decimi ſexti (J. GRÜENBECK tr. de peſtilentiali ſcorra ſiue malo de Frantzos originem remediaque eius continent. (1496.) 4. et de mentulagra, alias morbo Gallico. 1503. 4. U. DE HUTTEN l. de guaiaci medicina et morbo gallico. Mogunt. 1519. 4.) vſitata, et a medicis plurimis, J. WIDMANN (tr. de puſtulis et morbo, qui vulgato nomine mal de Franzos appellatur. MCCCCXCVII. 4.), C. GILINO (opuſc. de morbo gallico ap. LUISINUM), M. BROCARDO (diſſ. de

morbo gallico ap. *eundem*), J. CATANEO (l. c.), G. VELLA (conſilium medicum pro egregio artium doctore Aloyſio Mantuano, qui morbo Gallico laborabat ap. LUISINUM), P. MAYNARDO (l. de morbo Gallico ap. eundem), ANGELO BOLOGNINO (l. de cura vlcerum exteriorum et de vnguentis. Bonon. 1514. fol.), J. BENEDICTO, J. DE VIGO, H. FRACASTORIO (ll. cc.), J. a BETHENCOURT (Noua poenitentialis Quadrageſima, nec non purgatorium in morbum Gallicum ſiue Venereum opus fructiferum. Pariſ. 1527. 8.), porro a N. MASSA (epiſtol. medicinal. Venet. 1558 4.), P. A. MATTHIOLO (de morbo Gallico l. vn. Venet. 1535.), M. A. BLONDO (tr. de origine morbi Gallici, deque ligni Indici ancipiti proprietate. Venet. 1542. 8.), A. FRACANCIANO (de morbo gallico fragmenta quaedam elegantiſſima ex lectionibus. Patav. 1563. 4.), G. DORDONO (de morbi gallici curatione tract. quatuor. Pap. 1568. 8.), J. CALVO (Libro di medicina y chirurgia, que trata de las llagas en general y en particular y aſſi meſmo del morbo Gallico, en el quel ſe enſenna ſu origen, cauſas, y curacion, el modo da hazer el vino ſanto, das las unciones, y correger ſus accidentes. Sevill. 1580. 4.), J. CRATONE A KRAFTHEIM (de morbo Gallico comment. a SCHOLZIO edit. Francof. 1594. 8.), P. FORESTO, A. BASTELLO (ll. cc.), P. DE TORREZ (libro, que trata de la enfermedad de las bubas. Madrid. 1600. 4.), A. CAESALPINO (ars medica. Romae. 12. 1601-1603. libr. 4.), E. RUDIO (de morbo Gallico L. V. Venet. 1604. 4.), S. CORTILLO (l. c.), L. SEPTALIO (animaduerſion. et caution. medic. 1614.), TIMAEO A GÜKDENKLEE (Caſ.

(Caſ. medicinal. Lipſ. 1663. 4. p. 273), R. WISEMANN (ſeveral chirurgical treatiſes. London. 1676. fol.), FR. CALMETTE (Riverius reformatus. Genev. 1677. 8.), TH. SYDENHAM (ep. de luis venereae hiſtoria et curatione. Londin. 1680. 8.), ST. BLANCARD (Venus belegert en ontſet of Verhandelinge van de Pokken en deſelfs toefallen, met een grondige en zekere geneſinge, ſteunende meeſt op de gronden van Carteſius. T'Amſterdam. 1684. 4.), M. G. PURMANN (*Anweiſung zur Salivationscur.* Frankfurt. 1700. 8.), C. DE CABALLIS (phaenomen. medic. ſingulari intuitu recens. Venet. 1686. 12.), ANONYMO (Les opérations de chirurgie par une methode courte et facile, avec deux traités, l'un des maladies de l'eſtomac, et l'autre des maux vénériens. Paris. 1688. 12.), G. BAGLIVIO (Oper. omn. medico-practic. Lyon. 1752. 4. p. 53-56), EL. ALBERTI (diſſ. de lue venerea. Altd. 1702.), J. L. PETIT (l. c.), VASTI et ECKMANN (l. c. p. 8), FR. DE FONSECA HENRIQUEZ (tratado unico do azougue nos cazos, que he prohibido. Lisb. 1708. 4.), J. CHR. SELIG (de medicinae vnguentariae recentioris praeſtantia diſſ. Altd. 1723. §. VIII. p. 20), M. PEAGET et C. DIONIS (quaeſt. med. an luis venereae curationi per frictum potius, quam per ſuffitum faueant medicae obſeruationes? Pariſ. 1738.), C. FR. HUNDERTMARK (diſſ. de ſingulari vſu frictionis et vnctionis in curatione morborum. Lipſ. 1740. 4.), M. ALBERTI et H. A. SCHRIMPF (diſſ. de hydrargyroſi ſiue de ſaliuatione ope mercurii. Hal. 1740. 4.), L. HEISTERO (compend. medicin. practic. Amſtelod. 1743. 8. c. 11. p. 225-240), H. BOERHAAVIO (tr. medico-

medico-practic. de lue venerea. Lugd. Bat. 1751. 8.), C. O-CONNEL (diſſ. de optima tutiſſimaque luem veneream radicitus extirpandi methodo. Lugd. Bat. 1751. 4.), QUERENET et MAUFLATRE (Recueil periodique d'obſervations de medecine, chirurgie, pharmacie &c. à Paris. 8. Tom. IV. 1756. Mart. art. 3. p. 182-197. et Maj. art. 1. p. 323-337), LE NICOLAIS DU SAULSAY (journal de medecine, chirurgie, pharmacie &c. T. X. 1759. Mart. art. 4. p. 232-241), P. J. MALOUIN (Chimie medicinale. Paris. 12. Ed. 2. vol. 2. c. 33. p. 158), GUIL. FORDYCE (review of the venereal diſeaſe and its remedies. Lond. 1768. 8.), S. F. MORAND (Opuſcules de Chirurgie. à Paris. 4. P. II. 1772. art. 3. c. 4. p. 260-267), P. FABRE (nouvelles obſervations ſur les maladies vénériennes. Paris. 1779. 8.), DE HORNE (journal de medecine, chirurgie, pharmacie &c. T. LI. 1779. Jan. art. 1. p. 38-44), GUIL. DEASE (obſervations on the different methods, of treating the venereal diſeaſe. Dublin. 1781. 8.), L. NANNONI (trattato di chirurgia e di reſpettive operazioni. Siena. 8. Tom. IV. 1783. lect. CII. p. 321 ſq.), C. DE MERTENS (obſervation. medic. Vindob. 8. T. II. 1784. p. 108), P. A. PERENOTTI DI CIGLIANO (del vario modo di curare l'infezzione venerea, e ſpecialmente del uſo vario del mercurio. Turino. 1788. 12.), A. FR. LOEFFLER (*Beyträge* &c. P. I.) et aliis commendata et cum fructu adhibita.

Tabem ex veneno venereo natam hac methodo ſuperatam teſtatur de MEZA (Act. Societ. medic. Hafnienſ. 8. Hafn. Vol. II. 1779. p. 211).

Non

Non defuere tamen, qui, quamuis hydrargyri in lue venerea debellanda potentiam non negarent; vnguentorum tamen horum vſum, multi forſan eo, quod, nimis ſolliciti de ſupprimendo ſputi profluuio, mercurii quoque efficaciam fini accommodatam ſufflaminabant, imparem iſti negotio (DE HORNE examen des principales methodes &c. p. 7 ſq.), mitigando tantum, non exſtirpando ſufficere (J. B. MONTANUS l. c.) pronunciarunt, leniori tantummodo morbo opponentes (GUIL. DEASE, J. D. CHEVALIER et L. P. F. R. LE THIEUILLIER ll. cc.), aut acrioribus, v. gr. mercurio ſublimato corroſiuo (C. GILINUS et ST. BLANCAARD ll. cc.) linimenta iſta acuentes, aut cum frictionibus illis clyſmata antiuenerea (DE HORNE journal de medecine &c. T. LI. p. 44), vel ſuffitus mercuriales (IDEM l. m. c. p. 41), vel internum mercurii ſublimati corroſiui (IDEM l. m. c. p. 42. ROSENSTEIN l. c. J. J. GARDANE moyens certains et peu couteux de detruire le mal venerien. à Paris. 1772. 8. et FR. B. DARSSES diſſ. de hydrargyroſi in lue venerea. Monſp. 1776. 4.), aut dulcis (TIMAEUS A GÜLDENKLEE, QUERENET et MAUFLATRE ll. cc.) aut gummoſi (J. LIND l. m. c. SCHLICHTING act. phyſico-medic. Acad. Caeſ. Nat. Curioſ. T. VIII. Norimb. 1748. obſ. 8. p. 25), aliorumue mercurialium (L. HEISTER l. m. c.), aut hauſtus ex ligno guaiaco cocti (C. DE CABALLIS l. c.) aut aliorum ſudoriferorum (DE HORNE journal de medecine &c. T. LI. p. 38) vſum coniungentes.

Alii vero, licet inunctione circumſpecte adhibita grauidas (NANNONI l. c.), infantes (L. BOTALLUS luis

venereae curandi ratio. Pariſ. 1563. 12.), ſenes et vetulas (GOULARD l. m. c.), ipſos tabidos (FR. DE FONSECA HENRIQUEZ l. c.) tentari ſine vlla noxa poſſe, experientia docuerit, ſine dubio diris illis malis improuidum eius vſum ſecutis, epilepſia (D. RAYMOND traité des maladies, qu'il eſt dangereux de guérir &c. Avignon. 1757. 12. Vol. II. obſ. 6. p. 303. J. B. MONTANUS l. c.), pallore (IDEM l. c.), inſignibus et medelam pertinaciter reſpuentibus faucium vlceribus (J. LANZONI Ephemer. Acad. Caeſ. Nat. Curioſ. Dec. III. A. I. 1694. obſ. 28. p. 57), faucium, linguae, gingiuarum gangraena (J. DOLAEUS ibid. Dec. II. A. 4. Norimb. 1686. obſ. 120. p. 228), aliis, et ipſa morte (J. DOLAEUS l. m. c. D. CRUGER ibid. J. D. SCHLICHTING act. phyſico-medic. Acad. Caeſ. Nat. Curioſ. Norimb. T. VIII. 1748. obſ. 26. p. 68) territi, ancipitem (P. von der STYLLE *chirurgiſches Handbuch.* Frankfurt. 1611. 8.) pronunciarunt, et periculi plenam (BEN. VICTORIUS lib. de morbo gallic. Florent. 1551. 8. J. G. H. KRAMER medicina caſtrenſis. Norimb. 1735. 8. C. 15. pag. 86-91. DE HORNE examen &c. pag. 7 ſqq.), aut noxiam (FABIUS PACIUS comment. in ſeptimum Galeni librum cum tractatu de morbo Gallico per methodum curando. Vicent. 1608. fol.), pituitoſis praecipue et phlegmaticis (J. J. GARDANE recherches pratiques ſur les differentes manieres de traiter les maladies vénériennes. à Paris. 1770. 8. c. 5.), vt non niſi ſumma cum cautela admitterent (J. HARTMANN et J. KEIL diſſ. de lue venerea. Marburg. 4. 1611.), aut morbo tantummodo profundius infixo, deteriori, aliiſque artis auxiliis non cedenti opponerent

(CH.

(CH. WIRSUNG *Arzneybuch, darin wird vom Haupt bis zu den Füßen verzeichnet, was jedes Glied des menſchlichen Leibes für Krankheiten angreifen &c.* Frankfurt. 1568. fol. HIER. CAPIVACCIUS de lue venerea acroaſes, opera PH. SCHOEPFII editae. Spir. Nemet. 1590. 8. C. DE REBECQUE le Chirurgien charitable. Lauſann. 1673. 8. J. B. VERDUC Pathologie de chirurgie. Paris. 1710. 12. P. II. c. 40. D. TURNÈR practical diſſertation on the venereal diſeaſe &c. London. 1717. 8.), lenius malum internis medicinis (J. B VERDUC l. c.), aut potibus ex ligno guaiaco paratis (CH. WIRSUNG, H. CAPIVACCIUS, C. DE REBECQUE ll. cc.), aut remediis ex hydrargyro confectis (J. HARTMANN et J. KEIL, D. TURNER ll. cc.) oppugnantes, alias, efficacitatem nimiam temperandi cauſſa, camphoram aut ſulphur vnguento adiicientes.

Alios ſpurcities, quae omnino continuato per aliquod temporis ſpatium iſtorum vnguentorum vſu, euitari penitus nequit, et metus (J. J. GARDANE l. m. c.), quo minus poris cutis per pinguia iſta occluſis tranſpiratio ſupprimatur, quae, vt malum feliciter ſuperetur, benignas naturae leges ſequatur neceſſe eſt, ab hoc medelae generae abſterruit, quamuis vtrumque incommodum coniuncto frequenti balneorum tepidorum vſu tolli ex parte queat; alios (van SWIETEN l. c. Vol. V. p. 526 ſq.) periculum, ab aſſurgentibus in conclauis calidi ſaepe anguſti et humilis atmoſphaeram, et reſorbtis atque inſpiratis (FABRICIUS HILDANUS obſeruat. chirurg. Cent. V. obſ. 98. p. 495. GOULARD ſur les maladies veneriennes. p. 12. 51. 55. LOESECKE l. c. p. 265.)

p. 265.) hydrargyri vaporibus, aliis quoque, et interdum ipſis iis, quibus hydrargyrum neutiquam prodeſt, quin imo ſaepe peſſime nocet, imminens; aegrotos multos, potiſſimum eos, qui vt alii, ſe hoc morbo laborare, ignorent, optant, aut ob negotia extra cubiculum peragenda ea lege ſeſe obſtringi renuunt, praeceptum a multis (neque tamen ab omnibus v. gr. NANNONI l. c.) medicis inculcatum, vt per omne hydrargyroſeos iſtius tempus conclaui calido incluſi maneant.

Grauior vtique contra memoratum horum vnguentorum vſum obiectatio illa eſt, mercurium, ea ſpecie exhibitum, nimis inaequaliter agere, tum eo quod aliorum hominum denſa magis ſit cutis inhalandis mercurii effluuiis minus fauens, aliorum laxa magis et maxime ſenſibilis, ita vt in illis perparum efficiat, in his iuſto violentius operetur (GIRTANNER l. c. I. pag. 356. 357), tum quod vnguenta ipſa iam maiorem, iam minorem mercurii copiam, nunc negligentius, nunc maiore cum cura pinguedini intertritam recipiant, tum eo quod, etiamſi eadem eiusdem vnguenti copia adhibeatur, cum modo maior modo minor eius portio linteis aegroti, manibus chirurgi illinentis adhaereat, vera mercurii corpus ipſum ingreſſi copia ſupputari nequeat (GARDANE l. m. c. van SWIETEN l. m. c. p. 525. 526).

Ad arcendum quoque in coitu impuro virus venereum vnguenta mercurialia illini praeceperunt, alii ante concubitum genitalibus (HARRISON l. c.) aut glandi penis (WAREN l. c.), alij (FALK l. c.) coitu

coitu peracto lumbis. In glandularum partiumque glanduloſarum tumoribus tam venereis, quam ex alio fonte ortis, efficacia praedicabat A. E. BÜCHNER et G. F. JAENSCH (de efficaci mercurialium vſu chirurgico. Halae. 1756. §. XI. XII. p. 22. 23), in vlceribus venereis, piſi maioris magnitudine mane et veſperi anteriori et ſuperiori tarſi loco illita J. JUNCKER (Conſpect. chirurg. Tab. XLIX. Tit. VI. 7.).

Verum ad alios quoque morbos medicandos fauſto ſucceſſu adhibita fuere iſta linimenta; ita ſarcocelen, vti quidem videbatur, alius plane originis, praemiſſis chirurgicis ſubſidiis, vnguento mercuriali per aliquot menſium ſpatium quotidie inuncto, penitus exſtirpauit TERLIER (journal de medecine, chirurgie, pharmacie &c. Tom. XVI. 1762. Apr. art. 5. p. 333).

In tetano debellando colli lateribus et maxillae inunctum linimentum mercuriale egregio cum ſucceſſu tentarunt RUSH et CLARKSON (Transact. of the Colleg. of phyſic. at Philadelph. 8. Vol. I. P. I. 1793.).

Magnam ſibi famam acquiſiuere linimenta mercurialia, quotidie aliquoties, ſaepe ad lene, imo largum adeo vsque ſaliuae profluuium vulneri allita, ſi cum interno potiſſimum mercurialium vſu combinentur, ad auertendam et ſanandam, quae morſum animalium rabidorum inſequitur, rabiem; ita Cl. P. DESAULT (diſſert. ſur les maladies veneriennes avec deux diſſertations l'une de la rage, l'autre ſur la phthiſie. à Bourdeaux. 8. T. II. 1733.), DARLUC (recueil periodique d'obſervations de medecine, de chirur-

chirurgie et de pharmacie. à Paris. 8. T. III. 1755. Sept. art. 2. pag. 182 ſq. et Tom. IV. 1756. Apr. art. 4. pag. 258 ſq.), T. ROSE (ibidem. Tom. V. 1756. Sept. art 2. p. 170 ſq.), DU CHOISEL (ibid. Sept. art. 3. pag 184 et nouvelle methode ſure, courte et facile, pour le traitement des perſonnes attaquées de la rage. à Paris. 1756. 8.), R. JAMES (treatiſe on canine madneſs. London. 1760. 8.), EHRMANN (ap. A. N. HAGG diſſ. de hydrophobia eiusque per mercurialia potiſſimum curatione. Argent. 1761.), P. LAYARD (eſſay on the bite of a mad dog. Lond. 1762. 8. p. 123 ſq.), J. MEASE (eſſay on the diſeaſe, produced by the bite of a mad dog, or other rabid animal. Philadelph. 1793. 8.) et (apud eum) DEXTER, J. JOHNSTONE (medical eſſays and obſervations. Eversham. 1795. 8. pag. 287), TISSOT (l. c. p. 209), SAULQUIN (journal de medecine, chirurgie, pharmacie &c. T. XXX. 1769. Febr. art. 6. p. 152 ſq.), FALKENER (medical transactions publiſhed by the college of phyſicians in London. 8. Vol. I. 1772. art. 15. p. 221), R. A. VOGEL (acad. praelection. de cognoſcendis et curandis praecipuis corporis humani affectibus Goetting. 1772. 8. p. 72 ſq.), LOTTI (l. c.) plurimos eorum ope ſaluatos fuiſſe teſtantur; nihil tamen effeciſſe in nonnullis caſibus fatetur (ll. cc.) DARLUC, incaſſum ſaepe adhibita fuiſſe referunt CORVINUS (apud A. N. HAGG l. m. c.), MEDERER (methodus facilis et certiſſima homines et animalia a beſtiis rabioſis admorſa conſeruandi. Friburg. 1784. 4.), BENSELL (Transactions of the College of phyſicians of Philadelphia. Philadelph. 8. Vol. I. P. I. 1793.) et alii.

Maniam

Maniam chronicam et rebellem illito capiti raſo bis per diem vnguento mercuriali, donec ſaliua largius proflueret, ſanatam narrat SCHLICHTING (Act. Acad. Caeſ. Nat. Curioſ. Tom. I. 1757. 4. obſ 88. p. 346). Iuuenem poſt hemicraniam epilepticum ſaliua eodem remedio largius profluente a malo hoc liberauit (l. c.) HOUSSET. Tetanum vniuerſalem, praemiſſa venae ſectione, illita quotidie vnguenti mercurii partem dimidiam recipientis drachma, ſubiuncto balneo, et continuato per aliquot dies hoc medendi modo ſanauit (l. c.) DE LA ROCHE et (ibid. Vol. XLII. 1774. menſ. Sept. p. 215) DU BOUEIX: Deglutiendi facultatem illito ad lene ſaliuae profluuium vsque eiusmodi vnguento bis feliciter reſtituit J. BRISBANE (Select caſes in the practice of medecine. London. 1778. 8. p. 30).

Ita etiam in cerebri hydrope cruribus ad lene vsque ſaliuae profluuium, vt tamen neutiquam eo opus ſit, inunctum, addito ſimul interno mercurii dulcis aliorumque vſu eximiam opem praeſtitit DOBSONIO, PERCIVALLO et MACKIE (ll. cc.), nullam WILMERO (l. c.) vnguentum mercuriale.

In febribus et ipſa dyſenteria illinendum abdomini nuperius ſuadet BOAG (medical facts and obſervations. IV. n. 1.): In hepatitide alii, quamuis et hic crebro incaſſum adhibeatur (J. JOHNSTONE l. m. c. p. 236. 237. 241).

Ad propellendum dracunculum multum conferre, ſi membro aegrotanti allinatur, aſſeuerat BAJON (l. c. I.), tumorem potius augere et extractionem eius difficiliorem reddere LOEFFLER (*Beyträge* I.).

At

At multum quoque ad gradum efficaciae facit ratio mercurii, quam vnguentum recipit, et reliquorum, quae illud ingrediuntur, indoles. Ne enim dicam, fuiſſe (v. gr. J. PASCHALEM libr. de morbo quodam compoſito, qui vulgo apud nos Gallicus appellatur. Neapoli. 1534. 4.), qui hydrargyrum cum ſaliua ſubigi et in linimenti ſpeciem redigi iuſſerunt, ne illas hic memorem, quas, medicinae ex hydrargyro iam paratae, intrant, numeroſae proſtant vnguentorum mercurialium formulae, quae cum aliis atque aliis vnguinoſis combinari illud praecipiunt.

Vnguentum ad pediculos (LE MORT pharmacia medico-phyſica p. 163) ex mercurio cum terebinthina et ſedecim axungiae ſuillae partibus conflatum, et oleo ligni rhodii irroratum.

Vnguentum ad pediculos inguinales a Screta denominatum (FRAUNDORFFER l. c. p. 329. 330.) praeter ſemina ſtaphidis agriae et extractum nicotianae mercurium viuum (ratione pinguedinis habita partem octauam) primo cum parciſſima terebinthinae copia, poſt cum pinguedine ſubactum recipit, vſum, cui adhibetur, in fronte indicans.

Vnguentum ad ſcabiem (LE MORT l. m. c.) ex argento viuo cum quatuor olei laurini et triginta duabus axungiae porcinae partibus ſubacto duabus ſulphuris, dimidia aluminis, et nitri parte temperato et oleo ſpicae condito paratum, articulis, praeſertim carpis, fricando inungendum.

Vnguentum antipſoricum cum mercurio (New diſpenſatory p. 635) ex radice enulae et rumicis

acuti

acuti cum aqua et aceto, donec media humoris pars auolauerit, coctis, liquore expreſſo cum ſiſymbrio aquatico et axungia ſuilla cocto, et madore omni diſſipato denuo expreſſo, cum cera lutea et oleo laurino; tandem cum argento viuo antea cum terebinthina ſubacto, permiſto paratum, ſimpliciori vnguento in ſananda ſcabie nequaquam efficacius.

Vnguentum antiſiphyliticum (BLEGNY obſervat. de lue venerea c. 3. adiect. zodiaco medico Gallico. Genev. 4. T. I. 1679.) ex vnguento roſato cum $\frac{1}{6}$ argenti viui, $\frac{1}{12}$ terebinthinae, $\frac{1}{24}$ olei laurini et $\frac{1}{96}$ croci compoſitum, ad ſaliuae in venereis excitandum profluuium ab auctore adhibitum.

Vnguentum caeruleum fortius (New diſpenſatory p. 637) ex mercurio cum duabus axungiae ſuillae partibus et $\frac{1}{32}$ balſami ſulphuris ſubacto confectum, malo venereo ſanando potiſſimum adhibitum, caeſii coloris, mercurio magis ferax, quam reliqua. In ſcabie noxium compertum ab ELLERO (*vollſtändige Chirurgie*. Berlin. 1763. p. 499).

Vnguentum caeruleum mitius (New diſpenſatory p. 637) coloris laetioris mercurium cum $\frac{1}{16}$ terebinthinae et quatuor axungiae partibus ſubactum recipit, eidem ſcopo dicatum.

Vnguentum contra vermes a Cl. DEKKERS denominatum (FRAUNDORFFER l. c. p. 337. 338.) praeter fel taurinum oleum amygdalarum amararum et vnguenta quaedam magis compoſita mercurii quoque pauxillum continet, quod vtique ad enecandos vermes, quo conſilio abdomini illinitur, facere aliquid poteſt.

Vnguentum enulatum cum mercurio (Pharmacop. Leidenſ. Edit. vlt. Lugd Batav. 1732. 8. p. 106) praeter radicem enulae axungiam porcinam, oleum vetus et ſal commune argentum viuum ($\frac{2}{35}$) quoque cum aequali terebinthinae lotae portione ſubactum recipit, in ſananda ſcabie praeprimis celebratum.

Vnguentum enulatum ſiue contra ſcabiem pharmacopoeae Haganae cum mercurio (JÜNGKEN corp. pharmacent. p. 676. b.) praeter radicem enulae, hellebori nigri et zingiberis, ceram, axungiam porcinam et oleum vetus, ſulphur quoque cum ſucco pomorum limoniorum tritum et quintam hydrargyri partem cum aequali terebinthinae portione permiſtam continet, ſcabiei ſanandae potiſſimum inſeruiens, praecedente tamen facilius ſaliuae fluxum excitans.

Vnguentum mercuriale (New diſpenſatory p. 639. Pharmacop. ſuec. p. 120. GIRTANNER l. c. I. p. 445) omnino tanto melius, quanto ſimplicius, ex mera axungia ſuilla leni igne colliquefacta, et, dum iterum ſpiſſeſcit, cum dimidia aut aequali portione, duabus tribusue partibus argenti viui, donec omnes eius globuli diſparuerint, contrita conflatum; addunt, alii (New diſpenſatory l. m. c. Pharmacop. Edinburg. pag. 127. Pharmacop. roſſic. Petropol. 1778. 4. p. 135), vt pauliſper durius fiat vnguentum, quartam ratione axungiae ſeui ouilli partem, alii (J. LIND Medical journal. Vol. VIII. P. 1. art. 4.) pauxillum cerae, alii, vt ſaliuationem auertant (DESPATUREAUX l. c.), camphoram, alii (B. ALBINUS de ſaliuatione mercuriali §. 24.) mercurium

(vncias

(vncias ſex) cum axungia ſuilla (ſeſquiuncia) et aequali anatinae et caninae portione, oleo oliuarum vetuſto (vnciis quatuor) et aequali olei iuniperi portione ſubigunt, alii (idem l. m. c.) theriacam, mithridatium, alii puluerem atque oleum ireos florentinae, oleum florum cheiri, vulpinum, et lumbricorum, hermodactylos, et gummi euphorbium, alii oleum ſpicae, petroleum, ſtyracem calamitam et liquidam, alii ſuccum rutae, ebuli et ſaluiae inſpiſſatum, alii oleum laterum et hypericonis cum ſuccis fumariae, bryoniae et rumicis acuti coctum, myrrham, ceruſſam et cineres vitis, alii viride aeris adiiciunt. Loco axungiae butyrum recipit H. MERCURIALIS (medicin. practic. oper. P. DE SPINA edit. Francof. 1602. fol. tract. de morbo gallico), alii (H. FABRICIUS ab *Aquapendente* medicin. practic. edit. a P. BOURDELOT. Pariſ. 1634. 4. l. 3. c. 35.) oleum oliuarum vetuſtum (vncias quatuor) cum radice altheae (vnciis duabus), et aequali radicis lilii albi, et ſerpentariae portione coquunt, coctum exprimunt, cum oleo nardino (duabus vnciis), et aequali olei maſtichini et laurini portione permiſcent, et additis adhuc thure (vncia media), et aequali maſtichis, myrrhae et lithargyrii portione cum ſex vnciis vnguenti a B. ALBINO (l. c.) imperati confundunt; alii (F. PLATER praxeos medicae oper. Baſil. 1602. 4. tr. 3. p. 442) mercurium cum ſex partibus vnguenti de althaea, vel neruini, vel Agrippae, vel enulati ſubigi iubent; alii (MAETS apud LE MORT Collectanea chymica Leidenſia Maetſiana et Marcgrauiana. Leid. 1696. 4. p. 110. 111.) mercurium (ſeſquiunciam) cum ſaliua exſtinctum

 oleo

oleo laurino (vnciis duabus) et cerae (vnciae mediae), aut (vnciam vnam ad tres) oleo laurino (vnciae mediae), axungiae parcinae non ſalitae (vnciis duabus), cerae (drachmis tribus), ſtyracis liquidae (ſcrupulo) et floribus ſulphuris (ſcrupulo), aut additis ſub finem adhuc rubia tinctorum (drachma duabus), croco (drachma), cinnamomo (drachma), moſcho (granis quatuor) et ambra griſea (granis quatuor) argentum viuum (vncias tres) cum aequali portione terebinthinae venetae et axungiae porcinae ſubactum, oleo liliorum alborum (ſeſquiunciae), et olei laurini ac rutae aequali portioni intermiſcent.

Vnguentum mercuriale ſimplex (J. J. PLENCK methodus noua et facilis argentum viuum aegris venerea labe infectis exhibendi. Vindob. 1766. 8. p. 69) ex mercurio cum aequali portione gummi arabici addita ſubinde aqua terendo in mucilaginis ſpeciem conuerſo, et cum dupla vnguenti nutriti portione ſubacto conflatum, tophis, teſticulis tumidis, addito balſamo vlceribus quoque ſanandis, additis camphora et ſapone nigro diſcutiendis tumoribus induratis vtile, pruritum quoque ex acrimonia venerea natum tollens.

Vnguentum mercuriale terebinthinatum (GIRTANNER l. c. I. pag. 446) ſubigendo mercurium (vnciam) cum terebinthina (drachmis duabus), donec omnes globuli euanuerint, et cum vnguento ſimplici (drachmis quatuordecim) permiſcendo confectum, perinde ac alia eiusmodi vnguenta, quae mercurius ingreditur, eo quod facilius ille terebinthinae nubit, quam pinguedini, paratu facilius, et dura-

durabilius, at delicatulis valde moleſtum, quoniam cuti eorum illitum pruritum, imo ruborem, leuem cutis inflammationem, dolores creat, parum vtique diſtans ab vnguento neapolitano.

Vnguentum mundificans STAHLII (Pharmacop. Wirtemberg. II. p. 226. 227) mundandae et liberandae ab efflorefcentiis cuti, cui eo conſilio, vel etiam articulis brachiorum et manuum inungitur, a STAHLIO deſtinatum, ex colliquato cum plumbo, contrito cum terra tripolitana et commixto cum vnguento albo camphorato mercurio conflatum.

Vnguentum neapolitanum (Pharmacop. Wirtemb. II. p. 227. Pharmac. rational. p. 354) terendo mercurium (vncias quatuor), donec omnis exſtinctus ſit, cum terebinthina (ſeſquiuncia), et permiſcendo cum axungia porcina lota (vnciis decem), addendo ſub finem vel oleum oliuarum, vel grati odoris ergo oleum ſpicae (drachmam) paratur, ad ſanandam luem neapolitanam celeberrimum, J. DE VIGO iam vſitatum. Parum diſcrepat vnguentum a Cl. MELLIN (l. c. p. 129) praeſcriptum, qui mercurium primo parciſſima terebinthinae portione exſtingui, et tum demum cum duabus axungiae porcinae partibus miſceri iubet.

Vnguentum pediculorum (Pharmacop. Wirtemberg. II. p. 128) praeter ſemina ſtaphidis agriae, radicem veratri albi, ſaponem venetum, oleum laurinum, et pinguedinem porcinam argentum viuum ($\frac{2}{63}$) terebinthinae media portione exſtinguendum recipit, moleſtis illis inſectis fugandis vtique par.

Vnguentum pediculorum Mynſichti (JÜNGKEN l. c. p. 674. b.) amplius adhuc compoſitum ſimiliter haud exiguam argenti viui ſaliua ieiuni exſtinctam portionem recipit.

Vnguentum veterinariorum (BALDINGER hiſtor. mercurii et mercurialium medica. P. II. Goetting. 1781. 4. p. 7) ex hydrargyro et oleo baccarum lauri conflatum, veterinariis ad vaccarum fugandos pediculos et ſanandam ſcabiem vſitatum.

II. *Cerata atque emplaſtra mercurialia.*

JO. DE VIGO et ANGEL. BOLOGNINO (l. de vnguentis ad libr. de cura vlcerum exteriorum. Bonon. 1514. c. 6.) iam vſitata, et, quamuis tardius, diuturno tamen vſu, inuito quoque interdum medico auctam praeter naturam ſaliuae excretionem (van SWIETEN l. c. V. p. 496) excitantia, eodem a nonnullis, v. gr. J. DE VIGO (l. c.), L. GUYON (le miroir de la beauté et ſanté corporelle, conténant toutes les difformités et maladies, tant internes, qu' externes, qui peuvent ſurvenir au corps humain. Lyon. 1615. 8. Vol. 2.), A. WEICKHARD (Colerus rediuiuus ſ. Theſaurus pharmaceuticus Galenicochymicus, ex optimis auctoribus congeſtus. Francof. 1626. fol.) conſilio, quo vnguenta, ad debellandam ſcilicet luem veneream applicata, eoque fine ſuper alutam extenſa, articulis, artibus, totique, ſi ventrem, thoracem et caput exceperis, corpori, donec prima apparerent ſaliuae largius profluxurae indicia (G. VELLA conſil. de morbo gallico. Mant. 1515. 4. N. MASSA tr. de morbo gallico. Venet. 1532. TH.

RANGO-

RANGONUS de morbo galeco ſanando. Venet. 1538. D. FONTANONUS de morbis internis curandis. Lugd. 1550. A. LOBERA de las quadro enfermedades corteſanos. Toled. 1544. J. SAPORTA de lue venerea. 1600. A. DE LEON practica de morbo gallico. Valladolid. 1605. B. PERDULCIS vniuerſa medicina. Paris. 1649. T. GUILLAUMET traité de la cryſtalline. Lyon. 1611. FR. RANCHINUS traité de l'origine de la verole. Lyon. 1620. EPIPH. FERDINANDUS obſerv. Venet. 1621. J. C. SPARR diſſ. de lue venerea. Argentor. 1673. B. CHRISTINUS arcana Lazari Riverii 1676. P. GARNIER traité pratique de la verole. Leyd. 1699. J. G. RAUCH diſſ. de mercurii vſu et abuſu. Marb. Catt. 1727. et alii, praeſertim ASTRUC l. c. L. II. c. 6. p. 141) impoſita; at, quoniam preſſione atque immobilitate moleſtiam creant, ob difficulter ac ſerius reſorbtum mercurium minus certos effectus edunt, et poros obſtruendo facilem eruptionibus atque inflammationibus cutaneis, praeſertim eryſipelati anſam praebent (DE HORNE examen &c. p. 3), vix cicurando atque ex corpore eliminando virus illi venereo adhibita, ſed potius malis topicis ex eodem fonte promanantibus, cutis affectibus ſuperficialibus (J. V. MÜLLER l. c. p. 208), nodis (DE HORNE l. m. c.), tophis (H. BOERHAAVE de cognoſcendis et curandis morbis aphor. 1479.), exoſtoſibus (DE HORNE l. m. c.), teſticulorum tumoribus (van SWIETEN l. c. V. p. 500), aliarum partium glanduloſarum et glandularum tumoribus, etiam non venereis (A. E. BŬCHNER et G. F. JAENSCH l. m. c.), bubonibus (DE HORNE l. m. c. van SWIETEN l. c. V. p. 496), etiam ſcrophulis (BIERCHEN

 l. c.)

l. c.) oppoſita; bubones emplaſtri vſu aliquando magis indurari, vnguento illito facilius cedere expertus eſt BALDINGER (hiſtor. mercur. medica continuata. Caſſell. 1785. 4. p. 29).

Impoſito temporibus et carpis emplaſtro mercuriali, et propinato ſimul interne mercurio delirantem cum ſanitate in gratiam rediiſſe refert N. D. FALK (treat. on the medical qualities of mercury P. III.); cariem tibiae, in qua os emollitum erat, ex cauſſa interna natam, ſimili emplaſtro tentauit R. BROWNE CHESTON (pathological inquiries and obſervations in ſurgery from the diſſections of morbid bodies, with an appendix containing twelve caſes on different ſubjects. Glocester. 1766. 4. app. art. 11. p. 141), quod tamen, cute quamuis illaeſa ventriculi dolores, ademto emplaſtro ſtatim ceſſantes, aegrotae excitauit.

Ceratum mercuriale (New diſpenſat. p. 646) mediae inter vnguentum atque emplaſtrum tenacitatis et ſpiſſitudinis, mercurium ($\frac{1}{4}$) primo cum balſamo ſulphuris, poſt cum axungia porcina et cera flaua inuicem liquatis, ſubactum recipit.

Ceratum mercuriale ſimplex (J. J. PLENCK l. m. c. p. 70) ex argento viuo cum aequali gummi arabici copia terendo addita ſubinde aqua in mucilaginis formam redacto, et cum cera liquefacta et butyro cacao permixto conflatum, in ſcrophulis venereis (IDEM l. m. c. p. 93) vtile.

Emplaſtrum ad tophos venereos non exulceratos (JÜNGKEN l. c. p. 635. a.), ab HOFFMANNO denominatum, praeter multa alia argentum viuum

($\frac{1}{18}$ vel

($\frac{1}{18}$ vel paulo minus) continet, vt igitur et huic debeatur pars virium, quas exſeruiſſe nomen inſcriptum indigitat.

Emplaſtrum cicatricem inducens (FRAUNDORFFER l. c. p. 115) ſimiliter hydrargyrum cum aequali plumbi copia confuſum et cum emplaſtro de plumbo vel diapompholygos permiſtum recipit.

Emplaſtrum commune cum mercurio (New diſpenſat. p. 629) proxime accedit, ſi mercurii potiſſimum rationem habeas, ad ceratum mercuriale, vt tamen loco cerae atque axungiae emplaſtrum commune recipiat, omuino vices ſeſquipedalis illius compoſiti a VIGO primum deſcripti egregie ſupplens.

Emplaſtrum commune cum mercurio. ſ. Emplaſtrum mercuriale (Pharmac. Edinburg. p. 131) ex mercurio (vnciis octo) cum terebinthina veneta (vnciis duabus et dimidia) ſubacto et emplaſtro communi (librae vni et dimidiae) colliquefacto intermiſto, virtute medicata parum a praecedente diſtat.

Emplaſtrum de ranis cum mercurio (Pharmacop. Wirtemb. II. p. 68) ampla compoſitio, a JO. DE VIGO primo deſcripta et adhibita, mercurio, cuius nunc octauam, nunc ſextam, nunc quartam, nunc tertiam partem recipit, ſi non omnem, tamen plurimam, quam in reſoluendis glandularum tumoribus (A. E. BÜCHNER et G. CHR. JAENSCH l. m. c.) exercet, efficaciam debens; in cereoli formam redacto vrethram nimis anguſtam feliciter dilatauit FABRICIUS HILDANUS (Oper. omn. p. 1030). Eo potiſſimum prae aliis vſi ſunt nonnulli veteres

 medici

medici ad luem veneream ipſam curandam (A. WEICKHARD l. c.).

Emplaſtrum ex ammoniaco cum mercurio (New diſpenſat. p. 629) haud multum abſimile emplaſtro communi cum mercurio, eo tantummodo cum diſcrimine, quod loco emplaſtri communis gummi ammoniacum recipit, quod additamentum reſoluentem mercurii virtutem omnino multum auget.

Emplaſtrum mercuriale (Pharmac. Wirtemberg. II. p. 65) ex mercurio cum ($\frac{2}{55}$) terebinthina et ($\frac{1}{55}$) ſtyrace liquida ſubacto, et colliquefactis inuicem emplaſtro diachylon ſimplici ($\frac{24}{55}$) et gummi ammoniaco ($\frac{12}{55}$) intermiſto paratum, praecedenti ſatis ſimile, virtute tamen reſoluente, quam nullam ab emplaſtro diachylon adipiſcitur, inferius.

Emplaſtrum mercuriale (New diſpenſatory, p. 629. Pharmacop. ſuec. p. 58), ex emplaſtro gummoſo tanquam baſi conficitur, cuius librae vni et dimidiae liquefactae hydrargyri vnciae octo cum terebinthinae venetae vncia et ſtyracis liquidae vncia vna et dimidia ſubactae agitando intermiſcentur, vt igitur reſoluendi potentia a praegreſſo vix diſcrepet.

Emplaſtrum mercuriale (Pharmac. Edinburg. pag. 131) idem cum emplaſtro communi cum mercurio.

Emplaſtrum mercuriale (Pharmac. rational. p. 127) ex mercurii vnciis tribus cum terebinthinae larignae vnciis tribus exſtincto, et cum emplaſtri communis libra vna permiſto conflatur, vt igitur non multum abludat ab emplaſtro mercuriali pharmacopoeae Edinburgicae.

Empla-

Emplaſtrum mercuriale (S. SHARP critical inquiry into the preſent ſtate of ſurgery. London. 1750. 8. p. 174 ſq.) ex argenti viui cum balſamo ſulphuris ſubacti partibus duabus, emplaſtri diachylon cum pice burgundica partibus quatuor, et antimonii crudi parte vna componitur, cereolis potiſſimum vtile, quibus conſtrictam vrethram fauſto cum ſucceſſu ſaepe dilatauit S. SHARP.

Verum enim vero memorata ſupra incommoda, quae externum medicamentorum mercurialium vſum omnino premunt, multos (e. gr. A. GALLO de ligno ſancto non permiſcendo. Pariſ. 1540. 8. D. TURNER l. c. van SWIETEN l. c. V. p. 546 ſq. J. J. GARDANE l. c. p. 105 ſq. J. J. PLENCK methodus noua et facilis argentum viuum aegris venerea labe infectis exhibendi, cui accedit hypotheſis noua de actione metalli huius in vias ſaliuales. Vindob. 1766. 8. c. 3. p. 55 ſq. et *Sammlung von Beobachtungen über einige Gegenſtände der Wundarzkunſt.* Wien. 8. P. II. 1770. art. 5. pag. 109 ſq. GIRTANNER l. c. I. p. 348. 388.) eosque magni nominis medicos, perſuaſiſſimos, ea ratione doſin mercurii corpus ingredientis curatius definiri, eiusque effectum ad arbitrium medici dirigi facilius poſſe, induxit, vt internum hunc vſum, iam J. VOCHS (l. c.) cognitum, et THEOPHR. PARACELSO conſuetum, externo praeferunt, quamuis negari non poſſit, eo facilius laedi ventriculum, aliaque profluuia excitari, aliis atque aliis in ſpaſmos deduci (DE HORNE examen &c. p. 30) digeſtionis officinam, quae mala additis aluum laxantibus alii (TH.

DE

DE MAYERNE l. c.); abſorbentibus alii, opio aut camphora alii praeuertere anniſi ſunt. Multum porro intercedit diſcriminis, quo medicamento mercuriali, et quo pacto illo vtaris; alia enim eſt efficacia mercurii agitando aut terendo cum aliis atque aliis tenacioribus aut ſiccis ſubacti, alia magis vel minus perfecte calcinati, alia aliis atque aliis particulis ſalinis alia atque alia ratione intricati atque arctiori vinculo iuncti.

III. *Pilulae mercuriales.*

Pilularum, in quibus mercurius cum aliis atque aliis continua trituratione permiſcetur, forma plurimis hydrargyri praeparati vſum internum praeferentibus apprime placuit (H. VERVEER Verhandeling over de Venus-ſmet &c. Te Rotterdam. 1774. 8.). Notandum tamen eſt, etſi hanc formam eligendo periculum illud euitetur, quod ob conſortium particularum ſalinarum a multis aliis medicinis ex hydrargyro petitis metuendum eſt, vix adeo immutari mercurium, vt ſperari poſſit, fore, vt omnis ille, qui cum pilulis deglutitur, efficaciam ſuam exſerat, timendum igitur, ne minus aequabiliter agat, quamuis, quod omnino in praeparandis iſtis pilulis fieri ſemper debet, donec omnes eius globuli euanuerint, et aequabiliſſime per omnem reliquam materiam terendo diſperſus et commixtus fuerit mercurius.

Ita, vt illos taceam, qui arcanum ſibi ſeruarunt pilularum conficiendarum modum, e. gr. LOESECKE (l. c. p. 275) mercurium (partes tres) cum

felle

felle taurino vel terebinthina ſubactum, additis ſapone hiſpanico albo (partibus quatuor), gummi guaiaco (partibus quatuor) et ſulphure antimonii aurato (partibus quatuor) cum ſyrupo quodam in pilulas compactum vermibus inteſtinis, obſtructis viſceribus, malis morſum animalis rabidi excipientibus, et lui venereae opponit; ita anonymus quidam (*Hamburgiſches Magazin.* Hamburg und Leipz. 8. Vol. XV. 1755. p. 36-38) fluorem album et gonorrhoeam praeter alia feliciter oppugnauit ſequentibus pilulis, quarum ſingulis veſperis et mane drachmam in quindecim pilulas diſpertitam deglutiendam imperauerat; mercurium ex cinnabari reductum (vnciam vnam cum dimidia) cum terebinthina veneta (vncia dimidia) ita ſubigi iubet, vt vel armato oculo nullus amplius mercurii globulus in conſpectum prodeat, et terebinthina fuliginis in modum nigreſcat, huicque miſturae adiici rhabarbari vnciam mediam, et ſuccini praeparati drachmam vnam cum dimidia. Ita Ill. PLENCK (methodus noua et facilis &c. p. 69) argenti viui drachmam cum duabus gummi arabici drachmis, addita ſubinde aqua terendo in mucilaginis ſpeciem conuerſam cum drachma extracti conii et puluere radicis glycyrrhizae in pilulas compingi iubet, quarum (ſingulae grana duo pondere aequant) mane et veſpere ſex recipi iubet. Cl. N. J. PALLUCCI (continuazione del ſaggio di nuove oſſervazioni e ſcoperte &c. Firenz. 1770. 8. p. 143) ex mercurii, ſaponis alicantici et micae panis portione aequali adſperſa ſubinde aqua vel ſyrupo capillorum veneris, ita inter ſe miſtis, vt mercurius oculum fugiat,

fugiat, pilulas granorum trium vel quatuor confici, et bis vel quater de die vnam earum deglutiri ſuadet, ſimul fidem faciens, centum quoque eiusmodi pilulas pedetentim ſumtas nullum ſaliuae excitaſſe profluuium. Cl. PAISLY (journal de medecine, chirurgie, pharmacie &c. T. LXXXV. Octob. 1790.), perinde ac Cl. WILSON (ibid.) contra dyſenteriam in India graſſatam, praegreſſo vomitoriorum vſu, egregio cum euentu, donec vrina expalleſcere inciperet, vſus eſt pilulis ſequentem in modum confectis, quarum ſingulis ternis horis aegroto vnam propinari curauit; iuſſit ſcilicet mercurii ſcrupulum cum gummi arabici in puluerem contuſi ſcrupulis duobus et paucula aqua ſubigi, et addito radicis ipecacuanhae in pollinem contritae ſcrupulo in 160 pilulas diſpeſci. JO. HAARTMANN (Kongl. Svenſk. Vetenſk. Academ. Handling. Vol. XXIX. ann. 1768. trim. 3. art. 8. pag. 276. 277.) vſus eſt egregio cum ſucceſſu ad ſananda tum luem veneream ipſam, tum eius ſymptomata varia, v. g. indurationes, pilulis puluere lycopodii conſperſis et granum vnum pondere aequantibus, ex hydrargyri drachmis ſex vel vncia, ſaponis albi hiſpanici, extracti guaiaci, et ſulphuris antimonii aurati ſingulorum vncia media et ſyrupo communi compoſitis. Alii (v. GIRTANNER l. c. I. p. 358. 448.) ex argenti viui vncia cum terebinthinae vncia vna et dimidia, additis, ſi opus ſit, aliquot olei terebinthinae guttis, aequabiliſſime ſubacta 80 pilulas (*Mercurius terebinthinatus* GIRTANNER l. c. I. p. 351) puluere radicis glycyrrhizae conſpergendas confici, earumque mane et veſperi vnam vel duas ſumi iubent.

Pilulae

Pilulae aethiopicae (Pharmac. Edinb. p. 117), *Mercurius mellitus* (GIRTANNER l. c. I. p. 351), ex argento viuo (drachmis ſex) primo cum melle optimo (vncia media), donec omnes globuli euanuerint, ſubacto, et cum ſulphure antimonii aurato (vncia media), gummi guaiaco (vncia media) aequabiliter commixto, et cum mucilagine gummi arabici in pilulas (240, quarum duae aut quatuor mane et veſpera aegrotis propinantur) redacto parantur. Inter palmarias ex mercurio praeparatas medicinas, iudice Ill. GIRTANNER (l. c. I. p. 359. 449. III. p 685.) referendae, in ſanandis morbis cutaneis, iis quoque, qui neutiquam a labe venerea proficiſcuntur, eximiae efficaciae, aluum non aeque tentantes, ac pilulae a PLUMMERO denominatae, quas etiam virtute ſua vincere perhibet (l. m. c. I. p. 359) Ill. GIRTANNER.

Pilulae aethiopicae (New diſpenſat. p. 573) parantur, mercurium (drachmas ſex) cum reſina guaiaci et ſapone hiſpanico ſubigendo, et, quando omnes mercurii globuli euanuerunt, cum ſulphure antimonii aurato (ſingulorum horum vncia media) et ſyrupo communi in pilulas redigendo.

Pilulae Barbaroſſae, ab inclyto eius nominis rei maritimae apud Turcas praefecto, et poſt initium ſeculi decimi ſexti Algerii imperante, qui conficiendi eas modum Francorum regi Franciſco I. patefecit, nomen ſortitae, medicis diu vſitatae, et a M. A. BLONDO (tract. de origine morbi gallici, deque ligni indici ancipiti proprietate. Venet. 1542. 8.), GUIL. RONDELETIO (de morbo italico tr. apud

apud LUISINUM), J. WYER (*Arzneybuch von etlichen bis anher unbekannten und unbeſchriebenen Krankheiten.* Frankfurt am Mayn. 1580. 8.) et aliis collaudatae, ſemen ciceris magnitudine aequantes ex argenti viui vnciis viginti quinque, rhabarbari electi drachmis decem, diacrydii drachmis tribus, farinae frumenti drachmis duabus, moſchi et ambrae ſingulorum drachma vna, et ſucco pomorum limoniorum parantur (P. DE BAYRO de medendis corporis humani malis encheiridion vulgo vademecum. Leid. 1578. 8. cap. de doloribus capitis ex morbo gallico genitis).

Pilulae Belloſtii ab inuentore AUG. BELLOSTE (Suite du Chirurgien de l'hoſpital, contenant différents traités. à Paris. 1724. 12.) eiusque filio M. A. BELLOSTE (traite du mercure avec une inſtruction ſur le bon uſage des pillules de M. BELLOSTE. Paris. 1756. 12. et diſſertation de Mr. BELLOSTE ſur ſes pillules mercurielles. 12.) plurimum praedicatae, verum quod conficiendi illas rationem ſpectat, arcanae habitae, parum a praegredientibus diſtant, violentius tamen efficaces, vt grauiſſima damna earum vſum ſecuta eſſe referat D. CIRILLO (oſſervazioni pratiche interno alla lue venerea. Napoli. 1783. 8. P. II. p. 124); conflantur vero (Ill. GIRTANNER l. c. II. p. 367) ex argento viuo (vncia), ſaccharo (drachmis duabus), diacrydio et ialapa (vtriusque vncia), et vino albo, ita vt fiant pilulae granorum quatuor, quarum quatuor ad octo ſimul exhibentur.

Pilulae ex mercurio gummoſo (J. J. PLENCK *Sammlung* &c. II. art. 5.) ex argento viuo puriſſimo

cum

cum amyli partibus tribus et mucilagine gummi arabici ſubacto et in pilulas formato, quae ſingulae granum vnum mercurii continent, et binae quotidie propinantur, paratae, aut (quae ſingulae grana tria pondere aequant, ex mercurio (drachma vna), gummi arabico in puluerem contuſo (drachmis tribus) et ſyrupo cichorei cum rheo ita permiſto, vt mercurii conſpici nihil amplius queat, tum demum cum mica panis albiſſima (vncia media) in pilulas redacta, quarum ſex mane et veſperi aegroto praebentur, PLENCKIO multum depraedicatae, at, niſi recentes, parum vtiles, eo quod paucorum dierum interuallo indurantur, et tum ſaepius haud diſſolutae, aluo iterum egrediuntur (MOENCH *ſyſtematiſche Lehre von Arzneymitteln.* Marburg. 8. 3te Aufl. 1795. p. 222), et, ſi aqua diſſoluas, vel cum lacte coquas, plurimam mercurii partem in fundum dimittunt.

Pilulae mercuriales (Pharmac. Edinb. p. 119. 120.), *Pilulae mercuriales mellitae* (HECKER *deutliche Anweiſung* &c.), *Mercurius mellitus* (GIRTANNER l. c. I. p. 351), terendo hydrargyrum (vnciam vnam), addito, ſi opus ſit, parca manu ſyrupo, cum mellis aequali portione, donec nihil amplius mercurii appareat, et cum mica panis (vnciis duabus) in pilulas (480) redigendo, quarum quotidie binas ad ſex vsque deglutiat aeger, paratae. Leniſſimis medicamentis mercurialibus internis accenſet (l. m. c.) Cl. HECKER.

Pilulae mercuriales (New diſpenſat. p. 572) ex mercurio cum reſinae guaiaci et ſaponis hiſpanici

aequali copia, addito ſyrupo, vel (drachmis quinque) cum terebinthina argentoratenſi (drachmis duabus), extracto cathartico (ſcrupulis quatuor) et rhabarbaro (drachma), vel (ibid. p. 573) primo (drachma dimidia) cum terebinthina veneta, tum cum duro guaiaci extracto (drachma vna cum dimidia), et oleo ſaſſafras (guttis viginti), aequabiliter permiſto et in hanc formam redacto, natae.

Pilulae mercuriales (Pharmacop. pauperum in vſum noſocomii regii Edinburgenſis. Edinburg. 1759. 8. p. 34), diuerſae vtique a mox praecedentibus, ex mercurio (vncia vna) cum melle perfectiſſime ſubacto, et cum gummi ammoniaco (vncia vna) et ſapone hiſpanico (vncia vna) commixto componuntur.

Pilulae mercuriales laxantes (New diſpenſat. p. 572) conficiuntur, hydrargyrum (vnciam) cum reſina guaiaci, extracto hellebori nigri, rhabarbaro (ſingulorum vncia media) et ſyrupo communi in pilulas redigendo.

Pilulae mercuriales laxantes (Pharmacop. pauper. Edinb. p. 35) ſimiliter ex argento viuo cum melle ſubacto et ſapone hiſpanico conflantur, addita tamen loco gummi ammoniaci maſſa pilularum ecphracticarum purgantium, et aucta mercurii (ad vnciam vnam et dimidiam) ratione.

Ad has pilulas quam proxime accedunt ea medicamina, quae ſimiliter ſubigendo argentum viuum cum aliis atque aliis aut tenacioribus aut ſiccis parantur, alia tamen, quam pilularum facie conſpicua, rarius hydrargyrum ita diuiſum in ſe conti-

continentia, vt non, ſi diu aſſeruata fuerint, aut in ventriculum deuenerint, in maiores globulos confluere, nullo effectu edito per inteſtina ruere, et per aluum euadere poſſit.

IV. *Medicamenta mercurialia interna, terendo hydrargyrum cum aliis parata, aliam, quam pilularum formam prae ſe ferentia.*

Aethiops antiphthiſicus (ASTRUC l. c. p. 455), mercurius cum balſamo peruuiano ſicco (*Aethiops peruuianus*), aut cum balſamo canadenſi, aut cum balſamo Copaiua ſubactus, a quo in morbo, cuius titulum in fronte gerit, vix aliquid bonae frugis exſpectes, in plurimis potius phthiſeos ſpeciebus et ſtadiis ancipitis valde vſus.

Aethiops antirheumaticus, *Aethiops antiſcorbuticus* (ASTRUC l. m. c.) hydrargyrum cum gummi guaiaco terendo aequabiliter permiſtum, a quo in rheumatiſmo et arthritide, ea praeſertim, quae cum labe venerea complicatur, aut ab illa originem ducit, multum ſperes, in ſcorbuto, qui mercurium aegre ferre videtur, potius metuas.

Aethiops purgans (ASTRUC l. m. c.), ex argento viuo cum manna calabrina vel reſina ialapae in puluerem aequabilem conuerſo natus, ſcopo aluum mouendi aut vermes inteſtinos necandi aliquando adhibitus.

Aethiops diureticus (ASTRUC l. m. c.), ex hydrargyro cum gummi iuniperi vel ſale ammoniaco terendo exactiſſime mixto natus, potiores vires,

quas tum in tranſpirationem inſenſibilem, tum in lotii excretionem exercet, a commemoratis modo additamentis deriuat.

Bolus ad necandos pellendosque lumbricos Zapatae (FRAUNDORFFER l. c. p. 62) ex mercurii ſcrupulo dimidio vel integro cum ſaccharo, pauca aqua addita in mellis ſpiſſitudinem redacto, et, inſtillatis aliquot olei amygdalarum guttis cum conſerua roſarum ſubacto, natus, vſus rationem in fronte indicat.

Bolus caeruleus (GIRTANNER l. c. I. p. 359. 449), paratus ex argenti viui granis decem cum ſcrupulo conſeruae roſarum tam diu contritis, donec omnes mercurii globuli euanuerint, hodie vix vſitatus.

Trochiſci mercuriales (GIRTANNER l. c. I. p. 359. 448.) ex mercurio viuo et ſacchari candi dupla portione ſecundum artis leges fabrefacti, ſinguli drachmae dimidiae pondere, grata infantibus a vermibus infeſtatis medicina.

Mercurius ſaccharatus (New diſpenſatory p. 508), *Aethiops ſaccharatus* (LOESECKE l. c. p. 277), ex mercurio cum aequali portione ſacchari candi rubri in aequabilem pollinem ſubacto paratus, qui pollen, ſi ſicca forma ſex circiter granorum pondere ſumatur, non contemnendum in vermibus, qui infantum inteſtina vellicant, debellandis, et in ipſis ſymptomatibus venereis ſanandis praebet medicamentum; puluere duplam ſacchari portionem recipiente (*Puluis hydrargyri ſaccharatus*) per ſex continuas hebdomades bis quotidie ad ſcrupulum dimi-

dimidium propinato, luem ipſam ſanatam fuiſſe teſtis eſt COLLINGWOOD (ap. DUNCAN medical commentaries for 1791. n. 5.); quamcunque tamen ſacchari rationem ſequaris, facillime, ſi cum fluidis permiſcetur, a ſaccharo ſecedit intertritum hydrargyrum, quem quidem ſeceſſum inſtillatis aliquot (vnciae mercurii 32) olei baccarum iuniperi guttis praeuerti ſibi perſuaſerunt Londinenſes (New diſpenſat. l. m. c.) medici. Puluere ex mercurio cum tribus ſacchari canarienſis partibus ſubacto, radice valerianae, et floribus liliorum conuallium compoſito in nares attracto bis caecitatem ex obſtructis ſinubus frontalibus ortam ſuſtulit Cel. SCHMUCKER (*vermiſchte chirurg. Schriften.* Berlin und Stettin. 8. Vol. II. 1779.), hydropem oculi alius medicus (*Götting. Anz. von gel. Sachen.* 1780. p. 380).

Mercurius gummoſus (J. J. PLENCK methodus noua et facilis &c.) ex mercurio cum ſeſquialtera aut dupla gummi arabici portione, addita inter terendum aqua ſyrupo edulcata, tam diu contrito, donec, euaneſcentibus omnibus globulis, in mucilaginis griſeae ſpeciem abeat, praeparatur, omnis vtique acrimoniae expers, interno vſu tutior, quam multa alia ex argento viuo confecta medicamina, vt etiam infantibus, grauidis, debilibus propinari poſſit, ventriculum non laedens, certe minus infeſtus (J. QUARIN animaduerſiones practicae in diuerſos morbos. Vienn. 1786. 8.), mobilitate ſua orbatus facilius vaſa ſubit, muco intercedente cum humoribus miſcetur, ideo in lue venerea a J. J. PLENCK (l. m. c. p. 22-47. et *Sammlung* &c. P. II.),

MEDERER et ZEERSEN (apud eundem methodus &c. p. 46. 47.), P. J. HARTMANN et CHR. J. SOMMER (diſſ. curation. nonnull. ad liquoris mercurialis vſum ſpectantes. Francof. ad Viadr. 1769.), ab J. L. ODHELIO (Kongl. Svenſk. Vetenſk. Acad. Handling. Vol. XXXI. ad ann. 1770. trin. 4. art. 4. p. 292-314.) a KAEMPFIO (act philoſophico-medic. ſociet. academ. ſcientiar. princip. Haſſiae. Gieſſ. Cattor. 4. Vol. I. 1771. art. 23.), J. CLARK (obſervations on the diſeaſes in long voyages to hot countries, and particularly on thoſe, which prevail in the Eaſt-Indies. London. 1773. 8.), Ill. THEDEN (*Unterricht für die Unterwundärzte bey Armeen.* Berlin. 1774. 8. P. II.), J. L. L. (a chemico-medical diſſertation on mercury, on its various preparations and mode of operating. London. 1774. 8.), ab J. G. ESSICH (*Praktiſche Anweiſung zur gründlichen Cur aller nur möglichen Gattungen veneriſcher Krankheiten für angehende Stadt- und Feldwundärzte &c.* Augsburg. 1787. 8.), infantum praeſertim, ab J. J. GARDANE (détail de la nouvelle direction du bureau des nourrices de Paris. Paris. 1775. 8.), medicanda, in aliis morbis a labe venerea natales ducentibus, aut a lue venerea reſiduis, v. gr. epilepſia a KAEMPF (l. m. c.), morbo articulari ex hoc fonte orto a L. D. HERZOG (diſſ. de morbo articulari ſpeciatim venereo, praeſertim de arthritica quadam feliciter ſanata. Helmſt. 1768. 4.), in rhachitide, ab HARTMANN et SOMMER (l. c. p. 37), aliisque ſanguinis deprauationibus a KAEMPF (l. m. c.), in morbis inflammatoriis et dyſenteria a J. LIND (medical Journal Vol VIII. 1787. P. I. art. 4.), in glandulis meſenterii obſtructis ab HART-

MANN

MANN et SOMMER (l. m. c.), a J. CHR. GUIL. MÜLLER (diſſ. de viribus ac vſu mercurialium. Ien. 1775. 4. p. 27), in atrophia exinde nata ab eodem (l. m c.), in fungo articulorum a CARTHEUSER (apud HARTMANN et SOMMER l. c. p. 38), teſte SOMMER (l. m. c.) in cancro labii ſuperioris aperto ſanandis, in veneno ſerpentum debellando a J. N. LAURENTI (Specimen medicum exhibens ſynopſin reptilium emendatum, cum experimentis circa venena et antidota reptilium auſtriacorum. Vienn. 1768. 8 p. 198), et in aſcaridibus lumbricoidibus, inteſtina obſidentibus necandis a P. J. HARTMANN (progr. de liquoris mercurialis Plenkiani virtute anthelmintica. Francof. ad Viadr. 1770.) et J. CHR GUIL. MÜLLER (l. m. c.) eximio cum fructu adhibitus.

Alio tamen atque alio modo paratus fuit hic mercurius gummoſus; ipſe inuentor principio fluidam formam aliis praetulit, v. gr. (*Solutio mercurialis ſimplex*, *Solutio mercurii gummoſa*) mercurii viui drachmam cum gummi arabici drachmis duabus in mortario lapideo, adfuſo ſubinde aquae fumariae cochleari dimidio tamdiu teri, donec omnes globuli euaneſcant, durante hoc labore ſenſim ſyrupi kermeſini vnciam mediam, et aquae fumariae vncias octo intermiſceri, aut paratum hoc pharmacum adhuc cum alio ex balſami copaiuae et gummi arabici ſingulorum drachma dimidia, ſyrupi kermeſini drachmis duabus, et aquae fumariae vnciis duabus compoſito permiſceri (*Solutio mercurialis balſamica*, *Liquor mercurialis* PLENCKII), et vtriusuis miſturae mane et veſpere cochlearia duo (metallica

 euitando)

euitando) aegrotis propinari iuſſit; ſerius tamen maluit prius medicamen ex mercurii drachma et gummi arabici drachmis tribus, addito inter terendum ſyrupo cichorei cum rheo, et aquae roſarum vnciis duodecim confici, mel et gummi tragacanthae in vices arabici ſubſtituit Cl. W. SAUNDERS (a new and eaſy method of giving mercury by J. Plenck, translated from the latin. London. 8. Ed. III. 1772.); Berolinenſes medici (HERZOG l. c. p. 48) mercurii drachmas duas cum gummi arabici vncia integra teri, et aquae roſarum vncias ſedecim admiſceri iubent; P. J. HARTMANN (cautiones nonnullae &c. p. 23) eandem mercurii et gummi rationem ſequendo vtrumque primo in mortario vitreo, tum addito ſubinde denuo gummi ſuper lapidem porphyrium teri, tum parca manu ſyrupum, tandem aquae ſuaueolentis vncias duodecim et ſyrupi cuiusdam vnciam mediam addi, et, ſi ſedimentum ſubcinereum ponderoſius videatur, hoc, liquore decantato, denuo cum gummi arabico et adſperſa aqua teri, duabus tribusue aquae vnciis temperari, et cum liquore defuſo permiſceri denuo ſuadet: loco argenti viui mercurium ſaccharatum cum gummi permiſceri iubet BLOCH (*mediciniſche Bemerkungen* &c. p. 172), Cl. LAURENTI (l. c.) pro vna doſi argenti viui drachmam cum gummi arabici drachmis duabus ſubigi, aquae fontanae vncias tres adfundi, et extracti gentianae ſcrupulos duos ſaccharique albi drachmas duas ſolui in eo liquore imperat. Potentiam eius acuendi cauſſa ROSENSTEIN (l. c.) et GARDANE (recherches pratiques &c. p. 251) mercurium ſublimatum corroſiuum album

adiici;

adiici; et poſterior quidem libram ſolutionis mercurialis ſimplicis aquae purae vnciis octo quatuor mercurii corroſiui ſublimati albi grana diſſoluta in ſe continentibus temperari iubet.

Infantibus gratiorem ſyrupi (*Syrupus mercurialis*) formam parat Ill. PLENCK (method. noua et facilis &c. p. 68. 69.), cuius mane et veſpere cochlear paruum propinari praecipit, mercurii ſcilicet drachmam dimidiam cum ſeſquialtera drachma gummi arabici et pauca aqua ſubactam cum ſyrupi violarum vnciis duabus et aquae florum ſambuci vncia vna permiſcendo, aut argenti viui ſcrupulum cum gummi arabici ſcrupulis tribus et conſerua cynosbati ſubigendo et cum ſyrupi ſimplicis vncia vna et dimidia commiſcendo.

At contra huius cum mucilagine combinati argenti viui vſum multa etiam oppoſita ſunt; laboris, quem eius praeparatio requirit, difficultatem (HEYER *neues Magazin für Aerzte.* Leipz. 8. Vol. IX. P. 6. p. 564), vt patientiam pharmacopoei non raro ſuperet, metuas; paulo diutius aſſeruatum medicamen mercurii plurimam partem ſedimenti griſei ſpecie in fundum dimittere (J. FR. HENKEL *neue mediciniſche und chirurgiſche Anmerkungen.* Berlin. 8. Zweyte Sammlung. 1772) et (L. E. HIRSCHEL *Beyträge zu ſeinen Betrachtungen über den innerlichen Gebrauch des Sublimats und Schierlings.* Berlin. 1768. 8.), eo quod non ſolutus, ſed ſuſpenſus tantummodo in liquore viſcido tenetur, tardius vtique, ſi loco gummi arabici gummi tragacanthae recipiatur, inaequalem igitur non poſſe non eſſe eius effectum,

 multum

multum quidem cum eo mercurii corpus ingredi; verum maximam eius partem, nullo effectu praeſtito, aluo iterum egredi (GIRTANNER l. c. I. p. 358), lentius operari experti referunt (l. m. c.) GARDANE et CEZAN (manuel antiſyphillitique ou eſſai ſur les maladies veneriennes. à Londres et Paris. 1774. 8.) et debilius, vt leniori modo malo (GARDANE l. m. c.), gonorrhoeae quibusdam ſpeciebus, grauidis atque infantibus ſufficiat (CÉZAN l. m. c.); nihil penitus efficere in oſſium carie, eorumque perinde ac glandularum tumoribus (CÉZAN l. m. c.), contra luem veneream vtplurimum nihil praeſtare (J. FR. HENKEL l. m. c.), vrethrae quoque iniectum, quod quidem auxilium ad gonorrhoeam veneream ſanandam propoſuerat GUIL. ROWLEY (eſſay on the cure of the gonorrhoea or freſh contracted venereal infection, without the uſe of internal medecines. London. 1771.), contra virus venereum nihil valere (S. F. SIMMONS obſervations on the cure of gonorrhoea and ſome other effects of the venereal virus. Lond. 1780. 8.), nihil (P. J. HARTMANN et SOMMER l. c. p. 38) in ſpina ventoſa, ſaliuae tamen profluuium, quod nunquam cieri aſſeuerauerat et inter praerogatiuas eius retulerat Ill. PLENCK (methodus noua &c. p. 54) crebro, interdum ſatis cito, eius vſu excitari N. MUNNIKS (diſſ. de lue venerea eiusque praecipuis auxiliis, inter quae Ill. SWIETENII et Cl. PLENKII remedia potiſſimum examinantur. Lugd. Bat. 1769.), SAUNDERS (l. m. c.), M. E. BLOCH (*mediciniſche Bemerkungen* p. 171), ne ipſis quidem iſtius remedii patronis HERZOG (l. c.), ODHELIO (l. c.), P. J. HARTMANN et SOMMER (l. c. p. 37), inficias

inficias euntibus, alii v. g. HENKEL (l. c.) alui, alii v. g. CÉZAN (l. c.) ſanguinis profluuia et articulorum dolores eo vſu procreari teſtantur, inutilem pronunciant medicinam AD. MURRAY et P. DUBBS (nonnulla circa methodum luis venereae curandae p. 24).

Medicamentum Geruaſii (J. J. GARDANE recherches pratiques &c. p. 251 ſq.) non eſt, niſi argentum viuum, eo momento, quo exhibetur, in cochleari cum ſyrupo quodam ſubactum.

Arcanum Nicole (Lettre ſur un remede antivénérien, dans le quel il n'entre point de mercure. Paris. 1766. 12.), quamuis eius inuentor et venditor nihil continere argenti viui aſſerat, mercurium tamen ſublimatum corroſiuum album recipere demonſtrare anniſus eſt MARGES (examen et analyſe chymique des différens remedes, que M. NICOLE met en uſage pour le traitement des maladies veneriennes &c. Paris. 1771. 12.), ex mercurio cum paſta farinacea ſubacto et in panes conformato conflari innuit (l. m. c.) GARDANE.

Mercurius alcalizatus (New diſpenſ. p. 508), *Mercurius alcaliſatus* (Pharmac. rational. p. 206), *Aethiops alcaliſatus*, *Aethiops abſorbens* (ASTRUC l. m. c. p. 455), a J. BURTONO (treatiſe on non naturals, in which the great influence, they have on human bodie, is ſet forth and accounted for. Yorck. 1738. 8.) primum memoratur, G. CHEYNEO (natural method of curing the diſeaſes of the body and the diſorders of the mind, depending of the body. London. 1742. 8.) et R. BROOKES (introduction to phyſick and ſurgery. London. 1754. 8.) proba-

probatus, ex mercurio cum lapidibus cancrorum praeparatis (dupla portione vel $\frac{5}{8}$) in puluerem aequabilem ex atro cinereum terendo conuerſo natus, multis (Pharmac. rational. p. 206. LOESECKE l. c. p. 276) a ſcrupulo dimidio ad drachmam vsque dimidiam exhibitus, ſiue ſolus, ſiue reſinae ialapae iunctus, in bubonibus, gonorrhoea, morbis cutaneis aliisque inquinamentis venereis ſolenne remedium, ad incidendam quoque lentam humorum pituitam, reſerandasque natas ex ea cauſſa viſcerum oppilationes (Pharmac. rational. l. m. c.), praedicatus, in hepatis inflammationibus, praegreſſa venaeſectione et ſalium mediorum vſu, (J. LIND eſſay on the moſt effectual means of preſerving the health of ſeamen in the royal navy and a diſſertation on fevers and infection &c. London. 1774. 8. p. 266), eximio cum fructu exhibitus, in febribus intermittentibus iugulandis ipſo cinchonae cortice interdum ſuperior (J. HUXHAM obſeruationes de aëre et morbis epidemicis ab anno 1726 ad finem 1737 Plymuthi factae. Lond. 1739. 8.), ad ſcorbutum, cui vix prodeſſe putes, medicandum adeo celebratus (DOSSIE theory and practice of chirurgical pharmacy &c. London. 1761. 8. p. 348), difficilis et taedioſae praeparationis medicina.

V. *Mercurius ſulphuratus, Sulphuretum hydrargyri, Sulfure de mercure.*

Aethiops mineralis, Aethiops mercurialis, primum memoratur a TURQUET DE MAYERNE (Syntagm. praxeos medic. ad calc.), G. BATE (diſpen-

ſator.

ſator. Londin. 1693. 8.) et a GUALTH. HARRIS (l. de morbis acutis infantum, acc. obſeruat. aliquot de morbis grauioribus, de luis venereae origine, natura et curatione. Genev. 1696. 4. pag. 136), niger, mercurius, vel (*Aethiops mineralis empyrus*) exponendo vtrumque miſtum igni, donec ſulphur ardere deſinat (T. DE MAYERNE et G. BATE ll. cc.), vel (Pharmacop. ſuec. p. 35. YV. GAUCKES prax. medico-chirurgic. rational. Groening. 1700. 8. C. 24. p. 210) cum liquato lenioris ignis vi ſulphure agitando, vel, quod melius vtique videtur cum floribus ſulphuris terendo, (*Aethiops mineralis apyrus ſ. ſine igne paratus*), donec omnes globuli euanuerint (G. HARRIS l. c.), permiſtus, nunc ex aequali vtriusque copia (New diſpenſat. p. 508. Pharmac. Edinb. p. 97. 98. Pharmac. roſſic. p. 98 N. LEMERY cours de chymie. p. 223), nunc ex duabus mercurii vnaque ſulphuris (Pharmac. ſuec. et edinb. ll. mm. cc. New diſpenſat. l. c. p. 509. J. FR. SCHROMMIUS diſſ. de aethiope minerali. Altdorf. 1725. 4. §. IX. p. 11), nunc ex tribus mercurii duabusque ſulphuris (Pharmac. Wirtemb. II. p. 4), nunc ex vna mercurii et quatuor ſulphuris partibus (J. D. CHEVALIER et L. R. P. F. THIEUILLIER l. c.), nunc ex quatuor mercurii partibus et vna ſulphuris (J. HIGGS l. c.), nunc ex duabus ſulphuris vnaque mercurii (MAYERNE et BATE ll. cc.), nunc ex tribus ſulphuris et quatuor mercurii (Diſpenſat. Boruſſo-Brandenburgic. p. 3. G. HARRIS l. c.) partibus conflatus, quae tot quoque aliorum praeſtantiorum medicaminum fuit ſors, ab aliis (TRILLER diſpenſator. vniuerſal. T. II. p. 8), rarius impetuoſae

tuoſae et nociuae potentiae, quam inertiae (BOERHAAVE element. chem. T. II. pag. 493) accuſatus, atque ex officinis medicamentariis (GIRTANNER l. c. I. p. 359) proſcriptus.

Neque ſane negari poteſt, noxas interdum ab eius vſu fuiſſe illatas, tum potiſſimum, quando ex conſilio J. D. CHEVALIER (l. c.), G. HEUERMANN (l. c. Vol. II.) et aliorum, ſiue nudus vnciae circiter pondere, ſiue poſtquam cum combuſtibilibus et flagrantibus quibusdam materiis in paſtillos, trochiſcos vel tabellas redactus erat, prunis inſperſus, ſuffitus ſpecie ab aegrotis excipiebatur, quemadmodum ſuperius relatum fuit; at interno quoque vſu haud raro effectus edere, exſpectatione medici vehementiores, experientia docuit; ſaliuae certe profluuium, quod eius vſu nunquam cieri, HARRIS (l. c. p. 137), BATE, GAUCKES, N. LEMERY (ll. cc.), SCHROMMIUS (l. c. p. 15), LOESECKE (l. c. p. 279), ſibi aliisque pollicebantur, haud raro excitaſſe SPIELMANN (inſtitut. chem. p. 216), MONRO (l. c. I. p. 247), MOENCH (l. m. c. p. 220) et alii perhibent, ſiue contingat illud vitio mixtionis iuſto minus ſollicitae et diligentis, vt mercurii globuli plures integri maneant (MONRO l. m. c.), vel rurſus ſecedant, ſiue ob acidum in primis viis haerens, mercurii partem (aggredi enim mercurium in hoc pharmaco comprehenſum certis ſub conditionibus e. gr. aquam fortem, nuperius quoque comperit Ill. HILDEBRANDT l. c. p. 294) extrahens, et a ſulphure inuoluente liberans; praemiſſo certe aluum laxantium vſu, iunctis potuum demulcentium hauſtibus, et aegris ab omnium acidorum vſu interdictis,

dictis, quas cautelas etiam LOESECKE (l. c. p. 280), iniungit, nunquam ab vſu huius pharmaci ſaliuam promanaſſe aſſeuerat Ill. BALDINGER (hiſtor. mercur. et mercurialium medic. P. III. Goetting. 4. 1781. p 7), qui etiam nullas vnquam alias noxas frequentem eius vſum ſecutas fuiſſe, teſtatur (l. m. c. p. 6.).

Perinde iniuſta videtur illorum (C. FR. HUNDERTMARK diſſ. de mercurii viui et cum ſalibus varie mixti ſumma in corpus humanum vi atque efficacitate, eiusque cum ſulphure coniuncti virtute in idem nulla. Lipſ. 1754. A. E. BÜCHNER et G. F. JAENSCH l. c. §. VI. p. 15. 16.) ſententia, qui inertem proclamant hunc aethiopem (S. P. HILSCHER progr. de aethiope minerali. Ien. 1748. 4. S. R. WINKLER de variis aethiopis medicamentoſi generibus. Erlang. 1786. NEUMANN praelection. chymic. ed. ZIMMERMANN p. 503). Sulphur certe, etiamſi humoribus noſtris non ſoluatur, in excretiones potentiam ſuam exercere ſupra oſtenſum fuit; et argentum viuum, metallico nitore et inſigni illa mobilitate priuatum non recta per inteſtinorum anfractus via decurrere, quae adhuc de mercurialibus dicenda ſunt, demonſtrabunt. Aegrotorum per longum temporis ſpatium hac medicina vtentium cimelia argentea, quae corpus contingunt, nigreſcere, aurea argenteum induere calorem notauit Ill. LEONHARDI (in edit. MACQUER *chymiſches Wörterbuch.* Leipz. 8. P. IV. 1782. p. 223).

Prima huius aethiopis virtus, eaque, quam immortalis BOERHAAVE (l. m. c.), in reliquas paulo iniquior, ſolam illi concedit, eſt, vt vermes inte-

ſtina

ſtina praecipue infantum toties occupantes, necet, iam a MAYERNIO (l. c. p. 231) et HARRIS (l. c. p. 135) praedicata, tot aliis aliorum v. gr. LOESECKE, D. MONRO, BALDINGER (ll. cc.), J. G. WALLERII (diſputat. academ. Holm. et Lipſ. 8. faſcic. I. continens phyſico-chemic. et chemico-pharmaceuticas. 1780. Sect. 2. diſp. XV. pag. 354) periculis confirmata.

Exhibetur autem eo in caſu infantibus duorum ad octo granorum, adultis dimidii imo integri ſcrupuli pondere ſemel vel bis per diem, interpoſito ſingulis v. gr. quaternis diebus pharmaco aluum ducente, modo pulueris ſpecie, ſaccharo et cinnamomo alioue aromate conditus, vel (*Morſuli contra vermes* Pharmacop. Wirtemberg. II. p. 111) cum radicis ialapae reſina fartae (drachmis tribus) aequali copia, ſeminibus cinae, et corallina officinali (ſingularum vncia media), cinnamomo (drachmis duabus) et ſaccharo albo, aqua roſarum ſoluto (vnciis ſeptem) in morſulos, vel (*Rotulae contra vermes* Pharmacop. Wirtemberg. II. p. 152) cum aequali (ſcrupulis duobus) ſeminum cinae, corallinae officinalis et cinnamomi portione, et ſaccharo albo in aqua roſarum ſoluto (vnciis quatuor) in rotulas lege artis redactus; propinantur autem rotularum, quarum ſingulae vnciae aethiopis ſcrupulum dimidium recipiunt, quotidie drachmae duae ad ſex, morſulorum vero, quarum ſingulae vnciae aethiopis ſcrupulum et ſimilem ialapae rationem tenent, infantibus, dulcia eiusmodi appetentibus, aliisque medicinis praeferentibus, drachma vna ad duas.

In

In difficilioribus etiam morbis a vermium progenie in inteſtinis nidulante originem ducentibus eximiam opem praeſtare hunc aethiopem, loquitur exemplum puellae epilepticae, exhibitis poſt purgatam ſordibus aluum ſedecim huius pharmaci praebiis a SCHULZIO (apud SCHROMMIUM l. c. p. 21. 22.) ſanatae.

Neque in hac ſola virtute vermifuga omnem conſiſtere aethiopis mineralis potentiam, ex ante dictis facile intelligas; vtraque certe materies, ex cuius connubio coaluit, inſigni iam dudum inclaruit in morbis cutaneis diuturnis ſanandis efficacia, vt igitur haud mireris, in ſcabie (JÜNGKEN lexic. pharmaceut. &c. ALLEN ſynopſ. vniuerſ. practic. medic. p. 294. LOESECKE l. c. p. 280. SCHULZE l. m. c. p. 24. BALDINGER l. m. c.), tinea capitis (LOESECKE et BALDINGER ll. mm. cc.) ſananda, tinea, infricato tamen ſimul abdomini vnguento neapolitano (FRIDRICH ap. HARTENKEIL *mediciniſch-chirurgiſche Zeitung.* Salzburg. 8. 1795. d. 7. May. p. 188), achoribus retropulſis et epilepſiam cauſſantibus (SCHULZE l. m. c.), varis faciem defoedantibus (IDEM l. m. c.) eximiam tuliſſe opem.

Sulphuris potiſſimum conſortio, materiem tranſpirationis inſenſibilis ad cutem propellentis, niti videtur fauſtus ille ſucceſſus, quem in morbis catarrhalibus, praeſertim angina eius indolis, et palpebrarum tumore ab eius vſu comperit SCHULZE (l. m. c. p. 23. §. XXIV.), et pars certe efficaciae, quam in hydrope debellando (BATE l. c.) edidiſſe fertur.

 Oculo-

Oculorum alios quoque morbos et vlcera foeda vſu huius medicaminis ſanata refert Ill. BALDINGER (l. m. c.).

Glandulas obſtructas aethiopis huius vſu reſeratas SCHULZIUS (l. m. c.) in puella vidit, eius auxilio a duro glandularum colli mentique tumore liberata; in glandularum tumoribus ſcrophuloſis commendat GOURSAND (Recueil des pieces, qui ont concouru pour le prix de l'Academie royale de chirurgie. à Paris. 4. T. III. 1759. p. 288); in morbis ſcrophuloſis, ipſa ophthalmia ſcrophuloſa, ſcirrhis vlceribusque matricis et inteſtini recti aequali nitri portione temperatum et cinnabari antimonii fucatum (audit tunc ipſi *puluis mineralis*) multum extollit GUIL. ROWLEY (ſeventy four caſes with the manner of cure and the preparation of the remedies. Lond. 1779. 8.); atrophiam toties ab obſtructis meſenterii glandulis oriundam, ſtrumas et ſcrophulas cedere huic aethiopi expertus eſt Ill. BALDINGER (l. m. c.).

Morbum, americanis indigenum, Yaws dictum, non ſanari quidem penitus, verum demulceri tamen mirifice huius medicaminis vſu teſtis eſt G. GUIL. SCHILLING (diatribe de morbo in Europa pene ignoto, quem Americani vocant Yaws. 8. Vltraj. 1770.).

Morbos cutaneos ex labe venerea propullulantes exhibito bis vel ter per hebdomadem eius ſcrupulo, vel drachma dimidia addita parca manu ialapa feliciter ſuſtulit J. G. H. KRAMER (Commerc. litterar. Noric. 1739. hebd. 38. p. 297). Fuere, qui

qui in hydrophobia eius vſum tentarunt (J. JOHNSTONE l. c. p. 296).

In ipſa denique lue venerea praeter BATE (l. c.) aliosque vſum eius cum fauſto euentu tentauit G. GAUCKES (l. c.), leniori tamen modo malo opponens; iuſſit autem ille mane et veſperi ſcrupulum vel drachmam dimidiam cum cereuiſia aegroto praeberi.

Fuere autem inter hos, qui morbum venereum ipſum aethiope oppugnabant, multi, qui pilularum formam pulueri praeferebant; natae ſunt ſic *pilulae aethiopicae* (Pharmacop. Wirtemb. II. p. 125), in quibus ille cum media portione reguli antimonii medicinalis et gummi guaiaci, et cum aequali portione extracti ſaſſaparillae ſubigebatur; harum grana duodecim ad drachmam dimidiam vsque, tum in memorato modo morbo, tum in ſcabie maligna, vlceribus ſordidis, hydrope, febre quartana exhibebantur.

Pauciores aethiopem cum pinguedine permiſtum vnguenti ſpecie in morbo venereo adhibuerunt; ita J HIGGS, MAUFLATRE et QUERENET (ll. cc.), ille, propinata interne ſimul ſerpentaria, hi, mercurio dulci.

Accedit ad hunc aethiopem medicamentum illud *hypnoticum* (*Aethiops narcoticus*), a J. C. JACOBI (Act. Acad. Caeſar. Natur. Curioſor. Vol. I. 1757. append. art. 5. p. 136), maximopere collaudatum, atque inſtillando argentum viuum (vncias duas), ſpiritu nitri fumante (vnciis quatuor) ſolutum, aquae calcis aut lixiuio alcalino ex aqua calcis (libris duabus) et cineribus clauellatis (vnciis duabus)

 cum

cum ſulphure (vnciis quatuor) cocto, et ſedimentum eluendo paratum; hoc puluere (*Puluis hypnoticus*) ſomnum induci (JACOBI l. m. c. et KRIEL Verhandelingen uitgegeeven door het hollandſch Maatſchapp. der Weetenſch. te Haarlem. D. XII. p. 31), et mixto cum decima parte pulueris nigri, terendo per tres dies continuos mercurium cum aqua acquiſiti, atque adultis ad ſcrupuli dimidii pondus propinato virus venereum deuinci ſine ſaliuae fluxu poſſe aſſeuerauit (l. m. c. art. 58. p. 228) J. C. JACOBI.

Propius adhuc ad aethiopem mineralem accedit, vt tamen pauxillum ferri contineat, illud medicamentum, quod Cl. NAVIER (Memoir. de mathematique et de phyſique préſentés par des étrangers à l'Academie des ſciences à Paris. 4. T. VI. 1774. art. 35. p. 335), non in vermibus modo profligandis, ſed in morbis quoque cutaneis inueteratis, atque tumoribus ſcrophuloſis, ſcirrhoſis ipſisque adeo cancroſis, efficax, vti quidem aſſerit, expertus eſt, ex mercurio hepate ſulphuris ſoluto et per factam acidi cuiusdam vi ferri ſolutionem praecipitato paratum, accenſum tamen odorem phoſphori flammamque albam ſpargens.

Aethiops iouialis (LEONHARDI apud MACQUER *chemiſches Wörterbuch* &c. IV. 1782. p. 218), ex aequali mercurii, ſtanni et ſulphuris parte terendo paratus, qui quotidie aliquoties drachmae dimidiae pondere deglutitus in debellanda taenia haud parum auxilii praeſtat.

Aethiops auripigmenti v. Vol. I. p. 276.

Aethiops antimonialis v. Vol. I. p. 176.

Aethiops

Aethiops mineralis auratus (HECKER l. m. c.) ex ſulphure aurato antimonii cum argento viuo, donec huius globuli euaneſcunt, terendo permiſto natus, ex lenioribus medicaminibus mercurialibus, debilibus, praeter naturam ſenſibilibus atque irritabilibus, in ſputum ſanguineum procliuibus, ſi quando hydrargyro opus habent, conducens.

Panacea mercurialis nigra, *flores ſalis ammoniaci aethiopici* (J. G. WALLERIUS l. m. c.), *Mercurius fixatus*, *Panacea* (SCHROEDER l. c. p. 392), ex argento viuo, ſulphure et ſale armoniaco, per ſublimationem arctius combinatis, nata, vix niſi colore magis obſcuro a cinnabari caerulea diſcrepans, inter diaphoretica olim relata.

Cinnabaris, ex arctiori mercurii et ſulphuris copula per ſublimationem vtplurimum firmata progenita, ponderoſa, colore laetiſſime rubro, per triturationem ſiue ſiccam, ſiue magis adhuc inſtillato quodam fluido exaltando conſpicua, ponderoſa, ſi prunis iniiciatur, cum flamma caerulea et halitibus, quales ſulphur ardens eructat, deflagrans, ceterum odoris ac ſaporis omnis expers, neque aqua, neque humoribus aquoſis diſſoluenda, olim medicis (G. SCHULZ ſcrutinium cinnabarinum. Hal. 1680. 8. F. CHPH. OETINGER cinnabaris exul redux in pharmacopolium. Tubing. 1760. 4. J. G. WALLERIUS et N. SKRAGGE de cinnabaris in corpus humanum effectu. Vpſal. 1762. 4. P. DEMETRIUS de medicis cinnabaris viribus. Lipſ. 1778. 4. MANGOLD Act. ac. elector. Mogunt. ſcient. vtil. Erford. II. p. 402 ſq.) plurimi aeſtimata, ideo creberrime

 vſitata,

vſitata, atque ob propriam ſibi virtutem in numeroſas formulas recepta v. gr. in puluerem *epilepticum* D. MOEBII (FRAUNDORFFER l. c. p. 234), HARTMANNI (SPINA l. c. p. 758), CRATONIS (ibid. p. 759), RUDOLPHI IMPERATORIS (ibid.), et DOLAEI (ibid. p. 761), abſorbentem WEDELII (Pharmacop. Wirtemb. II. p. 130); arthriticum WEPFERI (ibid. p. 133), antiſpaſmodicum nitroſum (ibid. p. 134); pulueris cephalici cum ſaccharo a CAMERARIO (ibid. p. 136), et alterius a WINTERO (ibid. l. m. c.) denominati, pulueris confortantis CAMERARII (ibid. p. 137), pulueris confortantis Cellenſis (ibid. p. 138. et pharm. ſuec. p. 87), pulueris epileptici mirabilis MYNSICHTI et alterius epileptici rubri (Pharmac. Wirtemb. p. 140), pulueris praecipitantis STAHLII (ibid. p. 145), pulueris temperantis (ibid. p. 147. 148. et New diſpenſatory p. 558), pulueris contrayeruae compoſiti ſiue bezoardici (Pharmac. ſuec. p. 86), pulueris Tunchinenſis (Pharmac. rational. p. 266), a COBBIO denominati et ad praeuertendas morſus animalium rabidorum ſequelas a Sinenſibus primo adhibiti a WALL (Philoſoph. Transact. 1744. nr. 474. art. 18. p. 212), a REID (ibid. 1741. Nov. 5.), B. Patre, PH. FR. GMELIN (Specificum antidotum nouum aduerſus effectus morſus rabidi canis. Tubing. 1750. 4.), J. DALBY (on the virtues of cinnabre and muſk againſt the bite of mad dog. Birmingham. 1764.), commendati, porrò ſpecifici cephalici MICHAELIS nomine inſigniti (Pharmacop. Wirtemb. II. p. 171) aliorumque formulas intrans, quorum omnium ſalubrem efficaciam tametſi negare omnem nolim, eam tamen cinnabari deberi, ante me dubi-

dubitarunt (v. gr. NICOLAI *Recepte u. Curarten* p. 554) multi, humoribus noſtris, in corpore viuo circulantibus, contradicentibus quamuis aliis, praeſertim J. G. WALLERIO et F. CHR. OETINGER (ll. cc.), non ſolui, LOESECKE (l. c. p. 277. 278), BALDINGER (l. m. c. p. 11) aliique perhibent, deglutitam non mutatam aluo iterum exiiſſe expertus eſt CARTHEUSER (diſſ. de cinnabaris inertia medica. Francof. ad Viadr. 1743. 4.); laudes olim ipſi in ſedandis neruorum turbis tributas, nuperius a J. DALBY (l. m. c.) et N. D. FALK (l. c.) recoctas, nullo firmo niti fundamento ſubolfecit iam BOERHAAVIUS (Element. Chem. T. II. p. 494), experientia eorum teſte pronunciarunt B. Pater (l. m. c. p. 24. §. 26.), LOESECKE, CARTHEUSER, TRALLES (ll. cc.), BALDINGER (l. m. c. p. 11. 12).

Arctius ſcilicet illud vinculum, quod in hac cinnabari inter argentum viuum et ſulphur intercedit, vtriusque efficaciam fere delet, quod vt primum laxatur et ſoluitur, illa redit; quamuis igitur in ventriculum detruſa aut nihil aut ſaltem perparum efficiat, (interdum enim ſaliuae fluxum induxiſſe, praeter alios teſtatur LIEUTAUD ſynopſ. vniuerſ. prax. medic. Amſtelod. 4. 1765. P. II. L. 2. acidum forſan in ventriculo offendens, cuius vi a ſulphure inuoluente dirimitur), et *emplaſtrum de cinnabari* (SPINA l. c. p. 384), perinde ac *emplaſtrum febrifugum* (J. LE MORT pharmac. med. phyſ. p. 172), et *vnguentum epilepticum* (JÜNGKEN corp. pharmac. p. 670. b.), et *Panacea Anwaldina*, quae, multum olim depraedicata, cinnabari potiſſimum conſtare, cui crocus et conchae praeparatae accedant, (O. CROLLIUS

 l. c.

l. c. p. 195) fertur, colorem quidem, nihil tamen virtutis debere cinnabari tam certum ſit, quam quod certiſſimum, prunis tamen inſperſa, quarum calore inflammata in ſua principia, ſulphur et hydrargyrum, ambo vaporis ſpecie conſpicua, reſoluitur, ſatis potenter operatur.

Quare a primis inde huius medicationis incunabulis ſuffituum illorum ad morbos venereos ſanandos adhibitorum princeps materies fuit cinnabaris, rarius meraca, quam aliis, potiſſimum fragrantibus (B. ALBINUS et G. C. DE HORN l. c. §. 22) temperata, v. g. (drachmae duae), cum gummi guaiaco (drachmis tribus), benzoë et ſtyrace calamita (vtriusque drachma vna et dimidia) ac terebinthina in trochiſcos (*Trochiſci* contra *luem veneream* D. DEKKERS, FRAUNDORFFER l. c. p. 310), aut (B. ALBINUS et G. C. DE HORN l. m. c.) cum thure, benzoë, et maſtiche (ſingulorum drachmis ſex ad vnciam cinnabaris dimidiam), aut cum terebinthina, ſtyrace liquida, et gummi tragacanthae in ſimilem formam redacta.

Verum quam anceps ſit remedium illa fumigatio, ſupra iam fuit oſtenſum, ab HANNEMANNO quoque (Ephemerid. Acad. Caeſ. Nat. Curioſor. Dec. II. ann. 6. Norimb. 1688. p. 566) reprobata.

Cinnabaris natiua, *Hydrargyrum Cinnabaris* (Linn. Syſt. nat. III. p. 376), laetiſſime rubra, ponderis ſpecifici, ratione ad pondus ſpecificum aquae purae habita, = 7000 — 8000 : 1000, ſeptem mercurii partes, aliquando plus continens, rarius quidem, quam olim vulgo putatum fuit, arſenico inqui-

inquinata, idcirco tamen non immerito a plurimis medicis, qui ſuam in cinnabari poſuere fiduciam, poſthabita, quamuis alii (e. gr. J. A. HOFSTETER *ob der natürliche und rein gewachſene Zinnober als eine Arzney in den menſchlichen Leib ohne Gefahr gebraucht werden könne.* Leipz. 1708. 4. et *vortreffliche Güte des natürlichen jedoch rein gewachſenen Zinnobers, entgegengeſetzt* J. G. BECKERN, *daß dieſer Zinnober recht gebraucht ein ganz unſchädliches und nie genug geprieſenes Medicament ſey.* Schleswig. 1711. 4.), in natiua proximum quaſi ſupremi numinis donum omni arte humana ſuperius conſpicientes omni factitiae praeferrent, aut (G. CLAUDER inuentum cinnabarinum, hoc eſt, diſſertatio de cinnabari natiua Hungarica in maiorem efficaciam fixata et exaltata. Ienae. 1684. 4.), continuata per plures menſes variis lenioris caloris gradibus digeſtione ita immutari poſſe ſibi perſuaderent, vt nouem eius granis lues venerea ſanari penitus poſſit.

Cinnabaris factitia, olim Venetiis (DEMACHY l'art du deſtillateur des eaux fortes. à Paris. 1773. fol. Vol. II. P. 3. Sect. 4. art. 2.) et Viennae (KOESTLIN apud J. BECKMANN *Beyträge zur Oeconomie* &c. IV. p. 153. J. A. WEBER *nützliche Wahrheiten für Fabrikanten und Künſtler.* Wien. 1787. 8. p. 41-61. 247-263. practiſcher Theil. p. 9. 76. WASSERBERG *chem. Abhandlung vom Schwefel.* Wien. p. 314 ſq.), nunc Idriae (HACQUET *Magazin der Bergbaukunde.* P. III. p. 67), et inſigni quotannis copia Amſtelodami (*Bergmänniſches Journal.* Ann. IV. 1791. P. II. p. 84 ſq. DEMACHY l. m. c. J. J.

FERBER *neue Beyträge zur Mineralgeſchihte verſchiedner Länder* &c. Vol. I. p. 339 ſq. RÜCKERT *chemiſche Annalen* 1789. Vol. I. p. 302 ſq.), parata, cum hodie rarius a medicis interne adhibeatur, rariſſime a pharmacopoeis ipſis confecta, ſed, perinde ac a pictoribus aliisque artificibus, quibus vtique melius conducit, quam medicis, vtplurimum ſpecie pollinis in molendinis iſti ſoli fini accommodatis impetrati emta, de arſenici labe (N. D. FALCK et J. J. FERBER ll. cc) nonnullis ſuſpecta, nunc lapide pyrmieſon (J. A. WEBER *phyſicaliſch - chemiſches Magazin für Aerzte, Chemiſten und Künſtler*. Berlin. 8. P. I. 1780. p. 51), frequentius minio (J. J. FERBER l. m. c p. 344. 345. J. A. WEBER l. m. c. p. 50 ſq. DOSSIE *geöffnetes Laboratorium überſetzt durch Königsdörffer*. p. 221), aut alia atque alia ferri calce (J. J. FERBER l. m. c. p. 345), praeſertim ea, quam ferri vitriolum poſt diſtillationem acidi relinquit, aut laterum puluere (J. J. FERBER l. m. c.), nunc pigmentis vegetabilibus, ſanguine draconis (G. FR. HILDEBRANDT l. m. c. p. 324. 325), ſantalo rubro (J. A. WEBER l. m. c. p. 51), aut ſemine lycopodii (J. A. WEBER l. m. c.), nunc paucioribus, nunc pluribus fucata.

Facile tamen detegi iſtae fraudes poſſunt, plures, ſi ſpecimen certiſſime genuinae cinnabaris cum ſuſpecta comparare liceat, coloris varietate; arſenicum et lapidem de pyrmieſon, qui illud recipit, prodit nidor allii foetori ſimilis, quem eo corrupta cinnabaris ſpirat, carbonibus ardentibus inſperſa, et fumus albus, flammam aſſurgentem lambens; reliqua manifeſtantur, eo quod cinnabaris ferro candenti

denti inſperſa aut vaſis clauſis igne paulo violentiori exagitata, materiam quandam ſuperſtitem relinquit, quum pura et genuina tota in altum auolet; relinquit autem carbonis ſpeciem, ſi cum materia vegetabili permiſta fuerit, puluerem, quem, oleo lini ſuper eo accenſo magnes trahit, ſi ferri calce, pulverem cum fluxu nigro facile in metallicum plumbi granum conuertendum, ſi minio fuerit vitiata, quod dulci quoque ſapore ſe prodit, quem bonum acetum cum iſtiusmodi cinnabari coctum adſciſcit.

Cinnabaris antimonii v. Vol. I. p. 237.

Cinnabaris caerulea (J. G. WALLERIUS diſput. academic. faſc. I. diſp. XV. p. 355) ex decem partibus aethiopis mineralis cum tribus ſalis ammoniaci ſepties ſublimatis nata, aeque ac inſequentia medicamina ſali ammoniaco intermiſto maiorem, quam prae cinnabari exſerit, efficaciam, debet, colore caeſio diſtincta, ceterum obſoleta.

Mercurius violaceus diaphoreticus ſ. Flores ammoniaco-mercuriales (ASTRUC l. c. p. 457. 458), ex atro in violaceum colorem vergens, ſublimando aethiopem mineralem per deflagrationem paratum cum aequali ſalis ammoniaci portione impetrati, ſcrupuli dimidii imo integri pondere, boli vel pilularum forma ad virus venereum delendum quondam praeſcribebantur, a CHARMETTON (Recueil des pieces, qui ont concouru pour le prix de l'Academie royale de chirurgie. à Paris. 4. T. III. 1759. p. 210 ſq.) ad diſſipandos tumores ſcrophuloſos commendati.

Mercu-

Mercurius violaceus Pariſienſium (TRILLER diſpenſat. vniuerſ. P. II. p. 404), ex mercurii partibus tribus, ſulphuris et ſalis ammoniaci, vtriusque partibus duabus, paratur.

Mercurius diaphoreticus Kenelmi Digbaei (Ill. BALDINGER hiſtor. mercurii et mercurial. medica. P. IV. 1781. p. 4), ex argento viuo (libra integra) cum ſulphure antimonii aurato (vnciis quatuor) terendo permiſto, et aliquoties ſublimato exortus.

VI. *Medicamenta, in quibus mercurius aliis metallis iungitur, olim frequentia, hodie parum vſitata.*

Amalgama plumbi, in minutos globulos redactum, praemiſſo amygdalarum dulcium oleo, deglutiendum olim exhibebatur aegrotis, morbo iliaco laborantibus (J. VESTI et G. G. ECKMANN diſſ. de vſu et abuſu medicamentorum mercurialium. Erford. 1705. 4. p. 7. §. 111.).

Amalgama ſtanni (v. Vol. I. p. 300); hoc amalgamate ſcrupuli pondere quotidie exhibito intra breue temporis ſpatium profligatam lepram refert MISSA (Recueil periodique d'obſervations de medecine, de chirurgie et de pharmacie. à Paris. 8. T. II. 1755. Febr. art. III. p. 140); praedicarunt quoque alii (F. HOFFMANN et van den VELDE diſſ. de mercurio et medicamentis ſelect. Hal. Magdeb. 1700.) et C. OERI (diſſ. de hydrargyri natura, viribus et vſu. Baſil. 1706.); puluerem, terendo hoc amalgama cum aqua naſcentem, ad debellandos vermes inteſtina irritantes et ipſam taeniam (BALDINGER

l. m. c.

l. m. c. P, II. p. 10), cum fructu adhibuerunt alii. Alias mercurii cum ſtanno miſturas commendant PARACELSUS (de curation. impoſt. curat. luis gallic. c. 9.), MAETS (collectan. chymic. Leidenſ. p. 261. et Chem. ration. p. 83), MAUR. HOFFMANN (act. laborat. chymic. proc. 154.) et FR. HOFFMANN (Not. ad Oper. POTERII p. 72. et Medic. ration. ſyſtemat. T. IV. P. 5. c. 4. p. 170).

Amalgama ferri, quod totum a magnete trahitur, difficulter obtinendum, ex aequali vtriusque metalli portione ſibi comparauit CROHARÉ (journal de medecine, chirurgie, pharmacie. T. XLII. 1774. Sept. art. 3. p. 276), cuius in morbis chronicis medicandis laudes canit.

Sal mercuriale ferreum liquidum (Navier Contrepoiſſons de l'arſenic, du ſublimé corroſif &c. T. II. P. 4. c. 12. p. 345 ſq.), mercurium ſublimatum corroſiuum album aqua ſolutum cum ſolutione ferri in aceto facta commiſcendo obtinetur, acrimoniae expers, et, ſit fides apud NAVIER, in multis morbis chronicis tutum et vtile. Mercurii quoque cum ferro connubium in ſananda lue venerea efficax extollit DIBON (diſſ. ſur les maladies veneriennes. Paris. 1724.); ſimilis remedii arcani ex acido ſalis communis, ferro et pauco argento viuo ſaturato, conflati mentionem iniicit SCHEELE (Veckoſkrift för Läkare och Naturforſkare Vol. VII.).

Eiusdem mercurii cum antimonii regulo copulam D. DE PLANIS CAMPY (la verole reconnue, combattue et abattue. Paris. 1623.) praedicat.

Mercu-

Mercurius dulcis martiatus (P. J. HARTMANN diſſ. martis cum mercurio coniunctionem vſibus practicis commend. Hal. 1759. 4. et diſſ. de mercurio dulci martiali, eiusque praeparatione et vſu medico. Francof. ad Viadr. 1773.), reſiduum a floribus ſalis ammoniaci, quos haematiſatos appellant, cum argento viuo terendo et ſublimando paratus, vtrumque metallum, ferrum et mercurium, continet, vt itaque vtriusque vires coniunctas, ferri roborantes, mercurii reſoluentes ſpondeat, in mixta hac indicatione apprime vtilis (P. J. HARTMANN ll. mm. cc. et NOSE *über die Behandlung des veneriſchen Uebels*. Augſp. 1780. 8.).

Mercurius diaphoreticus multorum non eſt niſi mercurii calx antimonii calce aut antimonii aurique calce ſimul temperata, quales miſturas eximiis, vtinam meritis! laudibus condecoratas deſcriptas legere eſt apud D. DE PLANISCAMPY (l. c.), FR. HOFFMANNUM (ll. mm. cc.), SENNERT (inſtitut. medic. L. V. P. 3. Sect. 3. c. 18.) et (l. c. L. III. c. 15. p. 395-397), ſub nomine *praecipitati ſolaris, praecipitati ſolaris regulini ſ. diaphoretici*, HERCULIS BOVII, *auri vitae* CLOSSAEI apud J. SCHROEDERUM.

Panacea de la Vigne, *Mercurius praecipitatus ruber ſolaris et lunaris* (FR. HOFFMANN pharmacopoea medico-chymica. L. III. c. 15. §. 22.), puluis ruber ex calce mercurii et vtriusque metalli nobilis conflatus, coniungendo conſueta ratione aurum et argentum cum hydrargyro, ſuperfluam huius portionem ex nato inde amalgamate exprimendo, amalgama in puluerem conterendo, nouum ſub-

ſubinde hydrargyrum (vt tandem decuplo ſuperet aurum atque argentum) adfundendo, et per nouem menſium ſpatium phialae incluſum leni lampadis igni exponendo confectus, vnius vel duorum, imo quinque et decem granorum pondere in morbis quam maxime deſperatis commendatus, et inſigni, qua pollet acrimonia periculoſus, hinc merito exoletus.

Praecipitatus ſolaris (GERV. UCAY traité de la maladie venerienne. Ed. 3. à Paris. 1702. 12. p. 90. J. DEVAUX abregé de la medecine pratique de J. ALLEN. T. III.), puluis obſcure ruber, ex mercurii aurique calce coniunctis compoſitus, amalgama auri, quartam huius metalli partem recipiens, per tres menſes continuos lampadis igni ſenſim aucto exponendo, natus, granorum trium, imo duodecim pondere olim exhibitus, verum acrimonia ſua, qua vomitum aluumque violentiſſime mouet, facile nociturus, ideo obſoletus.

Similiter argentum viuum cum auro permiſceri ſuadent A. GALLUS (de ligno ſancto non permiſcendo. Patav. 1540.), HERCULES SAXONIA (luis venereae perfectiſſimae tractat. Patav. 1597.), B CHRISTINUS (Arcana L. Riverii. 1676.), BASSIUS (tract. de morbis venereis. Francof. et Lipſ. 1763.), CAESALPINUS (de metallis p. 195), SENNERT (l. m. c.), UNZER (anatomia mercurii. p. 233), et in *auro vitae* HARTMANN, et *auro vitae alio* SCHROEDERUS (l. m. c.), in ſuo *mercurio per ſe praecipitato* ZWOELFFER (mantiſſ. ſpagyric. p. 354), in AZOTH HOFLINGII et *mercurio diaphoretico* CARDILUCCII JÜNGKEN (Chem. experimental.

mental. p. 260), in ſuo HERCULE BOVIUS (SCHROEDER l. c. p. 396).

Mercurius dulcis ſolaris, *Manna mercurii* (SCHROEDER l. c. p. 400), non eſt niſi mercurius dulcis, primo in cryſtallos, tum in liquorem redactus, denique cum auri calcinati tertia parte digeſtus.

Arcanum corallinum Zwelfferi (JÜNGKEN corp. pharmac. p. 305. a.), puluis ruberrimus, mercurium dulcem cum octaua vel ſexta parte croci ſolis ſpongioſi primo terendo permiſtus, tum vſtus.

Mercurius praecipitatus viridis, *Lacerta viridis*, puluis viridis, ex mercurii cuprique calce commiſtis conſtans, olim quidem in gonorrhoea virulenta (J. VESTI et G. G. ECKMANN l. c. p. 22. §. XIII. N. LEMERY cours de chymie. p. 272), et phimoſi non extrinſecus modo, ſed granorum duorum, imo ſex et octo pondere intus boli pilularumue forma adhibitus, ſiue (N. LEMERY l. m. c.) commixtam cum cupri ſolutione mercurii ſolutionem caloris vi omni humore orbando, reſiduum ſiccum denuo per acetum ſoluendo, et acetum iterum per ignem diſſipando, ſiue (New diſpenſat. p. 522) ex mercurio ſublimato corroſiuo albo aqua diſſoluto ope inſtillatae ſolutionis cupri per ſpiritum ſalis ammoniaci peractae praecipitando argentum viuum paratur, forſan quoque ab infixo adhuc acerrimo acido vehementiſſime operatur, et ventriculum praeſertim haud parum laedit, hinc hodie ex pharmacopoliis fere omnibus exul.

VII.

VII. *Calces mercurii, Mercurius oxydatus.*

Aethiops per ſe, Aethiops mineralis per ſe, Mercurius oxydatus niger, mercurius continua cum aqua trituratione in puluerem atrum omnis nitoris expertem conuerſus, HOMBERGIO (Memoir. de l'acad. des ſcienc. à Paris. ann. 1700. p. 277 ſq.) cognitus, faciline acida, etiam vegetabilia, ſubiens, hinc ſueta medicaminum a KEYSERO quondam venum datorum materies, cito quoque et aequabiliter cum pinguedinibus in vnguentum redigendus, J. C. JACOBI (l. m. c. art. 58. p 228) laudes meritus, eo quod, quamuis, notante etiam KUHNIO (Nov. act. acad. Caeſ. Nat. Curioſ. Vol. I. p. 331), veneno venereo aduerſetur, ſaliuam non cieat, ab aliis grani vnius, et plurium, imo octo pondere, conſilio aluum ducendi exhibitus, quam eius virtutem a tribus iam eius granis deglutitis in ſe ipſo expertus eſt b. MANGOLDUS (Act. Acad. elector. Mogunt. Erford. T. I. 8. 1757. p 244-251), qui etiam arcanum ab HUNDERTMARKIO (Reſponſa ſeu conſilia praeſtantium medicinae doctorum, de morbo, qui Card. A. M. QUIRINUM per 5 et amplius menſes lectulo affixum detinuit. Brix 1750.), Card QUIRINO oblatum, in ea calce latuiſſe ſuſpicatur; teſte ANT. LE GRAND (Curioſ. rerum abditar. naturaeque arcanor. perſcrutator. p. 219) ſcrupulorum duorum doſi cum diacydonio propinatus vermibus ex inteſtinis expellendis ſuppar. Faciliorem et minus taedioſam parandae huius calcis rationem docuit DEMACHY; iubet ſcilicet ille (Nov. act. Acad. Caeſar. Nat. Curioſ. Vol. VII. 1783. p. 48. 49.) argentum viuum cum ſpiſſa ex gummi tragacanthae vel arabico con-

fecta mucilagine ita conteri, vt ellipſis agitando deſcribatur, donec nulli amplius appareant globuli, huic maſſae, vt ſoluatur, aquam calidam infundi, per chartam griſeam traiici, et puluerem nigerrimum, qui labore hoc peracto chartae adhaeret, leni calore exſiccari.

Mercurius praecipitatus per ſe, *Mercurius praecipitatus*, *Praecipitatum*, *Praecipitatus ruber*, *Puluis Vigonis*, *Calx mercurii rubra*, *Mercurius oxydatus ruber*, *Mercurius calcinatus*, calx ex argento viuo caute in vaſe altiori per longius temporis ſpatium igni expoſito (WESTRUMB *chem. Annal.* 1793. Vol. I. p. 111. 112. van MONS ibid. 1794. Vol. I. p. 127. 128), a veteribus (SCHROEDER l. c. p. 392) interdum additis ſilicibus, nata, iam GEBERO (*vollſtändige chymiſche Schriften* &c. Frankf. und Leipz. 1710. 8. L. II. c. 17. p. 110), R. BOYLEO (Hiſtor. fluiditat. et firmitatis. Amſtelod. 1667. 12. P. II. Sect. 51. p. 121), J. KUNCKELIO (Laborat. chymic. P. III. c. 6. p. 226 ſq.), HOMBERGIO (l. c. ann. 1705. p. 101 ſq.), cognita, rubra, nitens, eoque nitore mercurium praecipitatum rubrum vtplurimum ſuperans, ex lamellis quaſi lithargyrii inſtar conflata, acri et metallico ſapore linguam feriens, igni in vaſis clauſis et apparatu pneumatico torta largam aëris vitalis copiam largiens, et in argentum viuum rediens, multis, v. gr. CRATONI A KRAFTHEIM (commentar. de morbo gallico ed. a SCHOLZIO. Francof. 1594. 8.), AEG. DAELMANS (nieuw hervormde geneeſkonſt gegrond op de gronden van het acidum en alcali. Amſterdam. 1689. 8.), FRAUNDORFFER (Ephemer. Acad.

Caeſar.

Caeſar. Nat. Curioſ. Dec. III. ann. 3. Lipſ. 1696. obſ. 4. p. 5), ANGELO SALAE (ſyn. aphoriſm. chymiatr. Sect. II. aph. 34. p. 260), et nuperius Angliae preſertim medicis e. gr. FR. GEACH (medical and chirurgical obſervations on the inflammations of the eyes, on the venereal diſeaſe, ulcers, and gun-ſhot-wounds. London. 1768. 8.) et J. ANDREE (obſervations on the theory and cure of the venereal diſeaſe. London. 1779. 8.), inter palmaria virus venerei antidota relata, eo ſcopo v. gr. cum $\frac{13}{20}$ extracti et $\frac{3}{20}$ reſinae (*Pilulae magneticae Oſtii* TROMMSDORFF *Journal der Pharmacie.* Vol. II. Faſc. 2. p. 86-98), dimidii, integri, duorum adeo granorum pondere vel cum aequali (v. gr. octo granis) pulueris radicis liquiritiae pondere, et (granis quinque) conferua cynosbati (GIRTANNER l. c. I. p. 449) in pilulas (duodecim, quarum vna ſingulis veſperis, tertia ſemper excluſa, ante cubitum deglutitur), vel cum opii aequali copia et conſerua cynosbati (GIRTANNER l. c. I. p. 450) in bolum redacta, maiore quatuor aut quinque granorum pondere aluum et vomitum violentiſſime mouens, licet diaphoretica potius quam hac facultate gaudere aſſerant SENNERT (l. m. c. c. 18.), POTERIUS (pharmacop. ſpagyric. L. II. c. 13.) et ZWELFFER (l. m. c. p. 353). Externo etiam vſu ſaliuam ciere expertus eſt FABRICIUS HILDANUS (obſervat. cent. 5. obſ. 94.); in plura quoque medicamenta externa v. gr. *aquam cauſticam* (SCHROEDER l. c. p. 152), mundandis vlceribus vtilem, *aquam mercurialem* RULANDI (SPINA l. c. p. 134), vlceribus malignis adhibitam, *emplaſtrum ad tophos venereos non*

 exulce-

exulceratos HOFFMANNI (JÜNGKEN corp. pharmac. p. 635. a.) fuit receptus.

Praecipitatus dulcis (SCHROEDER l. c. p. 394) paratur, argentum viuum cum mercurio praecipitato rubro, ſuper quo vini ſpiritus deflagrauit, calcinando.

Mercurius praecipitatus ruber, *Mercurius calcinatus ruber*, mera, ſi quidem, prouti decet, violentum et diuturnum ſatis ignem experta fuerit, mercurii calx, a praecedente, niſi debiliore velis nitore, parum diſtincta, licet alia plane ratione, ſoluendo ſcilicet argentum viuum aqua forti, hancque, donec ſuperſtes maſſa rubrum induat colorem, per ignis vim iterum expellendo, (P. J. BONZ nov. act. Acad. Caeſar. Natur. Curioſ. T. VII. obſ. XV. p. 100 - 105. RÜCKERT *chem. Annalen.* 1788. Vol. II. p. 497 - 501. van MONS ibid. 1792. Vol. I. p. 131 - 133. et HILDEBRANDT ibid. 1792. Vol. II. p. 398 - 402), parata.

Et haec mercurii calx acris metallici ſaporis igne torta largitur aërem vitalem et argentum rediuiuum, atque acidis plurimis facilius diſſoluitur, quam mercurius viuus; non raro alienis adulteratur, lateribus in puluerem contuſis (J. M. SCHILLER *vermiſchte Aufſätze chemiſchen, pharmazeutiſchen und phyſikaliſchen Innhalts.* Nürnberg. 1790. 8.), minio et cinnabari, ſi quidem fraus ſubſit, vtplurimum vt eadem coloris varietas exſurgat, quam genuina merx prae ſe fert, vtraque ſimul corrupta; patet omnino hoc vitium ſpecimen calcis certiſſime genuinae cum hac ſuſpecta comparanti, laterum miſtura,

ſtura, quando, quod a calce ignis vim in catillo experta ſupereſt, combuſto ſuper hac materia lini oleo a magnete trahitur; prodit minium intermiſtum plumbi granum a liquata hac cum carbonum puluere calce remanens; cinnabarin intereſſe colliges, ſi calx haec catillo aut carbonibus candentibus inſperſa fumum et flammam ſulphuris monſtrat.

Inſignis, quam in corpus viuum exercet, acrimonia externo potiſſimum vſui deſtinauit hoc pharmacon; hinc vlceribus, ſiue ex cauſſa venerea, ſiue aliunde ortis, potiſſimum oculorum (PLATNER inſtitut. chirurg. rational. §. 314. p. 195), ad carnem luxuriantem exedendam, calloſosque eorum parietes abſumendos et pus bonae notae excitandum, in vlcuſculis cancroſis penis (J. DE VIGO l. c. N. MASSA de morbo gallico tr. 6. c. 61. GIRTANNER l. c. I. p. 217), morbis oculorum venereis, verrucis venereis corrodendis (GIRTANNER l. c. I. p. 236), vulneribusque ab animalium rabidorum dentibus inflictis, nunc pulueris forma inſpergitur (GIRTANNER l. m. c.), nunc et frequentius quidem, v. gr. cum decem partibus vnguenti baſilici (*Vnguentum rubrum* GIRTANNER l. c. I. p. 452), in vnguenti formam redactum, etiam in lue venerea ipſa (FR. DE ROMA Conſultation. medicae chirurgic. Op. poſthum. Napol. 1669. fol.), et morbis cutaneis (N. D. FALCK l. c.) adhibetur. Principem ita conſtituit materiem tam *pulueris cathaeretici pro oſſibus* (carioſis ſcilicet, quibus adſpergitur), alumini vſto ($\frac{3}{58}$), ceruſſae ($\frac{6}{58}$), oleo caryophyllorum ($\frac{1}{58}$), euphorbio ($\frac{12}{58}$), myrrhae ($\frac{6}{58}$), ſabinae ſiccae ($\frac{6}{58}$), radici

radici iridis et ariſtolochiae rotundae (vtriusque $\frac{12}{58}$) iunctum (SCHROEDER l. c. p. 262), et aquae lauandis partibus impetigine defoedatis dicatae (TURQUET DE MAYERNE prax. tract. 2. c. 21.), et *vnguenti piacentini*, in noſodochio patauino ad ſananda vlcera venerea et alia adhibiti (FRAUNDORFFER tabul. ſmaragd. p. 330), in quo minio ($\frac{1}{16}$) et ceruſſa ($\frac{1}{8}$) temperatum, cum cera alba ($\frac{1}{8}$) et oleo communi ($\frac{5}{8}$) ſubigitur; ſimili vnguento, hanc mercurii calcem recipiente, adhibito ſimul intus mercurio ſublimato corroſiuo, vlcus venereum teterrimum, malam, parotidem, ductus ſaliuales arrodens, ſanauit LANGE (apud SCHMÜCKER *vermiſchte chirurg. Schriften.* Vol. II.); opio (granis duobus vel tribus) temperatum, et cum cera alba (drachma) ac butyro non ſalito (drachmis duabus) permiſtam (drachmam dimidiam) calcem in ophthalmia praedicauit BOERHAAVE (de morbis oculorum. Goett. 1730. 8. p. 95), in lippitudine Ill. THEDEN (*Neue Bemerkungen* &c. I. p. 192); vnguentum, ex eadem, tutia praeparata ($\frac{1}{10}$), nitro depurato ($\frac{1}{20}$), camphora ($\frac{1}{20}$) et axungia porcina ($\frac{3}{5}$) conflatum, in tunicae corneae claritate reſtituenda aliisque oculorum malis delendis potentiſſimum deprehendit CHR. L. MURSINNA (*medic. chirurg. Beobachtungen nebſt einigen Anmerkungen darüber.* Berlin. 8. Erſte Samml. 1782.); mercurio praecipitato rubro cum aequali copia argenti viui et ſtanni in amalgama redacto, et cum quadrupla portione vnguenti roſati, et aliquot guttis olei menthae piperitae ſubacto, dolores ab haemorrhoidibus caecis natos cito et mirifice leniuit N. D. FALCK (l. m. c.); eodem mercurio praecipitato rubro

(ſcru-

(ſcrupulo vno), praecipitato albo (granis quinque), ſaccharo ſaturni et floribus ſulphuris (amborum drachma dimidia), cum oleo ligni rhodii (guttis quinque), vnguento pomato (drachmis ſex) et oliuarum oleo ſubactis, ad ſanandam ſcabiem feliciter vſus eſt M. RULAND (Curation. empiricar. et hiſtor. in certis locis et notis perſonis expertar. et rite probatar. Centur. Lauing. 1594. 12. l. 4. tit. ſcabies); mercurio praecipitato rubro, cum theriaca et vnguento digeſtiuo ſubacto, praeſcripto ſimul pro interno vſu turbith minerali, a cane rabido morſam ſaluauit KÜHN (nov. act. Acad. Caeſar. Nat. Curioſ. T. I. obſ. 58. p. 219 ſq.); cum axungia porcina commiſtus egregium quoque praebet, modo circumſpecte adplicatus, pediculis necandis par remedium; mercurio praecipitato rubro et aequali florum ſulphuris portione cum vnguento ſaturnino Zwelfferi (octupla portione) et oleo oliuarum in linimentum redacto, ad tineam, achores, fauos ſanandos vſus eſt H. SCRETA (apud M. FRICCIUM paradoxa de venenis. Aug. Vindel. 1710. 8. p. 117); amplius adhuc compoſitum *vnguentum* ad *ſcabiem*, quod hunc mercurium praecipitatum recipit, habet LE MORT (pharmac. medico-phyſica. p. 165).

Ingreditur porro *ceratum mercuriale* a N. D. FALCK (l. c.), in vlceribus cutisque vitiis, ab acrimonia venerea proficiſcentibus collaudatum, in quo (vncia dimidia) cum mercurio dulci (vnciis duabus), ſaccharo ſaturni (vncia integra), cera alba (vnciis quatuor), oleo nucum iuglandis (vnciis ſex) et oleo lauendulae (guttis triginta) coniungitur; et

emplaſtrum ad clauos pedum. quod LE MORT (l. m. c. p. 168.) tum his delendis, tum vlceribus durioribus ſanandis, tum bubonibus venereis diſcutiendis commendat; permiſcetur autem (ſcrupuli duo) cum gummi ammoniaco (drachmis duabus), reſina pini (drachma vna), et vitriolo cupri (drachma media vel ſcrupulo).

Vlceribus liquida quoque interdum forma cum aqua agitando permiſtus (LOESECKE l. c. p. 288.) applicatur.

Puluere nicotianae et radicis ari temperatum, atque naribus attractum in gutta ſerena eximiam tuliſſe opem narrat LOESECKE (l. m. c.), cum puluere herbae nicotianae et radicis ari maculati permixtus ac naribus attractus in amauroſi quoque commendatur a Sueciae medicis (Veckoſkrift för Lakare och Naturforſkare &c. Vol. VI.). Suffitibus mercurialibus adiecit J. ZECCHIUS (de morbo gallico 1586.).

Neque tamen ingens illa acrimonia ab vſu interno huius quoque pharmaci deterruit, multis tamen, H. FRACASTORIO (de morbis contagioſis c. 10.), AL. FR. PETRONIO (l. c. l. 6. c. 23.), B. TOMITANO, J. WYERO, J. ZECCHIO, S. CORTILIONI, D. TURNERO (ll. cc.), A. M. BRASSAVOLAE (de morbo gallico. Venet. 1551.), A. FERRERIO (de pudendagra. Toloſ. 1533.), M. J. PASCHALI (opuſc. de morbo gallico), G. FALLOPIO (de morbo gallico. Patav. 1564. c. 79.), PR. BORGARUTIO (method. de morbo gallico. Patav. 1566.), J. PALMARIO (l. de hydrargyro. c. 6.), P. P. PEREDAE (prax. medic. Barcin. 1579.), J. BALCIANELLO (diſc. contro l'abuſo dell' antimonio praeparato, argento viuo ſublimato, e del praecipitato

in

in medicina ſolutiua ordinato. Veron. 1603. 4.), P. FORESTO (l. c. l. 32. obſ. 19. ſchol), H GUARGUANTO (reſponſ. var. Venet. 1613.), J. VARANDAEO (tr. de morbo gallico. Monſp. 1620.), FR. RANCHINO (traité de l'origine &c. de la verole. Lyon. 1620.), TH. BARTHOLINO, qui (epiſtolar. medicinal. Hafn. 8. Cent. III. 1657. obſ. 100.) externum iam vſum inſignes fuiſſe ſecutas noxas, memorat, C. MUSITANO (trutina chirurgico-phyſica. Colon. Allobr. 1698.), B. BOSCHETTI (diſſ. de ſaliuatione mercuriali. Venet. 1722.), G. S. BAUMLERO (*mitleidiger Arzt.* Argent. 1731.), J. G. RAUCHIO (diſſ. de mercurii vſu et abuſu. Marburg. Catt. 1727.), L. HEISTERO et J. J. SCHMIDIO (diſſ. de chirurgorum erroribus in curandis morbis venereis. Helmſt. 1728.), B. van LINDERN (*Venus-Spiegel.* Strasb. 1732.), M. ALBERTI et H. A. SCHRIMPFER (diſſ. de hydrargyroſi. Hal. Magdeb. 1740.), G. FR. VENEL (quaeſt. chemic. duodec. Monſp. 1759. quaeſt. 6.), D. MONRO (l. c. Vol. I. c. 8. Sect. 4. p. 254. 255.) et (apud eundem) S. HAHNEMANNO deteſtato.

Primus, qui internum eius, quamuis multoties abluti, vſum tentauit, videtur fuiſſe J. DE VIGO, qui, (chirurg compendioſ. Venet. 1520. fol. l. 5. et chirurg. copioſ. Rom. 1514. fol. l. 2. c. 20.) granorum duorum pondere in colica, et (chirurg. compendioſ. l. m. c.) granorum trium vel quatuor pondere cum theriaca ſubactum in peſte commendat; primus, qui eum, aqua ſollicite ablutum, granorum quinque pondere, non ad hos modo morbos, verum etiam ad quartanam pertinacem et melancholiam,

choliam, et potiſſimum ad virus venereum iugulandum intus adhibendum praecepit, fuit P. A. MATTHIOLUS (l. c.), ſequentibus mox aliis V. ANT. GALLO (de ligno ſancto non permiſcendo. Pariſ. 1540. 8.), RANGONO (de morbo galeco ſanando. Venet. 1538.), M. A. BLONDO (de origine morbi gallici. Venet. 1542.), A. ALCAZER (Chirurgiae. L. VI. Salmant. 1575.), TH. BOVIO (Flagello contra de medici communi detti rationali. Venet. 1583. 4.), A. CAESALPINO (κατοπτρον ſ. ſpeculum artis medicae Hippocraticae &c. Lugd. gall. 1601-1603. l. 4.), F. PLATERO (prax. medic. Baſil. 1602.), SENNERTO et ZACUTO (ll. cc.), A. WEICKARDO (Colerus rediuiuus. Francof. 1626.), HARVY (apud TURNER l. c.), J. LOSSIO et J. G. REBENTROST (diſſ. de lue venerea. Vitemb. 1683.), M. B. VALENTINI (prax. medic. infallibil. c. 12. p. 143), H. BOERHAAVIO (Elem. Chem. II. p. 485); ita N. GRIMM (Ephemer. Ac. Caeſar. Nat. Curioſ. Dec. II. A. 4), eius granis primo tribus, ſenſim pluribus, donec leue contingeret ſaliuae profluuium, exhibitis, quatuordecim dierum ſpatio pertinax gutturis vlcus ſanauit. Multi veneno venereo infecti et plurimis aliis pharmacis fruſtra tentati decocto bardanae ſaturato, cuius ſingulis libris medium huius mercurii praecipitati granum additum fuerat, potato, teſte Perill. STOERCKIO (ann. medic. ſecund. Vindob. 8. 1761. p. 224), cum ſanitate in gratiam redierunt.

Multi tamen eorum, qui deglutiendum aegrotis praeceperunt mercurium praecipitatum rubrum, eius acrimoniam metuentes, et, ducibus A. LIBAVIO (Alche-

(Alchemia. Francof. 1597. 4. p. 404), GEOFFROY (Memoir. de l'Acad. des ſcienc. à Paris. ann. 1735. p. 68), H. BOERHAAVIO (l. m. c.), J. R. SPIELMANNO (inſtit. chem. p. 152), et J. FR. EHRMANNO (de hydrargyr. praeparat. internor. effect. §. VI. p. 9), perinde ac colorem a ſuperſtite acerrimo nitri acido, cuius tamen, modo ignem ſat fortem et diuturnum expertus fuerit, nihil (J. C. WIEGLEB *fortgeſ. kleine chemiſche Abhandl.* Langenſalz. 1770. 8. p. 153 ſq. GUIL. H. S. BUCHOLZ *chemiſche Verſuche über das Mayerſche* Acidum pingue, 1771. 8. p. 85 ſq.), amplius ſupereſt, deriuantes, alio atque alio modo mitigare illam anniſi ſunt; Ill. A. MURRAY et P. DUBB (l. c. c. 2.) additamentum alcalinum imperant; terrae cuidam abſorbenti nuptum grani vnius vel duorum pondere in pertinaciſſima gonorrhoea, cui tamen raro mercurialia conducunt, exhibuit LOESECKE (l. m. c.); alii ſollicita et repetita aquae puriſſimae et feruidae auxilio peracta ablutione acrimonia nociua exuere conati ſunt; multi alia atque alia, arcana interdum habita, ratione, vti quidem ſibi perſuadebant, cicuratum, nouo nomine inſignitum interno vſui accommodarunt.

Praecipitatum nobile (*Angelus Sala* exegeſis chymiatr. op. p. 755) non eſt niſi ſpecies mercurii praecipitati rubri, ſalis acido inquinata, nata ex calce mercurii aqua regis ſoluta, et ignis vi vſta, in ſcabie maligna collaudata.

Mercurius corallatus (SCHROEDER l. c. p. 393) non eſt niſi mercurius praecipitatus ruber, cui ternis vicibus noua acidi nitri portio infuſa et ignis vi iterum expulſa fuit, illo igitur nequaquam mitior.

Arcanum

Arcanum corallinum (J. HARTMANN apud O. CROLL Baſilica chymica. Lipſ. 1634. 4. p. 211. 212. qui tamen nullo vini ſpiritu vſus fuit. New diſpenſatory p. 514.), *Arcanum corallinum Paracelſi, ſeu mercurius ſublimatus rubeus non corroſiuus* (CROLL l. c. p. 207-210. qui tamen ſublimando aliquoties argentum viuum cum nitro et vſto ſiue vitriolo ſiue alumine mercurium praecipitatum rubrum parat), non eſt niſi mercurius praecipitatus ruber, iteratis adhuc vicibus nitri acido imbutus, et, primo fortiſſimo igne, tum coquendo per mediam horam cum aqua pura orbatus, bis cum ſpiritu vini, quem tartariſatum vocant, per diſtillationem iterum ſeparato, permiſtus, denique tertia adhuc vice diu cum ſpiritu vini calore tandem ad lenem vsque bullitum aucto digerendo, refrigeratum defundendo, ac ſubſidentem in fundo puluerem exſiccando, paratus, ab O. CROLLIO et J. HARTMANNO (l. m. c.), poſteriori et J. KEILIO (diſſ. de lue venerea. Marburg. 1611.), in hydrope, lue venerea, podagra praedicatus; in his morbis perinde ac in ſcabie, cancro aliisque vlceribus a J. FORTI (Conſult. medic. T. I. Cent. 3. conſ. 75.), J. B. van HELMONT (Peſtis tumulus. Colon. 1644.); tanquam remedium incidens, depurans, veneno venereo quam maxime aduerſum a LIEUTAUD (l. c. P. II. p. 610), poſteriori titulo quoque a MALOUIN (chymie medicinale. à Paris. 12. Vol. II. 1750.) collaudatum, grani vnius, imo trium pondere exhibitum, a J. FR. CARTHEUSER et CHR. C. GULDE (diſſ. de ſuſpectis quibusdam pharmacis ſalino-mercurialibus. Francof. ad Viadr. 1759. 4.), inter pharmaca ſuſpecta relatum.

Lauda-

Laudanum minerale (J. HARTMANN ap. CROLL l. m. c. p. 212), eſt arcanum corallinum, primo cum aceto calido, et hoc expulſo cum vini ſpiritu tractatum, quod ſiccatum granorum duorum pondere ſumtum primo laxare aluum, tum ſudorem ſomnumque conciliare, in ſcabie, vlceribus, fiſtulis mirifice prodeſſe, gloriatur inuentor.

Roſa vitae mineralis (FRAUNDORFFER l. c. p. 255) non eſt, niſi mercurius praecipitatus ruber, cui quater vini ſpiritus infunditur, et quater per diſtillationem iterum expellitur, qui lente per aluum et vomitum operari, et granorum quatuor, imo ſex pondere in hydrope et lue venerea maximopere conducere traditur.

Mercurius corallinus (New diſpenſ. p. 513), multis *Arcanum corallinum*, ex eodem mercurio praecipitato rubro paratus, qui cum vini ſpiritu per aliquot dies continuos digeſtus, accenſo hoc ſpiritu exſiccatur P. DE SORBAIT (Vniuerſ. medic. theoretic. et practic. Norimb. 1672. fol.) granorum quatuor pondere, donec leue oriatur ſaliuae profluuium, in lue venerea vſitatus, granorum trium pondere etiam ab YV. GAUKES (l. c.) commendatus, aſſentientibus T. KNOBLOCH (*kurzer Bericht von den Franzoſen.* Gieſſ. 1620.), P. SARTORIO *Franzoſenarzt.* Strasburg. 1645.), FR. DE LE BOE SYLVIO et RAUCH (ll. cc.), E. GOCKELIO (conſil. et obſeruat. medic. Dec. VI. Aug. Vindob. 1683.), PH. FRAUNDORFFER (Ephemer. Acad. Caeſ. Nat. Curioſ. Dec. III. A. 3. obſ. 4. p. 5.), et R. DIBON (diſſ. ſur les maladies veneriennes. Paris. 1724.); pedum

pedum dolorem pertinaciſſimum ſaliua pharmaco hoc exhibito largiſſime profluente deuicit ANDR. LOEW (Ephemer. Ac. Caeſ. Nat. Curioſ. Dec. III. ann. 1697. 1698. obſ. 156.).

Panacea mercurialis rubra (New diſpenſat. p. 514), pariter ex mercurio praecipitato rubro naſcitur, qui primo per viginti quatuor horas cum octupla aquae portione, et hac defuſa exſiccatus cum aequali ſpiritus vini copia per quindecim dies digeritur, affuſa bis et accenſa dupla tincturae ſulphuris portione denuo per duos aut tres dies cum vini ſpiritu digeritur, eoque defuſo exſiccatur. Exili v. gr. granorum duorum pondere tranſpirationem inſenſibilem augere, maiori vomitum aluumque mouere perhibetur.

Praecipitatus diaphoreticus excellens (J. HARTMANN apud O. CROLL l. c. p. 488-490.) non eſt, niſi mercurius praecipitatus ruber, artificioſa valde ratione fabricatus, deflagrante ſuper eo vini ſpiritu ex opinione inuentoris correctus, qui grani vnius pondere deglutitum nunc vomitum, nunc aluum, nunc ſudorem mouere teſtatur.

Puluis principis (New diſpenſat. p. 514.) non eſt, niſi idem mercurius praecipitatus ruber, primo ter cum plurima aqua bulliente ſemper recenti per duodecim horas digeſtus, tum exſiccatus, cum dupla ſalis tartari portione exacte permiſtus, et denuo, donec omni prorſus ſapore ſpoliatus ſit, cum aqua pura, denique bulliendo cum ſpiritu vini tractatus, et hoc defuſo exſiccatus, ſatis ſic ſimilis *Arcano corallino* (Pharmacop. Wirtemb. II. p. 26).

Turbith

Turbith minerale rubrum Zwelfferi (JÜNGKEN corp. pharmac. p. 300) parum ab hoc puluere abludit, niſi velis, vini ſpiritum deflagrare.

Mercurius praecipitatus antiuenereus (J. HARTMANN apud O. CROLL l. c. p. 203. 204.), non eſt, niſi mercurius praecipitatus ruber, primo aqua calida ſaepius affuſa omni acrimonia orbatus, poſt ter oleo, quod vocant tartari per deliquium, ablutus, humore ſemper per diſtillationem iterum expulſo denuo aquae calidae ope ab omni ſale liberatus, ſepties cum albumine ouorum tractatus, humore iterum per diſtillationem exutus, denuo aliquoties aqua calida ablutus, et ſepties affuſo, ſepties per diſtillationem iterum expulſo, denique accenſo vini ſpiritu exſiccatus. Granorum trium et quinque adeo pondere cum ſcammoneo aut ſucco liquiritiae coniunctus, lui venereae et hydropi ab HARTMANNO oppoſitus.

Aurum horizontale, *Turpethum minerale* (ZWELFFER mantiſſ. ſpagyr. p. 358); PARACELSUS et HELMONTIUS ita parandum praeceperunt, vt mercurio praecipitato rubro infunderent multoties aquam regis, eaque per diſtillationem iterum ſegregata, tandem cum ſpiritu vini puriſſimo digererent (MARCGRAF Collect. chym. Leydenſ. 1696. 4. c. 124. p. 107. PENICHER Collect. pharmaceut. p. 175).

Mercurius auratus (*Angelus Sala* ſept. planet. terreſtr. ſpagyric. recenſ. op. p. 207. 208.), non eſt niſi mercurius praecipitatus ruber, primo cum ſale tartari permiſtus, tum aquae diſtillatae ope ab omni ſale liberatus, denique cum ($\frac{3}{14}$) auro diaphore-

phoretico et ($\frac{3}{14}$) marte rubificato combinatus, vermibus et veneno venereo aduerſus.

Guttae Lamottianae (ASTRUC l. c. L. II. c. 7. p. 147.), *Gouttes du Géneral Lamotte*, laetiſſime purpureae, non videntur eſſe niſi laruata quaedam mercurii praecipitati rubri vel cinnabaris in liquore acri ſolutio, cuius guttae aliquot, infuſo foliorum theae v. gr. inſtillatae, per menſem vnum aut duos continuos quotidie ſorbentur.

Elixir antiſiphyliticum (BOUEZ DE SIGOGNE methode nouvelle pour guerir les maladies vénériennes, beaucoup plus ſûre, et plus aiſée, qu' aucune de celles, qui ont été en uſage jusqu' ici &c. à Paris. 1722. 12.), cuius mane et veſperi aliquot guttas cum infuſo calido theae ſumi iubet modo nominatus autor, parum abludere videtur ex ſententia Cl. ASTRUC (l. m. c. L. VI. p. 613) a guttis Lamottianis, pariter rubicundum.

Mercurius ſolubilis (HAHNEMANN *chemiſche Annalen.* 1790. Vol. II. p. 22.) nigerrimus, quem tamen colorem diu aſſeruatus in canum mutat, et, ſi praeſcriptae a Cl. HAHNEMANNO leges religioſe ſeruentur, a ſalis communis perinde ac a vitrioli acido liber, hinc mitis, inſipidus, et ſine violentia efficax, neque vomitum neque alui fluxum, neque alia in ventriculo atque inteſtinis incommoda ciens, facilius aequabiliter cum aliis, praeſertim pinguedinibus permiſcendus, hinc certius, ſi in iſto conſortio extrinſecus adhibeatur, reſorbtus, atque aequabiliores effectus exſerens, bulliente aceto et ipſis humoribus animalibus totus ſoluendus, ex aqua forti

forti puriſſima per ſpiritum ſalis ammoniaci cauſticum puriſſimum praecipitatus, ablutus, atque ſine calore exſiccatus.

Interno potiſſimum vſu conducit in phimoſi, vlceribus genitalium cancroſis, adſtipulante quoque, qui in tribus hominibus eius periculum fecit, Ill. MOENCHIO (*ſyſtematiſche Lehre von Arzneymitteln &c.* Ed. 3. p. 226), et Cl. HUFELAND (apud C. CHR. G. AMELUNG diſſ. de mercurio ſolubili Hahnemanni. Ienae. 1792. 4. §. 16. p. 20-24), aliisque ex eodem fonte natis (Ill. BUCHOLZ apud AMELUNG l. m. c. §. 19. p. 25. 26. et HUFELAND ibid. p. 20), in gonorrhoea (AMELUNG l. m. c. p. 18-20. 24. 25. §. 14. 15. 18.) et fluore albo (Ill. BUCHHOLZ l. m. c. p. 25-28. §. 19. 21.), bubonibus, teſtibus tumentibus atque induratis, aliisque eiusmodi malis, a cauſſa venerea ortis, et in lue venerea ipſa, conſentientibus quoque Ill. FRITZE (*kliniſche Annalen.* Heft I. p. 108) et LA FONTAINE (*mediciniſch-chirurgiſche Abhandlungen.* Breslau und Leipzig. 1791. p. 139), opii tertia parte temperatus, et liquiritiae vel ſacchari puluere edulcatus, primo die dimidii vel integri grani pondere, quotidie medio grano aucto, vt ſenſim grana quinque propinentur, et primi ſaliuae largius promanaturae praenuncii compareant, exhibitus (HAHNEMANN *Unterricht für Wundärzte über die veneriſchen Krankheiten nebſt einem neuen Queckſilberpräparate.* Leipzig. 1789. 8.). Vomitum excitaſſe comperit Ill. HILDEBRANDT (dulcis mercurii laudes. Erlang. 1793. 8. p. 33).

VII. *Calces mercurii praecipitatae, quibus ſalini aliquid adhaeret, potentiam earum augens, Mercurii praecipitati plurimi.*

A mox praecedentibus medicamentis mercurialibus eo diſtinctae, quod ſemper adhaerentem ſibi habeant ſalis cuiusdam particulam, eam tamen adeo exilem, vt ea intercedente nequaquam ſolui penitus aqua poſſint, qua quidem nota à ſalibus mercurialibus mirifice diſcrepant; aliae lenius, aliae violentius efficaces.

Mercurius praecipitatus albus, *Mercurius coſmeticus*, *Lac mercuriale*, *Calcinatum maius Poterii*, *Panacea mercurii albi vulgaris* (J. HARTMANN prax. chymiatric. Genev. 1682. 8. p. 16), *Praecipitatus communis* (SCHROEDER l. c. p. 394), *Praecipitatum album*, *Catharticum mercuriale*, et, ſi aqua calida elotus ſollicite fuerit, *Manna mercurii*, albus, nitoris omnis expers, mediae inter mercurium ſublimatum corroſiuum et dulcem efficaciae, nitri acido ſoluendus, praeter acidi nitroſi veſtigia (T. BERGMAN Kongl. Svenſk. Vetenſk. Acad. Handling. ad ann. 1769. §. XVIII.), ſalis communis acidum mercurio coniunctum continet, minorem quidem, quam mercurius corroſiuus, maiorem tamen, quam mercurius dulcis, eius portionem, et ſoluto per aquam fortem argento viuo donec non amplius inde turbetur, muriam ſalis communis inſtillando, praecipitatus, eo quod cum ferri ſcobe vaſis clauſis igni violentiori expoſitus, argentum viuum largiatur, ferrum ſalis communis acido vnitum relinquat, et prunis inſperſus totus

auolet,

auolet, facile ab aliis materiis candore et externa facie illum aemulantibus, dignoſcendus.

Non raro autem adulteratur (DOSSIE *geöffnetes Laboratorium überſetzt von* G. H. KOENIGSDOERFFER. p. 205), quae fraus facile detegitur, quum genuina merx vaſis clauſis violentiori paulo igne agitata nihil, corrupta autem aliquid relinquat, quod indolem intermiſtae materiae manifeſtat; eſt autem illa potiſſimum vel amylum, quod, praeterquam pondus ſpecificum mercurii praecipitati albi mirifice minuit, carbonem relinquit, vel creta (MOENCH l. m. c. p. 226), quae violenta cum acidis efferueſcentia facile ſe prodit, ceruſſa, quae ſi mercurius praecipitatus albus cum cineribus clavellatis et pauco carbonum puluere terendo permiſtus ignis vim experiatur, plumbi metallici ſpecie ſupereſt, ſcoriae ſalinae innidulantis.

Ob acrimoniam ſuam externo potiſſimum inſeruit vſui, rarius cum aqua (v. gr. in aqua coſmetica Mynſichti JÜNGKEN corpus pharmac. p. 179. a.) permiſtus, vtplurimum vnguenti forma adhibitus, tam ad tumores induratos, praeſertim tophos venereos emolliendos, qui eo pannis calidis excepto fricantur, vlceribus oculorumque morbis venereis ſanandis, quam (BARCHUSEN pyroſophia. Lugd. Bat. 1698. 4. p. 187) ad ſcabiem, etiam inueteratam et rebellem, herpetem miliarem, ſerpiginem, puſtulas faciei (ideo *coſmeticus* appellatus), lichenes (BELL a treatiſe on the theory and management of ulcers. Edinb. 1778. 8.), aliaque id genus cutis vitia, quamuis non venerea, conſentiente quoque

N. D. FALCK (l. c.), tollenda, non neglectis tamen, ſi quidem ex interna cauſſa proueniunt, interNIS medicamentis. Ita J. ZELLERUS (*Vnguentum ad ſcabiem Zelleri* Pharmac. Wirtemb. II. p. 231. b.) cum ſeptem vel octo partibus vnguenti roſati (cuius loco vnguentum quoque pomatum, vel alia pinguedo recipi poteſt) ſubactum feliciſſimo cum euentu ſcabiei, etiam ferinae, oppoſuit, qua affectas partes drachma eius quotidie inungi imperauit, confirmante eximiam hanc efficaciam (*Vnguentum mundificans Zelleri* Pharmac. rational. p. 353), B. WERLHOFII (Commerc. litterar. Noric. 1735. p. 100 ſq.) et Ill. BALDINGERI (hiſtor. mercur. medic. Caſſel. 4. 1785. p. 13), et, oleo, quod appellant, tartari per deliquium, adiecto, LANGII (miſcell. veritat. medic. faſc. 1. p. 6.) experientia; eo additamento auctum efficax quoque in vlceribus ſordidis inuenit hoc vnguentum Cl. LANGE.

Eodem vnguento, ſimplici ſcilicet, R. LENTILIUS (Miſcellan. medico-practic. p. 107), Ill. BALDINGER (l. m. c. p. 13) et B. Collega J. A. MURRAY (de medendi tineae capitis ratione paralipomena. Goetting. 4. 1782. p. 14. 15.) tineam capitis feliciter oppugnarunt.

Simile linimentum, duodecimam tamen modo mercurii huius praecipitati partem recipiens Immort. BOERHAAVIUS (Elem. Chem. T. II. p. 483. 484.) inſectis cutaneis eradicandis, ſcabiei, vlceribus faciei et malignis aliarum quoque partium ſanandis aptiſſimum expertus eſt; minore quoque mercurii huius praecipitati portione dotatum cutis

vlcuſcu-

vlcuſculis ſcabioſis eiusque madori, in infantibus pone aures ſaepius obuio, fauſto ſucceſſu oppoſuit; CHALMERS (Account of the weather and diſeaſes of South-Carolina. I. p. 96 ſq.), cum argenti viui portione ſubactum, adhibitis ſimul fonticulis atque internis medicamentis tineae. Vnguentum ex tribus vnguenti pomati partibus et vna mercurii praecipitati albi compoſitum (l. c. I. p. 452), ſiquidem noſtrum hunc velit (v. L. I. p. 352. 381.), in cutis morbis venereis imperat Ill. GIRTANNER.

Similiter ad oculorum inflammationem ſcrophuloſam ſanandam vertici illini iubet vnguentum ex mercurio hoc praecipitato et aequali lactis ſulphuris portione et ſedecim (ratione mercurii) axungiae porcinae partibus conflatum ROWLEY (treatiſes on one hundred and eighteen principal diſeaſes of the eyes and eyelids. Lond. 1790. 8.).

Mercurium praecipitatum album, primo cum aceti lithargyrii partibus tribus commixtum, et diſſipato omni humore cum aequali axungiae porcinae copia in vnguentum redactum, in ſcabie et herpete miliari multum praedicat MAETS (Collectan. chymic. Leidenſ. p. 109); eodem cum octo partibus vnguenti e ceruſſa albi ſubacto tineam crebro ſanauit FR. HOME (Clinical experiments, hiſtories and diſſections. Lond. 1781. 8.). *Vnguentum* aliud ad *ſcabiem* (Pharmac. Wirtemb. II. p. 230. 231.) pariter praeter ceruſſae quadruplam copiam ($\frac{1}{49}$) mercurium praecipitatum album recipit. *Linimentum mercuriale pſoricum*, quod in ſcabie praeſtantiſſimum expertus eſt DOSSIE (Theory and practice of

chirurgical pharmacy. London. 1761. 8. p. 265), perinde ex mercurio praecipitato albo cum olei oliuarum partibus duodecim et cerae albae partibus quatuor; aliud *Vnguentum e mercurio praecipitato* (New diſpenſ. p. 639) ex eodem mercurio praecipitato albo et tripla magiſterii ſulphuris portione cum vnguento ſimplici ſubactis conflatur.

Eodem mercurio praecipitato cum ſabinae puluere iuncto oſſis tibiae tumorem feliciter ſanauit L. ROBERG (de foeda lue dicta venerea. Vpſal. 1700. 4.).

Quamuis ſuſpectum (J. FR. CARTHEUSER et CHR. C. GULDE l. c.) aut periculoſum valde (G. UCAY, YV. GAUKES, BOSCHETTI, BAUMLER ll. cc., GIRTANNER l. c. I. p. 381) pronunciarent alii mercurii huius praecipitati albi vſum internum, alii (v. gr. AD. MURRAY et P. DUBB l. c.) ob leuiorem acidi et metalli vnionem mercurio ſublimato corroſiuo inferiorem haberent, alii v. gr. NABOTH (apud FR. HOFFMANN medic. ration. ſyſtemat. II. p. 265) et J. PALMARIUS (de morbis contagioſis l. de hydrargyro c. 6.) interfectos hoc vſu homines referant, multi tamen e. gr. TURQUET DE MAYERNE, DE LE BOE SYLVIUS, RAUCH (ll. cc.), J. HARTMANN (praxis chymiatrica p. 16), M. FR. FRIESS et J. F. ORTLOB (diſſ. de ſaliuatione. Lipſ. 1684.), HARVY (ap. D. TURNER l. c.), J. FR. HERRENSCHWANDT (diſſ. de hiſtoria mercurii medica. Lugd. Bat. 1737.), C. FR. HUNDERTMARCK et C. BERGMANN (de mercurii viui et cum ſalibus varie mixti ſumma in corpus humanum vi atque efficacitate &c. Lipſ. 1754.), GAR-

DANE

DANE (recherches pratiques &c.) non tentarunt modo, ſed ſecundo ſucceſſu eximiam eius vtilitatem edocti commendarunt. Ad expellendos ex inteſtinis vermes multum conferre iam docuit MAYERNE (prax. l. 3. c. 4.). Cum tribus gummi ammoniaci partibus in pilulas redactum, quarum ſingulis mane et veſperis tres ſcrupulum pondere aequantes, recipi imperat, donec halitus foetere incipit, in ſanando morbo venereo omnibus aliis ex mercurio paratis medicinis praefert H. OVERCAMP (van de natuur der fermentation en deſſelfs effecten in't menſchelyke ligham. Amſterdam. 1681. 4. et alle de medicinale, chirurgicale en philoſophiſche Werke. Amſterdam. 1694. 4.), quamuis cum iudicio, tuto tamen exhiberi ANGELUS SALA (ſynopſ. aphoriſm. chymiatr. Sect. II. aph. XXXIV. p. 261); praeter mercurium dulcem medicando eidem morbo aptiſſimum eſſe ſubſidium enunciat H. BOERHAAVE (tr. medico-practico de lue venerea. Lugd. Bat. 1751. 4.), qui quoque cum tribus ſacchari partibus permiſtum *panaceae mercurialis* nomine dignum putat, tuto efficacem, ieiuno adulto eo conſortio ſtipatum ad nouem grana exhibitum, aluum mouere, leuiter vomitum, repetito aliquoties vſu blande ſaliuam, pituitam ſoluere, gonorrhoeam, ſcabiem, vlcera venerea ſanare expertus eſt (Elem. Chem. II. p. 483). Ipſe G. van SWIETEN (l. c. V. p. 532. 533.) cum dupla ſacchari portione terendo miſtum quatuor circiter granorum aut paulo minori pondere aegrotis venerea labe infectis egregio cum euentu ter vel quinquies per diem propinauit, praeſcripto inſuper, vt vomitum,

 alui

alui fluxum, tormina praeuerteret, aquae corticum citri laudano puro (grana huius duo ad vncias illius quatuor) conditae cochleari. Eodem mercurio praecipitato albo, primo vnius, ſenſim duorum granorum pondere exhibito cum ſaccharo permiſto lente quidem, at penitus tandem ſuperauit cariem oſſium B. FUUN (Verhandelingen uitgegeeven door de Hollandſe Maatſchappy der Weetenſchappen te Haarlem. 8. P. II. 1755. art. 15. p. 388 ſq.). Exactiſſima lotione eundem, qui alias ad indolem mercurii ſublimati corroſiui accedat, mercurio dulci magis ſimilem reddi aſſeuerabat J. R. SPIELMANN et J. FR. EHRMANN (l. c. §. VII. p. 12); igni commiſſum et fiſtula vitrea perpetuo agitatum adeo miteſcere, vt nec vomitum, nec aluum, vix ſaliuam cieat, H. BOERHAAVE (l. m. c. p. 484); in phiala per arenam ſublimatum tantopere cicurari, vt aluum modo moueat, J. VESTI et G. G. ECKMANN (l. c. §. IV. p. 9). Sublimatus et fecibus abiectis aqua diſſolutus, et denuo ſublimatus *aquilam caeleſtem* exhibet, J. BEGUINO (Tyrocin. chemic. c. 18. p. 338. 339.) *Manna mercurii* quoque dictam.

Mercurius gryſeus (J. HARTMANN ap. O. CROLL l. c. p. 205), mercurius praecipitatus albus (vel flauus) aqua roſarum ſollicite elotus, exſiccatus, optimo vini ſpiritu irroratus, cum aequali ſpiritus vini et camphorae portione permiſtus, et priori per lentam diſtillationem iterum orbatus, quem trium imo ſex granorum pondere extracto theriacae miſtum aluum mouere, et ſex ante exacerbationem horis ſorptum febres pellere, in epidemicis potiſſi-

potiſſimum, et primario in peſte et ſudore anglico conducere perhibet J. HARTMANN.

Mercurius dulcis (SCHEELE Kongl. Svenſk. Vetenſk. Academ. Handling. ad ann. 1778. p. 70-73). Quemadmodum maiori acidi muriatici copia per praecipitationem ſimul argento viuo inſinuata ſedimentum delabi ad mercurium ſublimatum corroſiuum album propius accedens per experimenta oſtenderunt Viri Clariſſ. MONNET (ibid. Vol. 32. p. 104) et RETZIUS (ibid. p. 113), ita mercurii ſolito maiori portione caloris bullientis auxilio in aqua forti (aequali copia) ſoluta, et feruidae ſalis communis (ratione mercurii = 9 : 12) muriae ſub perpetua agitatione intermiſta, ſedimentum deiici, miti indole, et partium, quibus conſtat, inter ſe ratione mercurio ſublimato dulci adeo eſſe ſimile, vt, ſollicite, donec aqua feruida nullum amplius ex eo ſaporem contrahat, elotum, a medicis quoque mercurii ſublimati dulcis in locum ſubſtitui queat, ſibi perſuaſit (l. m. c.) B. SCHEELE, aſſentientibus, ſi praeſertim ſublimatio accedat, GOETTLINGIO (*Verbeſſerung. pharmac. chem. Operationen &c.* p. 88), et immutata pauliſper operandi ratione DELKESCAMPIO (*chemiſche Annalen.* 1788. II. p. 501), ipſoque HERMSTAEDTIO (apud Ill. SELLE *neue Beyträge zur Natur- und Arzneywiſſenſchaft.* III. p. 57), medicorum tamen ſuffragio hactenus non ornatus, niſi velis, a Cl. SCHWEDIAUER (l. c.) purgandi ſcopo fuiſſe commendatum.

Mercurius praecipitatus albus (New diſpenſ. p. 520. Pharmacop. Edinb. p. 100), *Mercurius praeci-*

praecipitatus albus dulcis, puluis albus ex ſoluto per aquam calidam mercurio corroſiuo albo ope ſpiritus ſalis ammoniaci praecipitatus, vtique mercurio praecipitato albo prius memorato mitior, cum aut nullum plane contineat vel nitri vel ſalis marini acidum, vel pauciſſimum, idque per alcali ſalis ammoniaci cicuratum, interno vſu magis tutus, externo minus efficax, aſſeruatus facile in colorem ochroleucum vergens.

Mercurius praecipitatus albus (New diſpenſ. p. 521. Pharmac. ſuec. p. 75), et *Praecipitatus albus* S. CLOSSAEI *vomitiuo-catharcticus* (SCHROEDER (l. c. p. 394), *Mercurius praecipitatus* (Pharmacop. ruſſic. p. 99. 100), paratus ex mercurio ſublimato corroſiuo albo vna cum aequali ſalis armoniaci portione aqua diſſoluto, cui, donec nihil amplius decidat, lixiuium cinerum clauellatorum vel lignorum inſtillatur, quod, alcali volatile ex ſale ammoniaco extricando, huius vi puluerem album praecipitat, aqua puriſſima multoties eluendum. Indole, partium, quibus conflatur, inter ſe ratione, et efficacitatis gradu omnino ſimilis mox praecedenti.

Mercurius praecipitatus albus (Pharmac. rational. p. 213), quum inſtillata ſalis communis muria neutiquam omne argentum viuum praecipitari ex aqua forti poſſit, vt ne portio adhuc in ſupranatante liquore haerens pereat, alii hanc ſpiritu ſalis ammoniaci infuſo deturbari, alii mox ab initio muriae ſpiritum hunc adiici, Caſſellani medici praecipitationem, per mixtum cum dimidia portione ſalis tartari et aqua ſolutum ſalem ammoniacum

niacum peragi, et, ne quid remaneat, donec non amplius turbetur liquor, oleum, quod vocant tartari per deliquium, infundi iubent, ea ratione vtique maiorem mercurii huius praecipitati albi copiam impetraturi, eius tamen efficacitatis certe gradu a praecedentibus diſcrepantis, quum ex mercurio praecipitato albo ad veterum normam fabricato, et altero per alcali volatile praecipitato componatur, mediae igitur potentiae.

Mercurius cinereus Blackii, *Hydrargyrum nitratum cinereum* (SCHWEDIAUER l. c. p. 179). *Puluis mercurii cinereus* (GIRTANNER l. c. l. p. 353. 383. 453.) naſcitur, quando argentum viuum per ſpiritum ſalis ammoniaci efferueſcentem ex aqua forti praecipitatur, aqua diſtillata eluitur, et ſiccatur, ab Ill. GIRTANNER (l. m. c. p. 383) et Cl. SCHWEDIAUER (l. c.) inter optimas ex hydrargyro paratas medicinas relatus, qui mane et veſperi grani vnius pondere, vel cum conſerua roſarum in pilulas cinnamomi puluere conſpergendas redactus grani primo vnius, aut duorum, ſenſim ſex pondere in lue venerea exhibetur.

Turbith nigrum parum a puluere mercurii cinereo diſcrepans, colore tamen multo obſcuriore et defectu acidi aërei, quum praecipitando argento viuo adhibeatur ſpiritus ſalis ammoniaci cauſticus, propius ad mercurium accedens, quem ſolubilem appellare geſtit Cl. HAHNEMANN, in quo parando maiorem omnino curam tum ſaturando nitri acido, tum alcali volatili ab omni ſalis acido liberando impenditur.

Mercu-

Mercurius praecipitatus fuſcus (New diſpenſatory p. 522), *Praecipitatus luteus* (J. HARTMANN apud O. CROLL l. c. p. 205), a WURTZIO, qui crebro eo vſus eſt, multis cognominatus, paratur argentum viuum ex aqua forti per lixiuium cineruum clauellatorum vel oleum tartari per deliquium praecipitando, ſollicite ſedimentum lauando ac ſiccando, ex luteo fuſcus, mitis, vt granorum ſex et decem adeo pondere deglutitus aluum tantummodo mouere feratur, haud ita pridem in lue venerea medicanda multum vſitatus.

Praecipitatus luteus diaphoreticus (J. HARTMANN apud O. CROLL l. c. p. 203) conficitur, mercurium ſublimatum corroſiuum album ſoluendo aqua feruida, inſtillando huic, donec nihil amplius praecipitet, tartari, quod vocant, oleum per deliquium, liquore defuſo ſedimentum luteum, recenti ſemper aqua, donec nullum amplius ex eo ſaporem contrahat, lauando, et lento igne ſiccando. Granorum quinque vel ſeptem pondere bis in ſeptimana cum theriaca aut mithridatio exhibitus obſtructa viſcera reſerare, et ad icterum inprimis ſanandum multum facere fertur.

Mercurius deiectorius (ANGELUS SALA exegeſ. chymiatr. op. p. 756), *Flores argenti* aliis, paratur cryſtallos hydrargyri nitrati oleo tartari per deliquium irrorando, donec nulla amplius exſurgat ſpuma, liquorem per filtrum traiiciendo, quod in filtro remanet, aqua diſtillata eluendo, per aliquot dies cum aceto digerendo, et defuſo aceto denuo lauando et ſiccando. Granorum duorum

ad

ad ſex vsque pondere propinatus leniter aluum mouere fertur.

Mercurius dulcificatus (ANGELUS SALA ſept. planet. terreſtr. ſpagyric. recenſ. p. 209), eſt ſpecies mercurii praecipitati albi, per ſalem armoniacum ex aqua forti praecipitata, ſollicite elota, cum aceto lithargyrii permiſta, et humore per diſtillationem omni expulſo, cum calce plumbi permiſta, ANGELO SALAE, poſtquam cum aequali ſucci mercurialis inſpiſſati portione et ſeptem partibus vnguenti roſati in vnguenti (*Vnguentum mercuriale*) formam redegerat, in ſananda ſcabie, puſtulis, vlceribus venereis aliisque mali moris familiaris.

Praecipitatus correctus (SCHROEDER l. c. p. 394) conficitur, mercurium praecipitatum bulliente aceto diſſoluendo, et ex hoc per oleum tartari per deliquium iterum praecipitando.

Puluis roſae vitae (ANGELUS SALA Oper. p. 851-856), *Mercurius incarnatus praecipitatus* (J. HARTMANN l. m. c. p. 205), dilutiſſime roſeus, per vrinam eiusque ſalia, ea potiſſimum, quae phoſphori, ſalis communis aut acetoſellae acidum continent, ex aqua forti praecipitatus, qui cum cura elotus granorum ſex ad decem vsque pondere ingeſtus per inferiora tantum purgare perhibetur.

Mercurius phoſphoratus, *Mercurius phoſphoreus*, *Sal phoſphoricum mercuriale*, *Hydrargyrum phoſphoratum*, *Phoſphoras mercurii*, albus, aqua vix diſſoluendus, in aëre immutatus perſtans, inſtillando aquae forti hydrargyrum continenti

phoſphori

phoſphori acidum, aut ſal quoddam medium acidum illud continens, aqua ſolutum, donec nihil amplius delabatur, praecipitatus, ſollicite ablutus, et ſiccatus (HAGEN *Lehrbuch der Apothekerkunſt.* Königsberg. 8. Ed. 4. Vol. II. 1792. p. 309. ANONYMUS *in Journal der Erfindungen, Theorien und Widerſprüche in der Natur- und Arzneywiſſenſchaft.* Gotha. 8. faſc. II. 1793. p. 45. J. B. TROMMSDORFF *Journal der Pharmacie für Aerzte und Apotheker.* Leipzig. 8. Vol. I. P. I. 1793. p. 97. GOETTLING *Taſchenbuch für Scheidekünſtler und Apotheker.* 1794. p. 149. 184.), MARCGRAFIO (*Chem. Schrift.* Berlin. 8. P. I. 1761. p. 54) et T. BERGMANNO (comm. de attractionibus electiuis opuſc. phyſicor. et chemic. Vol. III. 8. Lipſ. 1788. p. 454.) cognitus, ex hydrargyro iterum et phoſphori acido conflatus, nuperius demum medico vſu venit, Viris clariſſimis BALDINGERO et GIRTANNERO (ll. mm. cc.) praeteruiſus, a Cl. SCHWEDIAUER (l. c.) et NISBETT (*Abhandl. über die Luſtſeuche überſetzt von* D. C. F. MICHAELIS. Lipzig. 1789. 8. p. 301), obiter modo memoratus, primo publicas in lue venerea laudes obtinuit ab arcanorum venditore J. S. MITTIE (Etiologie nouvelle de la ſalivation, ou explication de la maniere, dont le mercure fait ſaliver. à Montpell. 1777. 8. et obſervations ſommaires ſur les traitemens de maladies veneriennes, particulierement avec les vegetaux. à Paris. 1779. 8. MACQUER journal des ſavans. Febr. 1781.), confirmatas obſeruationibus ANONYMI modo laudati (l. c.) et J. FR. SCHMIDT (diſſ. hydrargyri phoſphorati hiſtoria chemica et vſus medicus. Erford. 1794. 4. p. 19-23), qui grani

dimidii

dimidii vel integri pondere bis quotidie ingeſto, ſaccharo et aromatibus condito, non luem veneream modo ipſam, adeo inueteratam et refractariam, et oſſium, glandularum, cutis morbos, ex eadem cauſſa progenitos, ſed alia quoque cutis vitia chronica, et ipſos morbos rheumaticos et arthriticos diuturnos ceſſiſſe, expertos ſe eſſe profitentur, neque tamen negant, in aegris nonnullis, ſaliuae profluvium, doſi imminuta euitandum, nauſeam et vomitum, cinnamomo aliisue aromatibus additis auertendum, eius vſum fuiſſe ſecuta.

Sal ſedatiuus mercurialis (MONNET traité de la diſſolution des metaux p. 328), ſoluto per aquam fortem mercurio boracem aqua ſolutum infundendo praecipitatus, flauus, ad aerem pauliſper vireſcens, difficilime aqua ſoluendus (T. BERGMAN de attractionibus attractiuis §. 21. Nov act. ſoc. reg. ſcient. Vpſal. Vol. II. p. 210), ignis vi ſublimatus, aurantium colorem adſciſcens (WENZEL *Lehre von der Verwandſchaft &c.* p. 362), medicis quoque commendatus a CROHARÉ (apud ROZIER obſervations de phyſique &c. T. IX. p. 348. et T. X. p. 411), et externo iam vſu, ſi ſcilicet per frictionem applicatur, in morbo venereo ſanando efficax (CROHARÉ l. m. c. CHAUSSIER ibid. T. VI. p. 351. et T. IX. p. 346 et 352).

Mercurius benzoinus (TROMMSDORF *chemiſche Annalen.* 1790. Vol. II. p. 309. 310.), ſiue ſolutos in aqua diſtillata benzoës flores ſoluto per aquam fortem argento viuo inſtillando, et praecipitatum inde ſedimentum aqua frigida eluendo, ſiue mercurium

curium praecipitatum fuſcum cum floribus benzoës et aqua coquendo, et humorem omnem leni calore expellendo paratus, albus, nitens, ad aërem non mutabilis, aqua difficilime, paulo facilius vini ſpiritu ſoluendus, igne aperto totus auolans, a Cl. TROMMSDORF (l. c.), amplius adhuc MITTIE (l. c.) medicis commendatus.

Mercurius praecipitatus flauus, *Mercurius emeticus flauus*, *Turbith vel Turpetum minerale*, *Mercurius praecipitatus* (O. CROLL l. c. p. 194), *Mercurius laxatiuus* (J. HARTMANN prax. chymiatr. P. I. tr. 3. cathart. miner. nr. X.), iam BASILIO VALENTINO aut quisquis librorum eo nomine inſcriptorum autor fuerit, (*Schlußreden.* Hamburg. 1700. 8. p. 378.) et PARACELSO (Chirurgia magna cur. J. D. O. FRANCI. Argent. 1573. fol. T. III.) cognitus, ſiue argentum viuum cum vitrioli, quod appellant (SCHROEDER l. c. p. 393), vel ſulphuris (idem l. c. p. 392) oleo coquendo, maſſam albam, quae ſicca remanet, in tenuem pollinem comminutam in aquam coniiciendo, puluerem flauum delabentem, defuſa aqua limpida, ſollicite lauando et ſiccando, ſiue ſoluto per aquam fortem argento viuo vitrioli acidum (SCHROEDER l. c. pag. 395), aut ſolutum in aqua tartarum vitriolatum (POTT miſcellan. Berolinenſia. Tom. V. pag. 91.) inſtillando, et ſedimentum inde praecipitatum aqua feruida eluendo, ex mercurii calce, et, niſi ſumma cum cura et repetitis conatibus elotus fuerit (MONNET traité de la diſſolution des métaux. à Amſterdam et Paris. 1775. 8. p. 310. BAUMÉ chymie

experi-

experimentale et raiſonnée. II. p. 403), parciſſima acidi vitrioli portione (ROUELLE Memoir. de l'Acad. des ſcienc. à Paris. ann. 1754. p. 882 ſq. BAYEN journal de phyſique. 1777. T. VI. p. 487. SPIELMANN et EHRMANN l. c. p. 8. M. LANDRIANI opuſc. fiſico-chimici. Milan. 1781. 8. p. 160-164. SCOPOLI dittionar. chemic. di MACQUER. Turpetho. MOENCH l. m. c. p. 238. E. G. H. ARZT *Verſuch einer ſyſtematiſchen Anordnung der Gegenſtände der reinen Chemie.* Leipzig. 8. 1795. p. 167.) conſtans, ignis vehementioris vi aeque ac a lixiuio cauſtico rubeſcens, ponderoſus, quum interno vſu et animalibus necem inferat (HILLEFELD experimenta quaedam circa venena. Goett. 1760. p. 61), et hominibus horrenda tormina, violentos vomitus, alui profluuia, anxietates, internarum partium ſpaſmos (FR. HOFFMANN medic. ration. ſyſtemat. Tom. II. p. 260. HELLWICH Miſcellan. Acad. Caeſar. Natur. Curioſ. Dec. III. ann. 8. J. VESTI et G. G. ECKMANN l. c. §. XII. p. 21. 22. ANT. DEIDIER conſultations et obſervations medicinales. à Paris. 1754. 12. Vol. III.), colli, capitis, oris tumorem atque inflammationem lethalem (CHR. G. STENZEL de mercurio dulci praeſtantiſſimo pituitae reſoluendae et euacuandae remedio. Vitemb. 1742. 4. p. 4. 5.), interdum intolerabiles artuum dolores, malleolorum vlcera, rigiditatem brachiorum, atrophiam ipſam, et facilius aliis ex argento viuo paratis medicinis ſaliuae fluxum creaſſe, ex multis medicorum periculis pateat, multis interno vſu (J. VESTI et G. G. ECKMANN l. m. c. p. 19. 22. J. F. CARTHEUSER et CHR. C. GULDE, AD. MURRAY et P. DUBB ll. cc.

HAHNEMANN apud MONRO l. c. I. p. 254. MOENCH l. m. c. GIRTANNER l. c. I. p. 383. 384.) deteſtatus, aliis non vnguenti modo forma in fiſtulis aliisque vlceribus malignis et foetidis expurgandis (O. CROLLIUS l. c. p. 199. et apud eum J. HARTMANNUS p. 207), aut emplaſtri (*Emplaſtrum* ad tophos venereos diſſoluendos JÜNGKEN l. c. p. 635. a.), aut ptarmici ſpecie (R. BOYLE teſte BOERHAAVIO elem. chem. II. p. 490. WARE Memoir. of the medical ſociety at London. Vol. III. 1792. n. 15.) aliis, et potiſſimum puluere nicotianae vulgato temperatus, ad ſanandam guttam ſerenam commendatus, et egregio cum ſucceſſu adhibitus, ſed intus quoque granorum paucorum (1 - 6) pondere conſeruae aut electuario intermiſtus, in lue venerea (BASILIUS VALENTINUS l. m. c. PARACELSUS Chirurg. magn. P. III. O. CROLLIUS l. c. p. 199. et apud eum l. c. p. 207. J. HARTMANNUS, TH. ZWINGER Conſilior. et epiſtolar. medicinal. J. CRATONIS a KRAFTHEIM L. II. oper. L. SCHOLZII. L. II. Francof. 1592. p. 275. GUIL. CLOWES brief and neceſſary treatiſe touching the cure of the diſeaſe now uſually called lues venerea. London. 4. Ed. 3. 1637. J. KORNTHAUER comment. ad PARACELSI tract. de peſte. Francof. 1622. 4. J. SCHMIDT *Spiegel der Wundarzney*. Ulm. 1656. 4. p. 484. FR. GEACH l. c.), in gonorrhoea (R. MURDOCH diſſ. de gonorrhoea. Edinb. 1754.), in vlceribus venereis (O. CROLLIUS l. m. c.), exanthematibus venereis (SCHWEDIAUER l. c. c. 13. art. 3. p. 186), tabe venerea (BOERHAAVE l. m. c.), hydrope pertinaciſſimo (O. CROLLIUS et BOERHAAVE ll. mm. cc.), potiſſimum pectoris

(b. GAU-

(b. GAUBIUS apud BALDINGER hiſtoria mercurii medica continuata. Caſſell. 1785. 4. p. 9.), ſcabie (O. CROLLIUS l. m. c.), glandularum morbis obſtinatiſſimis (BOERHAAVE l. m. c.), ictero (O. CROLLIUS l. m. c.), aſthmate (J. HARTMANNUS l. c. p. 206. 207.), podagra (O. CROLLIUS l. m. c. p. 206.) aliisque arthritidis ſpeciebus (B. VALENTINUS l. c.), in tumore genuum enormi arthritico (MICHAELIS apud RICHTER *chirurg. Bibliothek.* Vol. V. 1779. Faſc. 1. p. 118), quin imo in febribus continuis et intermittentibus, pleuritide et peſte (O. CROLLIUS l. m. c. p. 207.) praedicatus.

Etſi facile dem, in aliis horum morborum carere nos poſſe ancipiti hoc medicamento, in aliis ſummum ab eius vſu imminere periculum, robuſtum, quod turbis ab eo excitatis ſatis reſiſtat, poſcere corpus, nec niſi durioribus malis eſſe opponendum, in his tamen cauto vſu, camphora inprimis cicuratum (MALOUIN l. c. II. p. 200), mira aliquando praeſtat, ſummas praeſertim laudes in rabie canina tum brutorum animalium (MELLIN l. c. p. 134) tum hominum promeritum.

Primus, qui in atroci hoc morbo propoſuit, et ſiccis quidem corporibus nocere, phlegmaticis autem tanto melius conducere expertus eſt, eſt R. JAMES (Philoſoph. Transact. Vol. XXXIX. nr. 441. art. VIII. p. 244. Art of curing the madneſs cauſed by the bite of a mad dog. Lond. 1735. 8. New method of preventing and curing the madneſs cauſed by the bite of a mad dog. Lond. 1743. 8. Modern practice of phyſick. London. 1746. 8.

 Treatiſe

Treatiſe on canine madneſs. London. 1760. 8.); iubet autem ille, illito ſimul atque affricto bis per diem vulneri ipſi vnguento mercuriali, prima et altera veſpera turpethi grana tria ad octo, aequali camphorae portione temperata, et cum ſyrupo in bolum redacta, ingeri, elapſis aliquot diebus repeti eandem medelam internam, donec ſaliuam profluxuram eſſe pateat, repeti denuo praenunciis illis ſputi promanaturi euaneſcentibus, et poſt duos tresue dies quotidie ad primam vsque lunae phaſin balneo frigido immergi aegrum, hac praeterlapſa tribus inſequentibus veſperis duo vel tria turpethi grana deglutiri, balnea iterari, eamque medicationem tribus vel quatuor redeuntibus lunae periodis ſimiliter inſtitui.

Plurimos hac medela ſaluatos non JAMES (Philoſoph. Transact. l. c.) modo refert, ſed alii quoque e. gr. SAUVAGES (diſſert. ſur la rage. p. 53. 54. 58. 59.), C. F. KÜHN (nov. act. phyſic. medic. Acad. Caeſ. Leopoldino-Carol. Norimb. 4. T. I. 1757. art. 55. p. 219), DARLUC (Recueil periodique d'obſervations de medecine, de chirurgie, et de pharmacie. à Paris. 8. T. III. 1755. Sept. Sect. I. art. 2. p. 182. et T. IV. 1756. April. nr. 4. p. 258), FALKENER (medical Transactions publiſhed by the college of phyſicians in London. Vol. II. art. 15. p. 221.) et LAYARD, qui tamen monet, irritabilibus et ſpaſmo iam affectis obeſſe (eſſay on the bite of a mad dog. Lond. 1762. 8. c. 3.) teſtantur. Ipſe WERLHOFIUS (apud Ill. J. E. WICHMANN diſſ. de inſigni venenorum quorundam virtute medica. Goetting. 1763.), vnguento mercuriali, cauterio

terio et cucurbitulis extrinſecus ſimul adhibitis, pilulis ex cantharidum grano vno, turpethi grano medio, camphorae granis decem et mucilagine tragacanthae compoſitis, quarum per ſex ſeptimanas continuas quotidie ſex ingeri imperabat, eundem morbum oppugnauit: Incſſum adhibuit J. JOHNSTONE (l. c. p. 299).

Trochiſci tonici mercuriales, *Gâteaux toniques mercuriels* (BRU methode curative de traiter les maladies veneriennes par les gâteaux toniques mercuriels. à Paris. 1789.), miſturam huius turpethi cum mercurio praecipitato albo melli ſaccharo et farinae intermiſtam continere videntur; eſt enim illos parandi ratio, quae ſequitur: Infunditur argenti viui vnciae vncia aquae fortis, atque vt primum illud metalli nitorem amiſit, duae adduntur ſalis communis vnciae; quod in fundum delabitur; ſedimento ſponte ſua iterum diſſoluto omnis humor caloris ope expellitur; quod remanet ſal ſiccum flaueſcens aqua bulliente ſoluitur, humor denuo ignis vi expellitur, et ſalis albidi, quod ſupereſt, drachmae duae ſoluuntur in aquae bullientis libra vna, ſolutioni huic aluminis drachmae tres cum dimidia, pariter aquae libra ſolutae et mellis vnciae duae adduntur, et elapſo menſe (aeſtate dimidio) huius liquoris libra vna et vncia vna cum ſacchari crudi vnciis duabus et farina in paſtam rediguntur, ex qua fiunt trochiſci 240.

Mercurius dulcis, *Mercurius ſublimatus dulcis*, *Mercurius ſublimatus purgans*, *Hydrargyrus muricatus mitis*, *Murias hydrargyri mitis*,

 Pana-

Panacea Quercetani, *Corallinum album Libauii*, *Draco mitigatus*, *Panchymagogum minerale*, *Manna metallorum*, *Aquila alba.* Non dubito huc referre eo nomine a medicis inſignitum medicamen, quippe quod perinde ac reliqua huius ſectionis, modo rite paratum ſit, ſapore caret, et aqua diſſolui renuit, tuta efficacia (G. FR. HILDEBRANDT dulcis mercurii laudes. Erlang. 1793. 8.) omnibus fere reliquis pharmacis ex argento viuo paratis palmam praeripit.

Conſtat quidem mercurius hic dulcis, aeque ac corroſiuus albus, ex ſalis culinaris acido et argento viuo, vt ideo, perinde ac ille igne exagitatus, totus fumi ſpecie auolet, et auro affricatus (BERGMAN de connubio hydrargyri cum acido ſalis. §. XXV. Opuſc. Vol. IV. p. 324, GOETTLING Almanach ad ann. 1792. p. 21), colorem eius non mutet, eo tamen cum diſcrimine (R. KIRWAN *Verſuche und Beobachtungen über die ſpecifiſche Schwere und die Anziehungskraft verſchiedener Salzarten, und über die wahre neu entdeckte Natur des Phlogiſtons, aus dem Engl. überſetzt und mit einer Vorrede verſehen von* D. L. CRELL. Berlin und Stettin. 8. Vol. I. P. 2. 1785. p. 19), vt illius perparum (in 100 partibus 14, easque aqua adhuc temperatas), huius multo maiorem portionem (86), quam quidem mercurius ille corroſiuus, contineat, eiusque partem non penitus calcinatam, quae calcinatio maiorem vtique acrimoniam illi inurit (BERTHOLLET Memoires de l'Acad. des ſciences à Paris ad ann. 1780. Paris. 1784. p. 448 ſq. PH. FR. HOPFENGAERTNER diſſ. exhib. obſeruationes et cogitata circa mercurii cum acido

acido muriatico connubium. Stuttgard. 1792. p. 25), ſed in calcem minus perfectam, aethiopi per ſe dicto aemulam, conuerſam.

Magnum ideo inter vtrumque, ſi externarum dotium rationem habeas, intercedit diſcrimen; pondere ſpecifico multum ſuperat alterum mercurius hic dulcis, ita vt eius pondus, pondere aquae = 1000 poſito, aequale ſit 8235 — 9882 — 12353 (MUSSCHENBROECK elem. phyſic. p. 274.); ſapore omni caret, quo tamen acerrimo pollet mercurius ſublimatus corroſiuus, neque ſalis communis (ALSTRÖMER apud T. BERGMAN de connubio hydrargyri cum acido ſalis. §. XXVII. Opuſc. Vol. IV. p. 326), neque vini ſpiritu ſoluitur, neque aqua, quamuis feruidiſſima, niſi vltra 1200 partes vni eius parti (ROUELLE Memoir. de l'Ac. des ſcienc. à Paris. ann. 1754. p. 882 ſq.) impendas, quam ingreſſus colorem ſyrupi violarum ita mutat, vt ex caeruleo pauliſper in vireſcentem vergat, ab inſtillatis alcalibus non efferveſcit quidem, verum turbatur, et a volatili quidem infuſo opali ad inſtar; facile tamen oliuarum oleum ſubire fertur, et cum tripla eius portione emplaſtri tenacitatem adipiſci (J. G. WALLERIUS l. c. P. II. Sect. III. C. 14. §. 16. art. 10. g.); corroſiuo praeterea ſolidior, et nitore quidem ad metallicum accedente, ſuperior, candore autem et pelluciditate paulo inferior, vt tum interna facie in colorem flaueſcentem vergat, tum tritus aut cultro raſus eum colorem oſtendat, ſolis radiis expoſitus aut lixiuio cinerum clauellatorum expoſitus obſcurum tinctum nanciſcens, citius atque euidentius eam mutationem patiens ab infuſis aut calcis aqua, aut

 aliis

aliis liquoribus alcalinis, poſt primam ſublimationem in tenebris tritus lucet (SCHEELE apud T. BERGMAN l. m. c. §. XXV. p. 324). Cryſtalli eius imbricatim ſibi incumbentes priſmata tetraëdra referunt vtrinque pyramide tetraëdra terminata.

Ex recenſitis his notis ſimul liquet, an genuinus ſit et ſollicite paratus mercurius dulcis. Arſenico corrumpi, eamque fraudem per ducentos fere iam annos in Anglia frequentem occurrere conqueſtus eſt DOSSIE (*geöffnetes Laboratorium &c.* p. 198); ea ratione vitiatam mitiſſimam cetera medicinam intus adhibitam teterrimos progeneraturam eſſe effectus, facile eſt intellectu; at neque difficile eſt ſcrutinium; talis enim mercurius dulcis carbonibus ardentibus vel potius catillo amplo poſtea altero inuerſo contecto ac ſenſim candenti inſperſus fumo aſſurgente allium redolente ſuum prodit arſenicum, tanto certius, quando (DOSSIE l. m. c. p. 199.) cum tertia parte florum ſulphuris, aut (London diſpenſ. p. 517) cum dupla portione fluxus nigri et pauca ferri ſcobe terendo commiſtus antea fuit, qui fumus niſi allium redoleat, niſi in poſteriori experimento liquationis veſtigia in ferri ſcobe compareant, accuſationem hanc iniuſtam eſſe colligas.

Crebrius ſane noxios edit effectus mercurius dulcis, eo quod minus ſollicite et religioſe praeparatus fuit; aut enim, id quod tamen rarius accidit, mercurii pars metallici nitoris tenax et arctius connubium renuens, globulorum minimorum ſpecie, qui lente vitrea certe vſurpari, et numum aureum, cui affricantur, cortice quaſi argenteo obducendo demon-

demonſtrari queunt, maſſae innidulatur, aut pars certe mercurii ſublimati corroſiui, ex quo vulgo mercurius dulcis conficitur, nondum cicurata remanſit, omni nunc maſſae viroſam illam acrimoniam concilians, cuius iſte iam dudum merito accuſatus fuit.

Variis tamen notis hic naeuus manifeſtatur; anceps profecto illa eſt, quae a ſapore deſumitur, quem ſollicite paratus nullum habet; facilior a vini ſpiritu et aqua depromtus; nihil enim ſoluit ille mercurii dulcis religioſe fabricati, etſi per longum temporis ſpatium calore ad ebullitionem vsque aucto cum comminuto mercurio tractatus fuerit, vt ergo pondus mercurii dulcis ab ea operatione diminutum et ſpiritus vini defuſus, ſi ab inſtillato cauſtico vel cinerum clauellatorum lixiuio fuſcum vel luteum ſedimentum dimittat, vitium iſtud prodat. Aquam porro quamuis feruidam quum difficillime et pro exigua tantummodo portione ſubeat mercurius dulcis, facile ſublimatus corroſius, in ea vtriusque dote nouum latet examinis adminiculum, ſi enim aqua diſtillata cum eiusmodi mercurio dulci in tenuem puluerem contrito per aliquod temporis ſpatium cocta et per chartam griſeam traiiciendo ſeparata ſapore diſtincto gaudeat, ab affuſis alcalibus plurimum turbetur, et multum ſedimenti dimittat, quod cum calce viua aut ferri ſcobe igne violentiori in vaſis clauſis tractatum argentum viuum promit, nullum ſupereſt dubium, quin iſto adhuc veneno contaminatus ſit.

Oſtendunt quoque illam corruptelam aqua calcis et liquores lixiuioſi, praeſertim cauſtici; ſi

enim in mortario vitreo aut lapideo cum his ſubigas bonae notae mercurium dulcem, atrum aut ſaltem obſcure cinereum induet colorem; ſin autem illa adhuc labe peccat, aurantio potius vel ad hunc accedente tinctu comparebit.

Vulgo enim paratus mercurius dulcis (Pharmacop. Wirtemberg. II. p. 107. New diſpenſat. p. 518. Pharmacop. Edinb. p. 99. Pharmac. ſuec. p. 73. Pharmac. roſſic. p. 99. Pharmac. rational. p. 208.) ex mercurio ſublimato corroſiuo albo, qui alia atque alia ratione cum argento viuo, donec omnibus eius globulis euaneſcentibus in aequabilem cum eo puluerem conuerſus ſit, terendo permiſcetur, et in vaſis vitreis aucto ſtatim ad magnum vsque gradum igne in altum agitur, ſegregata exacte ſuperiori materiae ſublimatae portione laxiori, candidiori, minus ponderoſa, mercurii ſublimati corroſiui albi magis aemula, cum noua, minori tamen multo argenti viui portione eadem ratione permiſcetur, et igni committitur, eum laborem tertia adhuc vice eadem cum cura et circumſpectione repetendo, et tandem mercurium dulcem ſimili cum cautela a ſuperiori materia perinde ac a fecibus in fundo ſuperſtitibus liberatam ex vitro eximendo.

Quum tamen ſubtiliſſimo eoque acerrimo puluere, qui dum teritur mercurius ſublimatus corroſiuus cum argento viuo, aſſurgit, niſi adſpergendo hinc inde pauxillum aquae incommodum illud praeuertatur, moleſtiſſima et adeo nociua ſit opificibus iſta operandi ratio, ſuo iam tempore LE MORT (Chym. medico-phyſic. p. 138.) ex argento viuo

cum

cum ſale communi et dupla portione colcotharis vitrioli aequabiliſſime permiſto et ſimili cetera modo igni expoſito, vtilius adhuc et tutius nuper Cl. HERMBSTAEDT (apud Ill. SELLE *Beyträge zur Natur- und Arzneywiſſenſchaft.* III. p. 61. et *phyſicaliſch-chemiſche Verſuche und Beobachtungen.* Berlin. 1789. 8. Vol. II. p. 101-114), aſſentientibus et ſua experientia confirmantibus BONZ et BENTLY (apud DEMACHY *Laborant im Groſsen aus dem Franzöſ. überſetzt und mit Zuſätzen verſehen von* S. HAHNEMANN. Leipz. 8. Vol. II. 1784. p. 156), DOLLFUS (*pharmaceutiſch-chemiſche Erfahrung.* p. 7), MOENCH (l. c. p. 236), aliisque, ex mercurio (partibus ſedecim) in aequali pondere olei, quod audit, vitrioli ſoluto, diſſipato per ignem omni humore comminuto, cum noua portione argenti viui (quinque partibus) et ſale communi decrepitato (nouem partibus) permiſto et ſublimato parari, eamque ſublimationem iterari iubet.

Fuere multi, et ſunt adhuc, qui in duplici vel triplici illa ſublimatione non acquieſcentes, ſed ſexies (New diſpenſat. p. 518), ſepties (*Calomelas* vel *Calomel* potius a mellea quaſi dulcedine tunc multis audit), nonies vel decies, ſuperaccedente per trium hebdomadum ſpatium cum vini ſpiritu vaporum vel flammae ſpecie iterum expellendo digeſtione, *panacea mercurialis* a multis nuncupatur (Pharmacop. Wirtemb. p. 124. ASTRUC l. c. L. IV. c. 12. §. IV. p. 455-457. ST. FR. GEOFFROY tract. de materia medica. Pariſ. 8. T. I. 1741. p. 260. 261. M. B. VALENTINI polychreſta exotica in curandis affectibus contumaciſſimis probatiſſima. Francof.

ad

ad Moen. 1700. 4. diſſ. 6. R. J. CAMERARIUS et J. CASPAR diſſ. de panacea mercuriali. Tubing. 1700. 4.), imo decies et quater repetendam illam eſſe imperant, ſibi perſuadentes, operoſo iſto artificio efficaciorem ac tutiorem reddi hanc medicinam, at quicquid ea arte fieri tibi fingas, aut ſpe tua excides, aut faciliori et certiori via iſto fine potiri te poſſe facile perſpicies. Fac enim, iterato iſto labore maiorem ſemper intrudi mercurio ſublimato argenti viui copiam, tutius forſan inde obtinebis medicamen, ſed certiſſime ob rationem partis minus efficacis auctam debilitatum, vt eo maiore eius praebio opus ſit (G. W. WEDEL et J. A. STOLL diſſ. de mercurio dulci. Ienae. 1700. 4. p. 19. J. VESTI et G. G. ECKMANN l. c. §. V. p. 11. M. FRICCIUS l. c. p. 120. 121. A. MURRAY et P. DUBB l. c.), ne dicam, eſſe certum quendam finem (J. CHR. BERNHARDT *chemiſche Verſuche und Erfahrungen &c.* Leipz. 1755. 8.), vltra quem argentum viuum cum mercurio ſublimato coniungi arctius non poteſt. Obſeruauit praeterea cum aliis Cl. BAUMÉ (l. c. II. p. 423), repetitis iſtis toties ſublimationibus mercurium dulcem in ſua ſecedere principia, et tantum abeſſe, vt eo labore miteſcat, vt potius pars eius mercurii corroſiui virulentam indolem recuperet, et ea contaminatum pharmacum nauſeam, dolores, ſenſationem ponderis ventriculum prementis procreet.

Vnica ſublimatione rem abſolui poſſe, modo mercurio ſublimato corroſiuo prius cum aqua in paſtam redacto intermiſceatur argentum viuum, aſſerit

BAILLEAU

BAILLEAU (Hiſtoire de la Societé de médécine à Paris. ad ann. 1776. p. 328), duas praeſcribunt medici Wirtembergici et Caſſellani (Pharmac. Wirtemb. et rational. ll. cc.), tres Suecici et Roſſici (Pharmac. ſuec. et roſſic. ll. cc.), ad ſummum quatuor Scotici (Pharm. Edinb. l. c.), omnino ſcopo attingendo pares, ſi leges artis ſupra memoratae ſtricte ſeruentur, et impetratus ſic mercurius dulcis atque in tenue pollen comminutus aut per longum temporis ſpatium cum vini ſpiritu, qui, quicquid mercurii ſublimati corroſiui ineſt, extrahit, digeratur (vocant tunc multi New diſpenſat. p. 520. *Panaceam mercurialem*), aut aqua meraca ſemper recenti (Pharmac. Wirtemb. l. c.), vel frigida, vel (zur MÜHLEN diſpenſat. Monaſterienſ. 1749. p. 65. J. FR. CARTHEUSER elem. chym. dogmatico-experimentalis. Francof. ad Viadr. 8. Ed. 2. 1753. p. 88.) tepida, vel (D. LUDOVICI pharmac. modern. diſſ. I. de purgant mineral. p. 222), quae praeſtat; calida (appellant nonnulli *mannam mercurii*), optime bulliente, abraſa, ſi velis, antea parte magis friabili (J. G. BRENDEL ariſt. chemico-pharmaceutic. 1751. Opuſcul. cur. H. A. WRISBERG. Goetting. 4. P. I. 1769. p. 63), toties terendo eluatur, donec et aqua, et qui ſupereſt mercurius dulcis, nullo amplius ſapore linguam feriant, et mercurii pollen tenuiſſimus aquae ſupernatet (N. D. FALCK l. c. ſect. 2.); liberatur ſic certiſſime ab exitioſo mercurii corroſiui conſortio mercurius dulcis, facilius et certius adhuc, ſi (Pharm. ration. l. m. c.) primo aquae riuo, quo mercurius dulcis abluitur, (pars octaua ratione mercurii dulcis) ſal ammoniacus adiiciatur, cuius

cuius adminiculo (BAUMÉ l. m. c. p. 428) longe facilius ſecedit, et aquam ſubit, quicquid mercurio corroſiuo ſimile mercurio dulci forte inhaeſit.

Qui magis adhuc obtundere ſalis acidum, mercurio dulci inhaerens, cupiunt, cum lixiuio cauſtico, alcali volatili, vel (NORFORD recueil periodique d'obſervations de medécine, chirurgie, pharmacie &c. à Paris. 8. T. VII. 1757. Dec. art. 6. p. 442 ſq.) aqua calcis in vaſe vitreo tractant mercurium hunc dulcem, in ſubtiliſſimum antea puluerem contritum, et finito hoc labore ac defuſo liquore ſupranatante aqua meraca aliquoties eluunt atque exſiccant, impetrantes ſic puluerem nigrum mitiſſimum, mercurio ab HAHNEMANNO ſolubilis titulo inſignito analogum, parando (HEYER *neues Magazin für Aerzte.* Vol. IX. faſc. 6. 1787. p. 564.) mercurio gummoſo aptiſſimum. Ita Cl. MOSCATI (L. FRANCK *mediciniſch-chirurgiſche Zeitung.* 1795. April. p. 71. 72.) mercurio dulci lagenae immiſſo infundi iubet lixiuii cauſtici vncias tres vel quatuor, igni arenae vel cinerum committit, vas aliquoties concutit, et vt primum puluis nigrum colorem induit, quod mediae horae ſpatio vtplurimum accidit, ex igne eximi, et refrigeratum iterum liquorem defundi. Ita (l. c.) Cl. SAUNDER (*Mercurius cinereus* ſiue *Mercurius niger Saunderi*) teri in mortario, inſtillata ſubinde aqua, cum alcali volatilis aequali copia eumque laborem tamdiu continuari praecipit, donec albus eius color in atrum abierit; ita (*Mercurius praecipitatus dulcis* vel *cinereus*) alii (HEYER l. c.) drachmam mercurii dulcis cum aquae

calcis

calcis ſaturatae ac recentis vnciis octodecim tamdiu conteri imperant, donec in puluerem ex atro cinereum conuerſus ſit.

Primi, qui huius medicaminis mentionem faciunt, niſi obſcura aliqua PARACELSI (l. c. de virib. membror. p. 324.) et LAUR. HOFFMANNI (de vero vſu et fero abuſu medicamentor. chymicor. p. 124.) loca huc torquere velis, fuere J. BEGUIN (tyrocinium chymicum. Vitemb. 1623. 12. c. 18. p. 335), O. CROLLIUS (l. c. p. 213. 214.) et J. QUERCETANUS (Tetr. grauiſſim. capit. affectuum p. 409), quibus breui temporis ſpatio ita adſtipulati ſunt medici, vt in plurima Europae pharmacopolia reciperetur, et ſollicita ac religioſa eius praeparatio, quae nunquam aliis committi debebat, pharmacopoeis ſerio iniungeretur.

Habuit tamen et hoc medicamentum ſuos, eosque acres aduerſarios, a multis adeo inter venena relatum (TEICHMEYER medic. legal. p. 65). Neque negari omnino poteſt (D. CRUGER Ephem. Acad. Caeſ. Nat. Curioſ. Dec. 2. ann. 6. obſ. 41. R. LENTILIUS ibid. Dec. 3. ann. 5. 6. app. R. GLAUBER furnor. philoſoph. P. II. c. 38. p. 84. D. SENNERT tr. de conſenſ. et diſſenſ. Chymicor. cum Ariſtotelicis. c. 18. TH. TURQUET de MAYERNE de morb. externis tract. 10. proleg. de morbis venereis. FR. HOFFMANN et G. L. SCHOTT diſſ. de medicamentis inſecuris. Hal. 1713. pag. 31), crebro nocuiſſe. A vaporibus eius febrem bilioſam fuiſſe natam refert STROEM (Phyſicalſk, oeconomiſk og medico-chirurgiſk Bibliothek for Danmark og Norge, udgivet

udgivet of et Selskab. Kiobenh. 8. B. II. 1794. art. 1.). Memorat HELWIG (obſeruat. phyſico-medic. poſthum. Aug. Vindelio. 4. 1680.) necem vſum eius inſecutam; J. LEDELIUS (Ephemerid. Acad. Caeſar. Natur. Curioſ. Dec. II. A. X. obſ. 14.) ab vncia media deglutita poſt atrociſſima alui profluuia, WAGENIZ (meditatio medica curioſa de mercurio dulci puluerato. Quedlinb. 1705.), a quindecim eius granis ingeſtis in iuuene ſaniſſimo vomitus, praecordiorum anguſtias, tremores et ſexto die mortem; ita FR. HOEFMANNUS (Medicin. ration. ſyſtemat. T. I. p. 263.) in homine ventriculo pleno bis grana eius ſex deglutiente et frigori expoſito apoplexiam lethalem; in infante duodecim annorum a granis eius quindecim ingeſtis poſt ſummas anxietates et vomitus mortem FR. HOFFMANN et G. L. SCHOTT (l. m. c. p. 30. 31.); ita ſaepe contra omnem medici exſpectationem (FR. HOFFMANN l. m. c. p. 264. R. LENTILIUS miſcellanae medico-practica tripartita. Vlm. 1698. 4. P. I. p. 207. HARDER apiar. obſerv. medic. centum ac phyſic. experimentis refert. Baſil. 1687. 4. obſ. 43. p. 192.) enorme, interdum (CHR. G. STENZEL l. m. c. p. 7.) lethale, externo adeo vſu (CHR. J. TREW commerc. litter. noric. 1731. ſpec. 52. p. 411. 412. SCHULZE praelect. in diſpenſat. Brandenb. p. 188.) ſaliuae profluuium, aut gingiuarum noxas, aut dentium iacturas (HILDEBRANDT l. m. c. p. 19.) perpeſſi ſunt mercurio hoc dulci vtentes. Quamobrem (C. BONTEKOE fundament. medicin. Amſterd. 1688. 8. p. 64. G. H. WELSCH curat. propr. et conſil. med. Aug. Vind. 1681. Dec. III. cur. 1.) ipſi B. HALLERO

(*Vor-*

(*Vorleſungen über die gerichtliche Arzneywiſſenſchaft, aus einer nachgelaſſenen lateiniſchen Handſchrift überſetzt.* Bern. 8. Vol. II. 1784.) ſuſpectus declaratur, ab aliis (AD. MURRAY et P. DUBB l. c. c. 2.) eo, quod ſolui humoribus renuit, ipſi corroſiuo poſtpoſitus. At enim vero haec infortunia potius, quam medicinae ipſi, intempeſtiuo eius (FR. X. WANNER ſiſt. rationem dulcificationis mercurii dulcis &c. Argent. 1747. 4. §. XXXII. p. 35.) ac nimis diu continuato vſui, iuſto largiori doſi, corruptelae ſupra memoratae, et, quod J. G. BRENDELIUS (l. m. c. p. 62. 63.) egregie expoſuit, et M. FRICCIUS (l. c. p. 124.) iam indigitat, praeſertim minus ſollicitae eius praeparationi, quae mercurii corroſiui partem intemeratam in eo relinquit, debentur. Niſi in ſingulis, quae repetuntur, mercurii dulcis ſublimationibus, noua argenti viui portio intermiſceatur, venenum naſci iam pronunciauit M. B. VALENTINI (Pandectae medico-legales. Francof. 1701. 4. P. VI.), mercurium dulcem optimae notae iteratis ſublimationibus, niſi ſemper viui quid adiectum fuerit, quum viui aliquid in qualibet ſublimatione expellatur, ad indolem a corroſiuo propiorem reduci J. G. BRENDELIUS (l. m. c. p. 63).

Neque enim inficias ire licet, multa in vſu mercurii dulcis circumſpectione opus eſſe, taceam illas cautelas, quae medicaminum ex mercurio paratorum vſus generatim poſcit, ſuperius iam commemoratas; ſunt adhuc aliae, quas mercurius dulcis ſibi proprias requirit.

Exulet mercurius dulcis, in hominibus, ſcorbuto (M. FRICCIUS l. c. p. 125), phthiſi (M. FRICCIUS

l. m. c. CHR. G. STENZEL l. c. p. 6. 7.), ſcirrho (BIERCHEN l. c. p. 9.), irritabilitate morboſa (M. FRICCIUS l. c. p. 126. HILDEBRANDT l. m. c. p. 40.), debilitate morbos inſequente (M. FRICCIUS l. m. c. CHR. G. STENZEL l. c. pag. 7.) laborantibus, niſi ſumma vrgeat neceſſitas, quo tum in caſu opii (J. DE PLENCIZ act. et obſeruat. medic. Prag. et Vienn. 1783. 8. HAMILTON Philoſoph. Transact. Vol. LXVI. for 1776. P. II.) vel ipecacuanhae (AD. FR. LOEFFLER *Beyträge* &c. P. I. 1791. 8.) parciſſima doſi, vel camphora (E. J. van den BOSCH hiſtoria conſtitution. epidem. verminoſ. 1760 - 1763. per inſulam Overflaque et contiguam Goedereede graſſatae &c. p. 343. LYSON obſervations on the effects of calomel and camphire. London. 1777. 8. MOENCH l. c. p. 236), vel millepedibus (CHPH. J. DE TREW et CHPH. FEUERLEIN ll. cc. J. G. H. KRAMER medicina caſtrenſis. Norimb. 1735. 8. c. 15.), vel ſulphure (S. TH. QUELMALZ progr. quod hydrargyri vires a ſulphure ſuſpenſas expendit. Lipſ. 1748.), et potiſſimum aurato antimonii (*Puluis* et *Pilulae alterantes Plummeri* Vol. I. p. 221.) praeuerti noxius effectus poterit, iisque additamentis ſimul caueri, ne nimio impetu in glandulas ſaliuam excernentes ruat, et praeter exſpectationem medici largum eius profluuium, conſuetis ſymptomatibus ſtipatum, excitet.

Reliquae cautelae ad internum potiſſimum mercurii huius dulcis vſum ſpectant. Bilioſis minus conducere iam monuere G. W. WEDEL et J. AD. STOLL (l. c. p. 34.), qui quoque (l. c. p. 33. 34.) grauidas, ſenes et infantes ab eius vſu interdicunt, quam-

quamuis dulcem hunc mercurium melius ferri ab infantibus, experientia adſtipulante, afferat Ill. HILDEBRANDT (l. m. c. p. 40.); obeſſe iis, quorum inteſtina nimium ſunt debilitata, et qui ſiue ex hac ſiue ex alia cauſſa in alui profluuia nimis proni ſunt, annotauit LOESECKE (l. c. p. 287); neque iis hominibus, quibus argento viuo intima corporis penetralia peruagante opus eſt, prodeſſe poſſe, ſi mox iterum aluo egrediatur, facile colligas; accedit, quod mercurius dulcis ipſe aluum ſtimulet, et tormina, adeo aliquando vomitum cieat, quod ne fiat, aliis medicamentis cauendum eſt; ita van SWIETEN (l. c. V. p. 533.) eo conſilio poſt ſingulas doſes mercurii dulcis cochlear aquae diſtillatae corticum citri, cuius ſingulis binis vnciis granum laudani puri adiectum fuit, ſorberi, Ill. GIRTANNER (l. c. I. p. 373.) ſaponem adiici praecipit.

Neque vanus profecto eſt metus pernicioſae acrimoniae, quam mercurius dulcis, alia atque alia ſalia, praeſertim ſal culinare (MOENCH l. c. p. 236), et acida potiſſimum contingens, adipiſci poſſet. Vitandus itaque, dum mercurius dulcis adhibetur, ciborum ſalitorum, et ſalis communis aliorumque ſalium mediorum (G. W. WEDEL et J. A. STOLL l. c. p. 35. LOESECKE l. c. p. 122. MELLIN l. c. p. 145.) in medicamentis vſus, et ſi quando ſalia media perfecte ſaturata, quae nihil acidi marini continent, cum eo coniungere vtile videatur medico, conſultum non modo eſt, parciſſima illa recipere doſi, ſed agitando tantum, non terendo (Pharmacop. Wirtemb. II. p. 107.) permiſcere.

Magis adhuc metuenda ſunt acida, quamuis vegetabilia atque animalia periculoſam ex eo nanciſci acrimoniam nullo experimento conſtet; tutius tamen eſt, aegros, mercurio dulci vtentes, non a cibis modo potibusque, ſed a medicamentis quoque abſtinere acidis atque acidulis, neque exhibendus eſt aegris (J. G. WENDELIN de medicamentis metallicis. Hal. 1743. 4. §. 39. p. 78. WANNER l. c. p. 34. J. VESTI et G. G. ECKMANN l. c. §. XIV. p. 22.), praeſertim infantibus (LOESECKE l. c. p. 122), quorum ventriculus atque inteſtina acida ſaburra turgent, niſi hac prius exterminata, aut (J. G. H. KRAMER l. m. c.) interpoſita vel addita, quae illud acidum abſorbeat, terra; ita grana eius duodecim cum lapidum cancrorum praeparatorum drachmis duabus miſceri iubet eo conſilio MELLIN (l. c. p. 147).

Quum porro gingiuae ac dentes a frequenti et diuturno eius contactu mirifice laedantur (LOESECKE l. c. p. 286), praeſtat certe, niſi alia obſtent, ea exhibere forma, qua velociter in ventriculum detruditur, quam ea, qua diutius oris interioribus partibus adhaeret; ideo boli (New diſpenſ. p. 582.) vel pilularum (O. CROLLIUS l. c. p. 214. FR. HOFFMANN et G. L. SCHOTT l. m. c. p. 33. WENDELIN l. c. p. 77.) forma praecellit morſulis, rotulis, trochiſcis et ipſi pulueri.

Habet etiam pulueris forma, niſi addito ſaccharo vel elaeoſaccharo illud temperetur, id incommodi, quod (WENDELIN, FR. HOFFMANN et L. M. SCHOTT ll. mm. cc.) in ventriculum perueniens, ob ingens, quo pollet, pondus ſpecificum

fundum

fundum petendo, villoſae eius tunicae ſinubus ac plicis ſe inſinuando, neque eo, quod difficulter humores ſubit, facile detergendus, facilius tormina creat; magis adhuc peccare videntur illi, qui cum liquore quodam (O. CROLLIUS, WENDELIN, FR. HOFFMANN et L. M. SCHOTT ll. mm. cc.) mercurium dulcem praeſcribunt, quum ex hoc ſemper ſubſideat.

Multum denique intereſt, qua doſi et qua ratione adhibeatur mercurius dulcis; ſi hydrophobiam exceperis, quae largius vtique praebium poſcit, prudentis certe medici eſt, a minuta v. g. grani dimidii bis quotidie adminiſtrandi incipere doſi, ſenſim adſcendendo ad vnum, ſex, imo decem grana, ſollicite attendendo, quid in aegro efficiat, ſi diutius reſiſtat malum, interdum pauliſper interrumpendo medicationem, et, quando ſuperatum eſt malum, quod oppugnandum ſibi ſumſerat, abrumpendo; protracta enim vltra terminum perinde nocet, ac tentata nimis parco et iuſto citius ceſſante eius vſu.

Mercurii dulcis granum vnum tempeſtiue exhibitum plura praeſtare, quam eius drachmam, experientia edoctus loquitur N. D. FALCK (l. c. Sect. II.).

Et primus quidem, cui hoc quoque medicamentum mercuriale tum auertendo, tum ſanando fuit oppoſitum, morbus, eſt lues venerea.

Ita ASSALINI (l. c.), vt tutiores cum feminis ſuſpectis coeant, ante coitum glandem, praeputium et totum membrum virile mercurio dulci, antea cum ſaliua ſubacto, inungenda, N. D. FALCK (l. c.)

peracto concubitu aquam cum mercurio dulci agitando permiſtam vrethrae iniiciendam ſuadet.

Quamuis ab hoc vſu vix aliquid ſperari poſſit auxilii, multiplex (BEGUIN l. c. p. 336. J. RHODIUS obſerv. medicinal. Patav. 1687. 8. cent. III. obſ. 84. p. 193. et analect. et not. in L. SEPTALII animadverſion. et caution. medicas. Patav. 1652. 8. ad l. 7. p. 578. J. VESTI et G. G. ECKMANN l. c. p. 11-16. §. VI. G. W. WEDEL et J. A. STOLL l. c. p. 29. 30. TIMAEUS A GULDENKLEE caſ. medicinal. Lipſ. 1663. 4. p. 273. G. FABRICIUS HILDANUS Oper. p. 879. BEN. SYLVATICUS Conſilior. et reſponſor. medicinal. centur. IV. acced. method. collegiandi. Patav. 1656. fol. CHPH. SELIGER Ephem. Acad. Caeſ. Nat. Curioſ. Dec. II. ann. 1. 1683. obſ. 136. p. 338. P. J. FABRUS inſignes curationes variorum morborum, quos medicamentis chymicis curauit. Toloſ. 1627. 8. cur. 93. M. B. VALENTINI l. m. c. M. LISTER ſex exercitation. medicinal. de quibusdam morbis chronicis. London. 1694. 8. G. RIVIERE quaeſtion. medic. Monſpel. 1696. 4. quaeſt. 4. N. BOIREL nouvelles obſervations ſur les maladies veneriennes. à Paris. 12. 1711. J. MOYLE, B. BOSCHETTI, CHR. J. DE TREW, J. G. H. KRAMER, CHPH. FEUERLEIN ll. mm. cc. J. G. BAIER de mercurii in corpus humanum agendi modo ſecundum leges phyſicas. Altd. 1739. J. C. BRUNNER diſſ. de methodo tuta et facili citra ſaliuationem curandi luem veneream, quam experimentis et obſeruationibus practicis firmatam et illuſtratam alias ſibi comparauit. Scaphuſ. 1739. 4. D. M. LOHMANN diſſ.

de

de curatione luis venereae ſine ſaliuatione. Duisb. 1741. 4. CHR. G. STENZEL et J. PH. KLIPSCH caſus aliquot hominum a lue venerea per ſaliuationem curatorum. Vitemb. 1742. 4. H. BOERHAAVE tract. medico-pract. de lue venerea. Lugd. Bat. 1751. 8. P. GYONGYOSSI diſſ. de empyricis remediis. Harderv. 1753. §. 3. A. DE STOERCK lib. quo continuantur experimenta et obſeruationes circa noua ſua medicamenta. Vindob. 1765. 8. J. CLARCK obſervations on the diſeaſes in long voyages to hot countries, and particularly on thoſe, which prevail in the Eaſt-Indies. Lond. 1773. 8. G. van SWIETEN l. m. c. p. 532. A. E. BÜCHNER et J. E. RICHTER diſſ. de medicamentorum mercurialium cum ſalibus paratorum efficacitate per adiunctum ſulphur ad certos quosdam morbos magis accommodanda. Hal. 1754. 4. §. XXV. p. 39. C. GUIL. POERNER ſelectus mater. medic. in vſum praelect. academic. Lipſ. 1767. 8. N. D. FALCK l. c. p. 406. SCHWEDIAUER l. c. GIRTANNER l. c. I. p. 373. 435. HILDEBRANDT l. c. §. VIII. p. 48.) tamen docuit experientia, in lue venerea debellanda princeps eſſe medicamentum, licet negari non poſſit, minus circumſpecte eo vtentes facilius in ſaliuae fluxum ruere, quam qui argentum viuum alia ratione praeparatum adhibent.

Qui mercurium dulcem prae reliquis eligunt, plurimi certe intus adhibent, ipſis infantibus ea labe infectis ſingulis veſperis grani dimidii pondere, adultis maiori et paulatim aucta, optime boli aut pilularum forma, quae nulla in ore mora facta integrae deglutiuntur; in illam formam v. gr. cum

conſerua roſarum (*Bolus mercurialis* New diſpenſat. p. 583.) redactus, hanc aliis atque aliis additis adipiſcens.

Ita P. GYONGYOSSI (l. m. c.) cum mica panis, J. VESTI et G. G. ECKMANN (l. c. p. 15.) cum extracto fumariae, vel (l. c. p. 12. 13.) cum aloë hepatica, reſina ſcammonei vel ialapae, et vna alteraue olei caryophyllorum vel cinnamomi gutta, cum extracto ſcorzonerae, ſaſſaparillae, colocynthidis, rhabarbari, bezoardico vel panchymagogo G. W. WEDEL et J. A. STOLL (l. c. p. 33.), cum extracto ſcorzonerae J. A. WEDEL et J. G. SLEVOGT (diſſ. de lue venerea. Ienae. 1729. 4.), cum lapidibus cancrorum, ſulphure antimonii aurato, gummi guaiaco, reſina guaiaci et balſamo Copaiba (A. E. BÜCHNER et J. E. RICHTER l. c. p. 38.), cum camphora, croco et theriaca Andromachi, aut loco poſterioris cum reſina ialapae, extracto aloës et panchymagogo Crollii N. GISLER (Kongl. Svenſk. Vetenſk. Acad. Handling for 1768. Vol. XXIX. trim. 4. art. 8. p. 353 ſq.), vel cum terebinthina veneta (New diſpenſ. p. 574), vel cum creta praeparata et mucilagine gummi arabici (ibid. p. 573), vel cum extracto molliori ligni guaiaci et oleo ligni ſaſſafras (ibid.), vel cum extracto ligni guaiaci et camphora (ibid.), cum ſulphure antimonii aurato, pilulis polychreſtis, gummi guaiaco et eſſentia ſuccini (KAEMPF *in Fragmenten zur Arzneykunde und Geſchichte.* Frankf. 1780. 8.), cum extracto quodam amaro, aqua facile diſſoluendo HILDEBRANDT (l. m. c. p. 37) ſubigi iubent.

Proſtant

Proſtant quoque, ne dicam *pilulas alterantes* PLUMERI (Vol. I. p. 221), quae, quamuis a C. A. VANDERMONDE (journal de medecine, chirurgie, pharmacie &c. T. VIII. Mart. 1758. p. 252) vituperatae, a Cl. SCHWEDIAUER (l. c. c. 13. p. 187), TODE (*Bibliothek.* Vol. I. faſc. 3. p. 203), GIRTANNER (l. c. I. p. 381), in domanda lue venerea inutiles declaratae, a multis, e. gr. J. G. HASENNEST (Act. Acad. Caeſar. Nat. Curioſ. Vol. V. 1740. obſ. 136. p. 451), R. BROCKLESBY (oeconomical and medical obſervations. London. 1764. 8.) efficaces compertae fuere, et ipſius b. OFTERDINGERI (*Anleitung für das Landvolk in Abſicht auf ſeine Geſundheit.* Zürich. 1773. 8. p. 641. 677. 678.) laudes meruere, aliae atque aliae in officinis et apud auctores pilularum mercurium dulcem recipientium formae, ſuis iam nominibus inſignitae.

Pilulae ad gonorrhoeam HOFFMANNI (SPINA manuale ſ. lexicon pharmaceutico - chymicum. Francof. ad Moen. 1700. 8. p. 688.) praeter mercurium dulcem (drachmam vnam et mediam) terebinthinam (vnciam), balſamum peruuianum et Copaiba (vtriusque drachmam), radicem ſymphyti (drachmas duas), nitrum vitriolatum (aequale pondus), ſuccum liquiritiae (vnciam mediam), reſinam guaiaci (drachmas tres), extractum rhabarbari (aequale pondus), lapides cancrorum (aequale pondus), ſuccinum (aequale pondus), oleum lignorum guaiaci et ſaſſafras recipiunt.

Pilulae ad gonorrhoeam virulentam ETTMÜLLERI (SPINA l. m. c.) ex mercurio dulci (drachma

 media),

media), oſſibus ſepiae (aequali pondere), terebinthina cypria (drachma), et oleo ſuccini (guttis quatuor) conflantur.

Pilulae anthelminthicae HOFFMANNI (SPINA l. m. c.) praeter mercurium dulcem (grana quindecim) extractum aloës (drachmam vnam), camphoram (grana tria) et ſpiritum vitrioli (guttas ſex) continent.

Pilulae catharticae (Pharmacop. ſuec. p. 83.) ex mercurio dulci (drachma), extracto ialapae (ſcrupulis duobus) et panchymagogo Crollii (drachmis duabus cum dimidia), et oleo iuniperi diſtillato (ſcrupulo medio) componuntur.

Pilulae mercuriales (Pharmac. ration. p. 256) ex mercurio dulci (partibus quatuor), ſulphure aurato antimonii (partibus duabus), gummi guaiaco (partibus tribus) et ſpiritu vini conficiuntur, parum igitur abludentes a pilulis Plummeri.

Pilulae Plummeri (Pharmac. Edinb. p. 120) praeter mercurium dulcem (partes tres) ſulphur antimonii auratum (aequale pondus), extractum glycyrrhizae (partes duas) et mucilaginem gummi arabici recipiunt.

Pilulae rubrae (GUIL. ROWLEY ſeventy four caſes with the manner of cure, and the preparation of the remedies. London. 1779. 8.) ex aequali mercurii dulcis et ſulphuris aurati antimonii copia conflantur.

Fuere tamen medici, qui hoc etiam medicamento ad ſanandum morbum venereum et varia mala ex eo promanantia extrinſecus vti mallent. Ita

Ita ad fluorem album et gonorrhoeam venereae proſapiae ſananda ſuo iam tempore TURQUET DE MAYERNE (Syntagma praxeos &c.) mercurium dulcem cum melle roſato (partibus duabus) et aqua calcis (partibus 48), C. MUSITANUS (de lue venerea L. IV. Neapol. 1689. 8.) cum aqua plantaginis (partibus 32), J. VESTI et G. G. ECKMANN (l. c. p. 13.) cum aqua roſarum (partibus ſedecim), GIRTANNER (l. c. I. p. 170. 445.) cum aqua quacunque diſtillata (partibus ſedecim) agitando permiſtam, J. GUIL. BAUMER (Act. Acad. Elect. Erford. T. II. Erford. 1761. p. 455.) cum oleo hypericonis (aliquot grana cum eius vncia dimidia), R. BROCKLESBY (l. m. c.) cum gummi arabico et olivarum oleo ſubactum vaginae vel vrethrae iniiciendum ſuadent; at nihil ea iniectione effici nuper enunciauit S. F. SIMMONS (Obſervations on the cure of gonorrhoea and ſome other effects of the venereal virus. London. 1780. 8.), et quum ob inſigne pondus ſpecificum ſemper fundum petat, neque, vel maxima agitatione, diſpertiri aequabiliter poſſit, et ſiphonem facile obturet, ea forma non conducere monuit Ill. MOENCH (l. c. p. 236).

Praetulerunt alii (GIRTANNER l. c. I. p. 217) inunctionem, quo etiam adhibendi modo ſaliuae profluuium excitari, obſeruauit iam B. ALBINUS (diſſ. de ſaliuatione mercuriali. Francof. ad Viadr. 1689. 4.); cum oleo et ſale ammoniaco coniunctum et cuti ſub continua frictione illitum tanquam remedium efficax commendat CLARE (eſſay on the cure of abſceſſes by cauſtic and the treatment of wounds

wounds and vlcers, with a new method of introducing mercury in the circulation for the cure of lues venerea. London. 1779. 8.); cum axungia porcina ſubactum et ſaccharo ſaturni auctum applicarunt alii (v. MOENCH l. m. c. p. 237); aliud praedicat Ill. HILDEBRANDT (l. m. c. p. 37. 38.) ex mercurio dulci (partibus quatuor), cera alba et oleo amygdalarum (vtriusque partibus ſex), et ſeuo ouillo (partibus nouem) conſtans; in cancro tamen genitalium nimium irritare haec vnguenta, neque ex arbitrio medici pendere copiam argenti viui, corpus ingredientis et efficaciae gradum, monuit (l. c. I. p. 217) Ill. GIRTANNER.

Nuperius, vt ſaliuae fluxum citius, tutius, quum nulla eius particula in ventriculum perueniat, et minori longe copia adminiſtrato mercurio dulci excitaret, eundem grani vnius vel duorum pondere cum ſaliua ſubactum, aut ſyrupo quodam temperatum oris labiis, linguae, genarum interiori faciei, quae omnes partes vaſis abſorbentibus refertae, et glandulis ſaliualibus ſatis vicinae ſunt, donec praenuncii illius profluuii appareant, affricari ſuadent (l. m. c.) CLARE, et (apud eum) HUNTER et CRUIKSHANK, aliorum tamen, vt videtur, aſſenſum haud promeriti, tentata aliquoties ſine ſucceſſu ab A. FR. LOEFFLER (l. c. Beytr. I.) medicatione.

Neque morbum tantummodo venereum ipſum mercurio dulci feliciter oppugnari, ſed alias atque alias quoque eius propagines eius efficaciae cedere, loquitur experientia; quid in gonorrhoea virulenta valeat, iam dictum; ſyrupo mixtum et vuluae labiis allitum

allitum fluorem album eiusdem indolis tum praevertere, tum tollere teſtis eſt CLARE (l. m. c.); ſaniei acris et foetidae ex vagina muliebri fluxum ſuis pilulis rubris et puluere minerali ſanatum gloriatur (l. m. c.) ROWLEY; fluorem album benignum mercurio dulci ſulphuri iuncto A. E. BÜCHNER et J. E. RICHTER (l. c. p. 40). Arthritidem veneream mercurii dulcis cum opio coniuncti auxilio ſuperatam memorat (l. m. c.) PLENCIZ, ſaliuae fluxu, per mercurium dulcem (granis duobus) cum ſulphure antimonii aurato (aequali pondere), camphora (grano vno) et lapidibus cancrorum praeparatis (drachma dimidia) combinatum, atque alternis veſperis exhibitum excitato, alius medicus (*Berliniſche Sammlungen zur Beförderung der Arzneywiſſenſchaft, der Naturgeſchichte, der Haushaltungskunſt, Cameralwiſſenſchaft und dahin einſchlagenden Litteratur.* Berlin. 8. Vol. I. art. 6. p. 83 ſq.). In ſcrophulis venereis commendat ROSENSTEIN (l. c. p. 721). Ophthalmiam veneream mercurii dulcis vi ſanatam teſtatur (l. m. c.) ROWLEY; bubones venereos mercurio dulci (granis quatuor ad quinque) cum ſaliua ſubacto et affricato diſſipatos QUARIN (l. m. c.), in conſolidandis vlceribus venereis, etiam inueteratis, potentiſſimum experti ſunt M. ALBERTI et J. HAVIGHORST (diſſ. de ſingulari mercurii dulcis vſu in deſperatis quibusdam morbis. Hal. 1746. 4.), ſucco conii (drachmam vnam et dimidiam cum vnciis duabus ſucci) iunctum, et linteo carpto inſtillatum QUARIN (l. m. c.). At in aliis quoque vlceribus mercurii dulcis vſum conducere, ex multorum medicorum experientia conſtat; in vlceribus verminoſis

noſis atque inueteratis, non neglecta externa eorum cura, in vlceribus pedis, etiam iis, qui fluxum muliebrem obſtructum inſequebantur, vtiliſſimum deprehenderunt mercurii dulcis vſum internum J. VESTI et G. G. ECKMANN (l. c. §. V. p. 11. et §. VII. p. 16-18); homines multis vlceribus, putidiſſimam ſaniem plorantibus, exeſos, mercurii dulcis cum ſulphure antimonii aurato permiſti vſu egregie ſubleuatos memorat J. R. RICHTER (l. m. c. p. 39. §. XXV.); vlcera, etiam decrepitorum, eo remedio ſanata (l. c.) N. GISLER; vlcera pedum maligna, acerrimam ſaniem ſtillantia, partim huius partim aethiopis mineralis ope ſanauit CHEYNE (Engliſh malady or a treat. on nervous diſeaſes of all kinds p. 343); vlcera vterum atque inteſtinum rectum arrodentia, genu, pedem, infeſtantia, inueterata quoque et mali moris, pilularum rubrarum potiſſimum auxilio ſuperata (l. m. c.) ROWLEY; in vlceribus, niſi malignis et putridis, cetera mali moris et pertinaciſſimis, mirificam eius efficaciam experti ſunt Ill. RICHTER (*Anfangsgründe der Wundarzneykunſt*. I. §. 753.) et G. FR. HILDEBRANDT (l. m. c. §. 16. p. 59. 60.), interne potiſſimum eo vſi, vt tamen vlceribus ſiccis, callo circumcinctis, ſuperandis externus vnguenti ſpecie ſufficeret vſus.

In fiſtulis quoque, iis adeo, quae pleuritidem ſequebantur, ſuas pilulas cum fructu exhibuit (l. c.) N. GISLER; cancro oppoſuerunt mercurium dulcem GUIL. RIVIERE (l. m. c.), A. E. BÜCHNER et C. CLESS (diſſ. de medicamentorum mercurialium vſu in cancro. Hal. 1755. 4. §. XXIX. p. 47.), cancrum

naſi,

naſi, mercurio et conio incaſſum tentatum, nouem menſium ſpatio praeter fumum mercurialem, extrinſecus adhibitum, et mercurium ſublimatum corroſiuum, cuius ſingulis diebus octauam grani partem vna cum nitro et camphora adminiſtrabat, pilulis ſuis rubris felici euentu curauit (l. m. c.) ROWLEY; ſuccum ex pomis putridis expreſſum et cum mercurio dulci permiſtum cancro adplicari iubet L. HEISTER (*kleine Chirurgie.* Nürnb. 1747. 8. p. 160); oſſium cariem non ſuſtulit quidem (N. GISLER l. c.) mercurius dulcis, vlcera tamen effecit, ex quibus facile eximi poterat os carioſum; mercurium dulcem ſpinae ventoſae oppoſuit A. E. BÜCHNER (diſſ. de remediis mercurialibus ſpinae ventoſae medicandae interdum idoneis. Hal. 1754. 4.), cum dupla lapidum cancrorum et media ſulphuris antimonii aurati portione, ſaltem cum eximio aegrotorum leuamine J. E. RICHTER (l. c. §. XXV. p. 39.), aliis atque aliis permiſtum alii.

In vlceribus per cutem ſerpentibus mercurii dulcis vſum commendat LOESECKE (l. c. p. 122.), in aliis morbis omnibus, cutem defoedantibus, ſiue ex labe venerea ſiue ex alio fonte promanantibus P. GYONGYOSSI (diſſ. de empyricis remediis. Harderv. 1753. §. 14.), N. D. FALCK (l. c. Sect. III.); in herpete (J. E. RICHTER l. c. p. 39.), cui tamen non raro fruſtra opponitur (G. FR. HILDEBRANDT l. c. §. 18. p. 63.), in ipſa lepra QUERCETANUS (tetr. grauiſſim. capit. affectuum. p. 460 ſq.), et cum antimonii ſulphure aurato permiſtum A. PLUMMER (phyſical eſſays read before a Society at Edinburgh.

burgh. Vol. I. 1754. 8. n. 6.); in gutta roſacea multum leuaminis attulit J. E. RICHTER (l. m. c.), qui quoque in tinea ſananda praedicat; externis remediis non neglectis radici ialapae iunctum efficacem in hoc morbo comperit mercurium dulcem KÜHN (apud J. G. FRITZE *mediciniſche Annalen für Aerzte und Geſundheitliebende.* Leipzig. 8. Vol. I. 1781.); ſolo eius vſu ſaepe debellauit Ill. HILDEBRANDT (l. m. c. §. 19. p. 63). In ſcabie collaudant mercurium dulcem J. VESTI et G. G. ECKMANN (l. c. §. V. p. 11.), M. ALBERTI et J. HAVIGHORST (l. c. §. 13.), in venerea potiſſimum J. E. RICHTER (l. m. c.), et ante hos iam (l. m. c.) QUERCETANUS.

At non in chronicis tantummodo, verum quoque in acutis cutis exanthematibus vtilem experti ſunt mercurium dulcem medici. Ita in variolis iam commendauit (l. m. c.) QUERCETANUS, et recentior quoque teſtatur experientia (Miſcellan. Acad. Caeſar. Nat. Curioſ. Dec. I. ann. 3. p. 13. 93. DIMSDALE *Unterricht von der Methode die Kinderblattern einzuimpfen überſ.* Leipzig. 1768. p. 11. ROSENSTEIN l. c. p. 222. J. C. LETTSOM medical memoirs of the general diſpenſary for part of the years 1773. and 1774. London. 1774. 8. METZGER aduerſaria medic. P. II. Francof. 1778.), et recentiſſima Ill. HILDEBRANDT (l. m. c. p. 73-75. et *Bemerkungen über die Pocken in der Epidemie des Jahrs* 1788. Cap. 4.), Cl. HUFELAND (*Bemerkungen über die natürlichen und künſtlichen Blattern zu Weimar im Jahr* 1788. Leipz. 1789. p. 21.), AD. FR. LOEFFLERI (*Beytr.* P. I.) aliorumque (vid. G. H. SCHIERHOLZ de mercurii vſu in

vario-

variolis. Goetting. 1788.) adminiſtrato, potiſſimum ante acceſſum huius morbi, mercurio dulci, ſiue ſolo, ſiue cum ſulphure aurato antimonii, ſiue cum camphora, ſiue cum tartari emetici ſexageſima parte permiſto, mitiorem longe et minus ancipitem decurrere morbum, ſeu deducas illam virtutem ex comprobata eius in morbis cutaneis efficacia, ſeu ex vi veneno varioloſo aduerſa, ſeu ex facultate ſaliuae fluxum ciendi, in hoc morbo tantopere proficuum, ſeu ex potentia in infantibus toties obuios vermes necante, et aluum ducente, complicationem hinc morbi, et quod prono alueo inde fluit, periculum auertente, ſeu ex virtute eius ſpiſſa attenuante, in ipſis inflammationibus multum celebrata.

Non enim pituitam modo potentiſſime incidit (CHR. G. STENZEL de mercurio dulci praeſtantiſſimo pituitae reſoluendae et euacuandae remedio. Vitemb. 1742. 4. G. W. WEDEL et J. A. STOLL l. c. p. 28. LOESECKE l. c. p. 122), ſed alios quoque humores iuſto ſpiſſiores reſoluit (D. LYSONS practical eſſays upon intermitting fevers, dropſies, diſeaſes of the liver, the epilepſy, the colic, dyſenteric fluxes, and the operation of calomel. Bath. 1772. 8.) mercurius dulcis.

Quam ob rem ſcirrhum teſticuli diuturno eius eoque interno vſu feliciter diſcuſſit J. E. RICHTER (l. m. c.), externo tentarunt alii; ſaltem non infimam partem emplaſtri, a CLOSSAEO (J. SCHROEDER l. c. p. 195. 196.) ad ſcirrhos diſſipandos collaudati, efficit hic mercurius dulcis. Scirrhum proſtatae,

 extrin-

extrinſecus ſimul adhibitis fumo et vnguento mercuriali pilulis ſuis rubris ingeſtis vicit (l. m. c.) ROWLEY; vteri ſcirrhos *idem* (l. m. c.); eius vſu interno alias quoque partes induratas emolliri comperit N. GISLER (l. c.); in vero tamen ſcirrho, in quo omne vaſorum lumen deletum eſt, irritum imo periculoſum damnat mercurii dulcis vſum Ill. HILDEBRANDT (l. m. c. § 9. p. 50). Glandulis obſtructis fauſto cum euentu oppoſuere mercurium dulcem G. W. WEDEL et J. A. STOLL (l. c. p. 28.), KLAUNIG (Act. Acad. Caeſar. Nat. Curioſ. Vol. II. p. 33.), M. ALBERTI et J. HAVIGHORST (l. c.), J. E. RICHTER (l. c. p. 39. 40.), a BRUNN (l. c.), et Ill. THEDEN (*Neue Bemerkungen und Erſahrungen* &c. I. p. 167.); et poſterior quidem infantibus, eo malo laborantibus, aquam (libras circiter quatuor, ita vt vna remaneat) cum mercurio dulci (vnciis duabus) per duos dies continuos coctam, ita exhibet, vt mane, et interdum veſperi partem eius 120mam ſorbeant.

In ſtrumis colli ſalutarem deprehendit mercurii dulcis vſum internum (l. c.) N. GISLER; in ſcrophulis iam praedicarunt (l. m. c.) QUERCETANUS et GUIL. RIVIÉRE (l. c.), et recentius tum ROWLEY (l. c.) ſcrophuloſis morbis omnis fere generis praeter alia ex argento viuo parata medicamina optimo cum ſucceſſu pilulas ſuas mercuriales oppoſuit, tum Cl. GUIL. LEURS (Prysverhandeling bekroond door het Genotſchap ter Bevordering der Heelkunde te Amſterdam. Vol. I. 1791.), Ill. HILDEBRANDT (l. m. c. §. 10. p. 50. 51.), Cl. HUFELAND (*über die*

Natur,

Natur, Erkenntnißmittel und Heilart der Scrofelkrankheit, eine von der kaiſerlichen Academie der Naturforſcher gekrönte Preisſchrift. Jen. 1795. 8. ſect III. c. 2. art. 4.) et alii (quos vide apud Cl. KORTUM comment. de vitio ſcrophuloſo. Lemgo. II. 1790. p. 31.) ſummo cum fructu mercurium hunc dulcem exhibuerunt.

Alia etiam viſcera obſtructa mercurii dulcis vſu reſerari, multiplex edocuit obſeruatio (G. W. WEDEL et J. A. STOLL l. c. p. 28. 29.); in lienis infarctu efficaciſſimum vidit BAJON (Memoir. pour ſervir à l'hiſtoire de Cayenne et de la Guajane françoiſe. à Paris. 8. I. 1777.); in oppilato hepate alii; in ſexcentis illis morbis, qui ex obſtructis abdominis viſceribus propullulant, alii.

Ita inter medicamenta in ictero ſalutaria refert mercurium dulcem FRITZE (l. c. p. 153); in eodem morbo, praegreſſo ſalis ammoniaci et emetici vſu, multoties mirificam praeſtitiſſe opem, teſtis eſt Ill. HILDEBRANDT (l. m. c. §. 13. p. 54. 55.).

Quum ex hoc praeſertim fomite crebro naſcantur febres intermittentes, eaeque quidem pertinaciſſimae, potiſſimum quartanae, mirum non eſt, has mercurii dulcis ſiue meraci, ſiue cum cortice cinchonae coniuncti auxilio haud raro fuiſſe iugulatas. Eo nomine commendatus iam fuit mercurius dulcis a G. W. WEDELIO et J. A. STOLLIO (l. c. p. 29.), J. E. RICHTERO (l. c. p. 39.), SARCONIO (*Geſchichte der Krankheiten, die durch das ganze Jahr 1764 in Neapel ſind beobachtet worden, aus dem Ital.*

 über-

überſetzt durch FUESSLIN. Zürich. 8. P. III. 1772. §. 846. p. 243), SELLIO (medicina clinica p. 597), LYSONIO (l. m. c. p. 32.), THOMPSONIO (medical conſultations. London. 1773. p. 111); ſuo iam tempore FR. HOFFMANNUS (medicin. ration. ſyſtematic. T. IV. P. 1. §. VIII. p. 64. 65. 85. medicin. conſultat. T. IV. Dec. V. caſ. VII. p. 321. praxis clinic. compendioſa febrium cum cautelis. Hal. 1705. 4.) egregio cum ſucceſſu in febribus intermittentibus etiam rebellibus domandis interdum ad lene vsque ſaliuae profluuium vſus eſt mercurio dulci, quem (drachmam) cum cortice cinchonae (drachmis tribus), regulo antimonii medicinali (drachmis duabus), croco martis tenuiſſimo (drachma), arcano duplicato (drachma), et oleo menthae (guttis quatuor) permiſcendum curauerat, ita vt pulueris huius cum rob ſambuci et iulepo roſarum ſubacti mane et veſperi drachmam mediam deglutiri iuberet, adſtipulantibus J. H. SCHULZIO et J. G. GRAEVIO (l. c. p. 19. 20. §. XIV. XV.), et ſua ipſius experientia comprobante C. PEZOLDO (obſerv. medico-chirurgic. LXVIII.). Nuperius quoque L. FRANCK (*mediciniſch-chirurgiſche Zeitung, herausgegeben von* HARTENKEIL. Salzburg. 8. 1795. d. 7. Maj. p. 181. 182.) mercurium dulcem, quotidie pondere granorum quatuor ad decem vsque, aliquando cortici cinchonae aut radici valerianae et ſaccharo nuptum, in febribus quartanis medicandis vtiliſſimum depraedicat, et Ill. HILDEBRANDT (l. m. c. §. XIV. p. 56. 57.) eius conſortio corticis cinchonae ſtipati vſu febrem quartanam, aliis remediis pertinaciſſime reſiſtentem, fugatam refert.

In morbo hypochondriaco, cuius primus fons toties in obſtructis abdominis viſceribus latet, profuiſſe ſuas pilulas narrat (l. c. p. 368.) N. GISLER; felici cum ſucceſſu pilulis ex mercurio dulci, aloë et camphora conflatis et ſingulis quaternis veſperis exhibitis, in medela melancholicorum vſus eſt Immort. WERLHOFIUS (Opera edit. WICHMANNI. Hannov. 1775. p. 694), non mediocri cum aegrotorum leuamine Ill. HILDEBRANDT (l. m. c. p. 52. §. 11.); in maniacis ſanandis ſummam ſuarum pilularum vim extollit (l. c. p. 359.) N. GISLER; multum ad recuperandam ſanitatem maniacae feminae feciſſe, expertus eſt Ill. HILDEBRANDT (l. m. c.).

In hydrophobia auertenda, adhibito ſimul extrinſecus argento viuo, mercurium dulcem intus ingeſtum efficacem praedicant KALTSCHMID et BERTRAM (diſſ. de ſaliuatione mercuriali ceu indubio praeſeruationis et curationis remedio aduerſus rabiem caninam. Ien. 1760.), ANDRY (recherches ſur la rage. à Paris. 1778. 8.) et auctores libri (Inſtruction concernant les perſonnes mordues par une bête enragée. Strasb. 1778. p. 9.); infricandum oris interioribus partibus ſuadent CHR. FR. JAEGER (*mediciniſche Anweiſung wegen der tollen Hundewuth.* Stuttg. und Tübing. 1782. 4. p. 16.) et J. JOHNSTONE (l. c. p. 287), monuit tamen R. HAMILTON (remarks on the means of obviating the fatal effects of the bite of a mad dog. Ipswich. 1785.), iuſto tardius operari; incaſſum adhibuerunt alii (apud A. DUNCAN medical commentaries for the Year 1792. Edinb. 8. D. II. Vol. 7. 1793.

Sect. IV. art. 3.), et J. JOHNSTONE (l. c. p. 299-302.), etſi ſaliuae profluuium excitaſſet.

In hydrope quoque, toties ex obſtructis infimi ventris viſceribus proficiſcente, praeeuntibus iam PARACELSO (*von der Waſſerſucht*) et QUERCETANO (l. m. c.), GR. HORSTII (ed. MARC. DONATI hiſtor. medic. memorabil. Francof. 1664. 8. L. 7.), G. W. WEDELII et J. A. STOLLII (l. c. p. 29.), M. ETTMÜLLERI (SCHROEDER dilucidatus. Oper. omn. cur G. FRANCO. Francof. 1688. fol.), D. MONROI (Eſſay on the dropſy and its different ſpecies. Lond. 12. Ed. 2. 1756. p. 62.), JAC. LINDII (eſſay on the diſeaſes incidental to Europeans in hot climates. London. 1768. 8. p. 268.), LYSONII (l. m. c. p. 64.), METZLERI (*Preisſchrift von der Waſſerſucht.* Ulm. 1787. p. 50.) et J. FERRIAR (medical hiſtories and reflexions. Warrington and London. 1792. 8.) laudes meruit; ad decrementum tumoris, in hydrope anaſarca conſpicui, conferre, crebro comperit Ill. HILDEBRANDT (l. c. §. 15. p. 57.); hydropem, qualis haud raro febrem ſcarlatinam excipit, etiam pertinaciorem, mercurio dulci (drachma media), cum auro fulminante, extracto ſcillae (vtriusque aequali cum priori pondere), rhabarbari radice electa (drachmis duabus), ſale a ſyluio febrifugi titulo inſignito (aequali pondere) et rob iuniperi in pilulas grani vnius vel duorum compacto, quarum ſingulis binis aut ternis horis vnam alteramue per duos tresue continuos dies aegroto exhibendam, et infuſam cum baccis iuniperi, aut decoctam cum radice tritici repentis aquam calidam ſuperbibendam iuſſit,

iuſſit, feliciter diſpulit M. A. PLENCIZ (Oper. medico-phyſica. Vindobon. 1762. 8. tract. 3. de ſcarlatin. §. LX. p. 121-124); eundem mercurium dulcem (grana ſedecim), cum reſina ialappae (aequali pondere), elaterio (granis ſex), extracto panchymagogo Crollii (drachma dimidia) et eſſentia ialapae in pilulas ſubactum, hydropi oppoſuit L. HEISTER (*mediciniſch-chirurgiſche Wahrnehmungen.* P. I. p. 450). Qui lenioribus cedere renuebat, militum hydropem, mercurio dulci, praeeunte LUDOLFO, cum lapidibus cancrorum praeparatis (parte media), antimonio diaphoretico et millepedibus praeparatis (amborum parte quarta) coniuncto, fauſto cum euentu impugnauit Ill. BALDINGER (*von den Krankheiten einer Armee.* Langenſ. 1765. 8. p. 217); mercurio dulci cum ari radice (partibus octo) permiſto, et ad ſaliuae profluuium vsque adminiſtrato aſcitico ſanitatem reddidit Cl. BLOCH (*mediciniſche Bemerkungen.* Berlin. 1774. 8. p. 113-115); mercurium dulcem vel cum ſapone veneto, vel cum ſapone ex ſale tartari et gummi guaiaco conflato in pilulas redactum, et ea copia propinatum, vt ſaliua profluere incipiat, mirifice efficacem in hydrope pellendo iam expertus eſt J. H. RIEPENHAUSEN (Morbi epidemici ſtatim ab initio proximi belli vsque ad eius finem, ſcilicet ab anno 1757 vsque ad 1762 Goettingae et circa eam graſſati. Hal. 1766. 8.): Feminam hydropicam largiori paulo ſaliuae fluxu per mercurii dulcis vſum internum excitato cum ſanitate in gratiam rediiſſe legas (Ephemer. Acad. Caeſar. Nat. Curioſ. Dec. II. A. 4. obſ. 36.); inertem tamen deprehendit Perill. QUARIN (l. m. c.),

 et

et quod aſciten ſpectat, etiam Ill. HILDEBRANDT (l. m. c.).

Egregiam potiſſimum praeſtitiſſe opem in hydrocephalo interno ſanando largiori paulo copia ingeſtum teſtes ſunt praeter J. DOLAEUM (encyclopaedia chirurgico-rationalis. Francof. 1689. 4.) Anglorum medici, C. GUIL. QUIN (de hydrocephalo interno diſſ. Edinb. 1779. et treat. on the dropſy of the brain illuſtrated with a variety of caſes, to which are added obſervations on the uſe and effects of the digitalis purpurea in dropſies. Lond. 1790. 8.), PERCIVAL (Medical and philoſophical commentaries by a Society in Edinburg. 1779. P. II.), DOBSON (Medical Obſervations and Inquiries by a Society of Phyſicians in London. London. 4. Vol VI. 1784. art. 6.), HAYGARTH (ibid. art. 7.), HUNTER (ibid. art. 8.), et FERRIAR (l. c.); in puero trienni, impoſito ſimul ceruici emplaſtro veſicatorio, ad ſaliuae vsque profluuium egregio cum ſucceſſu exhibuit LEIB (Transactions of the College of Phyſicians of Philadelphia. Philadelphia. 8. Vol. I. P. 1. 1793.), qui tamen (l. m. c.) in alio puero, perinde ac CURRIE (ibid.) et PERKINS (ap. DUNCAN l. c. Dec. II. Vol. I. P. 1. Sect. 1. art. 2.) eadem medela nihil effecit; malum minuere viſus fuit Ill. HILDEBRANDT (l. m. c. p. 59. §. 15.), nequaquam ſuſtulit.

Quum ſpiſſitudini quoque, in inflammationes pronae, temperet mercurius dulcis, ea forte ex cauſſa in hydrope cerebri, qui (QUIN l. m. c.) inflammatoriam ſaepe prae ſe fert indolem, crebro ſalutaris, mirifica eius, ſi quando aluum nimium ſtimulet,

ſtimulet, opii exili portioni permiſti, ſanguine prius miſſo et aluo laxata, potentia in inteſtinorum (J. LIND medical journal. London. 1787. p. 43.), et hepatis inflammationibus (J. A. MURRAY diſſ. de hepatitide p. 53.), R. HAMILTON (Medical commentaries Vol. IX. for 1783 and 1784. Sect. II. art. 1.), in ipſa pleuritide et peripneumonia (J. LIND et R. HAMILTON ll. mm. cc.), in angina, ipſa gangraenoſa (COLDEN medical obſeruations and inquiries &c. Vol. I. n. 19. p. 211. BAILEY et MICHAELIS apud Ill. RICHTER *Chirurg. Bibliothek.* Vol. V. p. 737-739) et membranacea (BARD Transactions for promoting uſeful knowledge. Philadelph. 4. Vol. I. 1771. Phyſ. art. 4. et apud RICHTER l. m. c.) patet; in ophthalmia, non tantum venerea et ſcrophuloſa, ſed aliis quoque ex cauſſis, ex laeſione externa, tranſpiratione ſuppreſſa, primarum viarum ſordibus nata, graui, chronica, pertinaci, virtute ſalutari omnia alia medicamenta ſuperauit mercurius dulcis, ſiue ſolus, ſiue cum cortice cinchonae exhibitus (Ill. HILDEBRANDT l. m. c. §. 23. p. 72. 73.), eo in morbo iam a WARNERO (deſcription of the human eye, and its adjacent parts together with their principal diſeaſes. London. 1773. p. 25 ſq.) commendatus.

In rheumatiſmo chronico multo cum fructu vſi ſunt mercurio dulci alii; rheumatiſmum brachii et humeri per nouem menſes plurimis aliis medelis pertinaciter reſiſtentem, pilularum, quarum ſingulae doſes mercurii dulcis et ſulphuris aurati antimonii vtriusque granum vnum continebant, diuturnus vſus fugauit.

Quum dyſenteria et colica ſimilem non raro originem agnoſcant, haud mireris, in his quoque (LYSONS l. m. c. p. 177.) aliquando cum ſucceſſu fuiſſe adminiſtratum, in illa quidem opio, in hac medicamento cuidam cardiaco iunctum; in illa vtique inertem, ſi vlceribus exeſa, aut alio modo laeſa per medicamenta violenta fuerint inteſtina.

Ad munienda contra luem armenta omnibus reliquis praefert mercurium dulcem cum camphora permiſtum J. A. PLENCIZ (l. m. c. T. I. addit. ſect. II. p. 226), qui potentia vermes pellendi ac necandi prodeſſe, ſibi perſuaſiſſimum habet.

Et certe ingens ipſi ineſt virtus vermifuga; celebrant eo nomine mercurium dulcem N. CHESNEAU (obſerv. medic. Pariſ. 1672. 8. L. III. p. 322), J. VESTI et J. G. ECKMANN (l. c. §. V. p. 11. et §. VIII. p. 18.), G. W. WEDEL (amoenit. mater. medic. L. II. Sect. 2. c. 8. p. 366.), J. A. STOLL (l. c. p. 31. 32.), LOESECKE (l. c. p. 122. 123.), HILDEBRANDT (l. m. c. §. 20. p. 65.); ſuam quoque in ſpecifico CLOSSII contra taeniam partem agit (P. I. Vol. IV. p. 124 ſq.), quare aliis atque aliis aut aluum laxantibus, aut pariter vermifugis, qualia e. gr. GERARDO praecipiente ſabinae folia, aut gratioribus v. gr. elaeoſaccharo (HILDEBRANDT l. m. c.) miſtus, alia atque alia forma in ipſis officinis venit, olim ab HARRISIO (l. c.), ſerius a MELLINO (l. c. p. 145) reprobatus.

Pilulae anthelminticae HOFFMANNI (SPINA l. c. p. 688), praeter mercurium dulcem (grana quindecim) extractum aloës (drachmam), camphoram

phoram (grana tria), et vitrioli ſpiritum (guttas ſex) recipiunt.

Puluis ad vermes (LE MORT pharmac. medico-phyſ. p. 135) praeter mercurium dulcem et varia amara corallinam et vitriolum ferri recipit, et ſcrupuli dimidii, imo integri pondere exhibetur.

Puluis ad vermes (FRAUNDORFFER l. c. p. 252), ampla compoſitio, quam praeter mercurium dulcem radix ialapae, vitriolum ferri, alumen, ſal gemmae, creta, myrrha, atque alia vegetabilia, potiſſimum amara atque aromatica ingrediuntur, doſi ſcrupuli medii, imo ſcrupuli et drachmae integrae adhibita.

Puluis contra vermes ſeu lumbricos Zwelfferi (JÜNGKEN l. c. p. 274. b.) ex mercurio dulci (drachmis duabus cum media), ſeminibus cinae (vncia), corallina (drachmis duabus), radice mechoacannae albae (aequali pondere), magiſterio ialapae cum amygdalis ſubacto (drachma), ſeminibus aniſi (drachma vna et dimidia), et ſaccharo albiſſimo (vncia media) conflatur, et ſcrupuli, imo integrae drachmae, pondere in lacte vel mulſo propinatur.

Puluis contra vermes Zwelfferi alius (JÜNGKEN l. m. c.) praeter mercurium dulcem corallinam (vtriusque vnciam mediam), ſemina cinae, ſaccharum album, (vtriusque vnciam), myrrham, macis (vtriusque drachmam), cornu cerui raſum et radicem turbith (vtriusque drachmas duas) recipit, et drachmae dimidiae, imo integrae pondere praebetur.

Rotulae

Rotulae ad vermes necandos Morelli (FRAUNDORFFER l. c. p. 261) praeter mercurium dulcem (drachmam mediam) et ſaccharum aqua ſolutum corallinam, ſemina ſantonici, et rhabarbarum electum (ſingulorum drachmam) continent.

Rotulae aduerſus lumbricos aliae Zwelfferi (JÜNGKEN l. c. p. 352. a.) ex ſaccharo albiſſimo aqua roſarum ſoluto (vnciis quatuor), mercurio dulci (drachmis tribus vel vncia media), et radice mechoacannae albae componuntur, et drachmae, imo mediae vnciae, pondere propinantur.

Rotulae contra vermes ſeu lumbricos Zwelfferi (JÜNGKEN l. m. c.), ex ſaccharo albo aqua roſarum ſoluto et legitime in hunc finem praeparato (vnciis quatuor), ſeminibus cinae (drachmis tribus), radice turbith (drachmis duabus cum dimidia), corallina et mercurio dulci (vtriusque drachmis duabus), et cinnamomo (drachma vna et media) conſtant, et drachmarum duarum, imo mediae vnciae, pondere praeſcribuntur.

Tabellae anthelminticae (New diſpenſatory p. 565) ex ſaccharo (vncia media) aqua roſarum ſoluto, ſcammoneo et mercurio dulci (vtriusque granis quatuor) conficiuntur, alternis diebus mane exhibendae.

Tabellae pro vermibus (LE MORT l. m. c. p. 129. 130.) principem certe virtutem a mercurio dulci habent, quem praeter corallinam, camphoram et ſcammoneum recipiunt.

Trochiſci anthelmintici ſiue *hermetici Scretae* (Pharmac. Wirtemb. II. p. 216), *Trochiſci hermetici*

metici ſ. mercuriales Scretae (SPINA l. c. p. 1004), ex mercurio dulci (vncia dimidia), diacrydio ſulphurato (drachma), cornu cerui, quod philoſophice praeparatum appellant (ſcrupulis duobus), cinnamomo (ſcrupulo), ſaccharo albo (vncia), conſerua roſarum rubrarum (drachmis duabus) et mucilagine tragacanthae aqua roſarum ſoluta ita compinguntur, vt ſinguli grana quindecim pondere aequent, dulcis igitur mercurii grana duo, diacrydii vnum contineant, et ſolitarii ergo, aut bini propinentur.

Si quid in epilepſia (ingreditur enim puluerem antepilepticum DOLAEI (SPINA l. c. p. 761.) et aliis morbis conuulſiuis, v. gr. illo, quem Germani Kriebelkrankheit appellant (J. TAUBE *Geſchichte der Kriebelkrankheit, beſonders derjenigen, welche in den Jahren* 1770 *und* 1771 *in den Zelliſchen Gegenden gewüthet hat.* Göttingen. 1782. 8.) bonae frugis praeſtitit, magna cum veri ſimilitudine ex virtute vermes interficiendi deducas, quos creberrimam eiusmodi morborum eſſe cauſſam, inter omnes conſtat. Neque tamen vermes tantummodo ex inteſtinis eliminat mercurius dulcis, ſed aliis quoque ea ſordibus liberat, quibus tot mala progignuntur, tot alia exaſperantur, eo nomine iam ab O. CROLLIO (l. c. p. 214), G. W. WEDELIO et J. A. STOLLIO p. 26. 27.) multisque aliis laudatus atque frequentiſſime alia atque alia forma adhibitus. Hanc aluum ducendi facultatem multum vtique facere ad efficaciam, quam in aliis atque aliis enarratis morbis exſerit, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, at perinde certum, quam in veneno venereo domando

domando ab eo exſpectas, virtutem turbare, ac interdum fere abolere.

Bolus catharticus cum mercurio (New diſpenſatory p. 581), vel ex mercurio dulci (granis quinque), radice ialapae (ſcrupulo) et ſyrupo roſarum ſolutiuo, vel, ſi fortiori opus ſit cathartico, ex mercurio dulci, ſpeciebus aromaticis (amborum ſcrupulo dimidio), gummi guttae (granis ſeptem) et ſyrupo rhamni cathartici compingitur.

Bolus mercurialis (New diſpenſat. p. 583), ex mercurii dulcis granis quinque ad quindecim et conſeruae roſarum drachma dimidia conflatur, excitando quidem inprimis ſaliuae profluuio deſtinatus, at non raro praeter medici exſpectationem aluum laxans.

Pilulae de cambogia (New diſpenſat. p. 572), partem vtique eius, quam edunt in aluo euacuanda, efficaciae gummi guttae, cuius nomen in fronte gerunt, aloae ſuccotrinae, et extracto hellebori nigri debent, at certe non exiguam mercurio dulci, cuius aequalem cum reliquis recipiunt portionem.

Rotulae laxatiuae infantiles (SCHROEDER l. c. p. 233) omnem, a qua denominantur, efficaciam radici ialapae et mercurio dulci acceptam referunt, cuius vtriusque aequalis portio illas intrat.

Tabellae purgantes (LE MORT l. m. c. p. 129), licet ſcammonei, radicis ialapae et rhabarbari et foliorum ſennae maiorem longe portionem contineant, partem tamen huius quoque virtutis mercurio dulci debent. Drachmae mediae, imo vnciae dimidiae pondere propinantur.

Qua

Qua virtute in oculorum morbis (N. GISLER l. c. p. 368. J. TAUBE l. c.) tantopere conducat, definire nolim; quid in ophthalmia praeſtet, ſupra iam dictum; amauroſin ſaliuae profluuio, per internum mercurii dulcis vſum excitato, ſanatam refert L. HEISTER (ap. VOGT de amauroſi ſaliuatione curata. Altd. 1713. 4.); in ipſa cataracta profuiſſe ſuas pilulas tradit (l. m. c.) N. GISLER; tum incipientem, tum conſummatam pilulis ſuis rubris et puluere, quem vocat, minerali, ſanaſſe ſe oſtentat (l. m. c.) ROWLEY; maculas corneae, leuconiata et alia eius generis pilula alba, id eſt, mercurio dulci cum ſaccharo et mucilagine gummi arabici in pilulam compacta, deleta *Idem*; maculas corneae mercurio dulci cum ſaccharo et alumine permiſto illinendas ſuaſit BOERHAAVE (de morbis oculorum p. 66.); puluere mercurii dulcis cum ſaccharo permiſti penicilli ope admoto pannum oculi ſuſtulit G. F. JAENSCH (diſſ. de efficaci mercurialium vſu chirurgico. Hal. 1756. 4. §. XV. p. 26).

In iſchuria incipiente plurimum prodeſſe mercurium dulcem (grana decem) opio (granis duobus) temperatum, ſingulis ſex horis exhibitum, teſtatur HAMILTON (Philoſoph. Transactions Vol. LXVI. for the year 1776. P. II.); in rhachitide ſuas pilulas egregio certe cum aegrotorum leuamine exhibuit (l. c. p. 172.) N. GISLER, qui quoque paralyticis mirifice profuiſſe ſuas pilulas (l. c. p. 359. 367.) teſtatur; in eodem morbo commendatus iam fuit mercurius dulcis ab aliis (J. VESTI et J. G. ECKMANN l. c. §. IX. p. 18. 19.).

Mercu-

Mercurius corroſiuus ruber (New diſpenſ. p. 512. 513.), ſi quidem differt a mercurio praecipitato rubro, ab acido, praeſertim ſalino tenacius argento viuo adhaerente, maiorem ei acrimoniam conciliante, pendet illa diſcrepantia; recipitur enim vt ſoluatur illud, aqua fortis, quae diſtillando ſedecim eius vncias cum drachma ſalis marini ad ſiccitatem vsque impetratur.

Mercurius ſublimatus ruber naſcitur ex hydrargyro nitrato violentiori igne in altum acto, parum certe diſtinctus ab eo, quem vulgo praecipitatum rubrum dicunt.

Mercurius tricolor, ſi permiſtum, donec globuli eius euanuerint, cum vitriolo vſto, et nitro argentum viuum vehementi igne torquetur, alia atque alia ratione aquae et nitri acido nubens triplicem in ſuperiori vitri parte affigit annulum, ſummum album vel cinereum, medium flauum, infimum rubrum. Medicis alchemicis olim magni aeſtimatus hodie merito euiluit.

VIII. *Salia mercurialia, tam liquida, quam ſicca.*

Hoc ſub titulo illa comprehendo medicamina mercurialia, quae veram prae ſe ferunt ſalis indolem, et aqua diſtillata perfecte ſoluuntur, in quibus igitur paulo largiori, quam quidem in praecedentibus copia, nunc hoc, nunc illud principium ſalinum ſecum coniunctum habet argentum viuum.

Difficulter quidem et perparum, nec niſi in calcis formam redactum alcalibus ſolui argentum

viuum

viuum nuperius quoque expertus eſt Ill. HILDEBRANDT (*Geſchichte des Queckſilbers*. p. 267. 270.), calcinatum tamen alia atque alia ratione iis potiſſimum alcalibus, quibus acidum aëreum affixum eſt, ſolui WEIGELII (Obſerv. chemic. et mineralogic. II. Exp. X. p. 12.), WENZELII (l. c. p. 421), LAVOISIER et CORNETTI (Memoir. de la Societé de medecine. à Paris. ad ann. 1780 et 1781. p. 238 ſq.) et ipſius Ill. HILDEBRANDTI (l. m. c. p. 271) pericula loquuntur; praedicauit iam ſuo tempore (l. c.) QUERCETANUS, aſſentiente poſtea SEVERINO (de recondita abſceſſuum natura. L. IV. c. 23. §. 9. p. 255) *ſpiritum mercurialem*, id eſt, ſpiritum vrinoſum argentum viuum diſſolutum in ſe continentem; et plurimi quoque ſunt in commendanda ad luem veneream debellandam medicina (*Eſſentia mercuriali*), quae ſolutum continua trituratione et decantatione per lixiuium cauſticum fortiſſimum hydrargyrum recipit, poſt praeceptorem ſuum LUDOLFUM D. CHR. GRASSO (diſſ. de mercurio per alcali ſoluto tutiſſimo ſpecifico antiuenereo. Erford. 1747. 4. §. VI-XII.) et L. A. RITTER (diſſ. ſiſt. demonſtration. quod atrociſſima luis venereae ſymptomata non ſint effectus morbi, ſed curae mercurialibus inſtitutae. Erf. 1747. 4. §. XII. p. 25.); nullos tamen, quantum noui, hactenus aſſeclas nacti.

Debilius quoque aggrediuntur mercurium ſalia neutra, facilius tamen et validius reliquis ſal armoniacus, ſiue (*Tinctura mercurialis Garayi*) diu cum argento viuo teratur, aequabiliter permiſtus aëris contactui exponatur, vt primum humorem attraxit, in mortario agitetur, exſiccetur, denuo aëri

aëri exponatur, illoque artificio decies vel vltra repetito, tandem liquor per filtrum traiectus exſiccetur (Com. DE GARAYE Chymia hydraulica C. 4. ſect. 7. *ins Deutſche überſ. Zweyte Auflage.* Frankf. und Leipzig. 1755. 8. p. 234. 235.), ſiue mercurius, quem dicunt praecipitatum fuſcum, cum aequali ſalis armoniaci portione contritus ignis vi in altum agatur, materia in altum acta in aquam coniiciatur, et puluis albus, qui in eo fundum petit, ſalis nitentis lamellati, quod duodecuplo aquae pondere, inſigne frigus excitando, ſoluitur, ſpecie ſublimetur (NAVIER contrepoiſons de l'arſenic &c. II. p. 104), ſiue mercurius, qui audit, praecipitatus ruber, cum ($\frac{4}{7}$) ſalis ammoniaci tritus, ignis violentiae ſimili modo expoſitus (HILDEBRANDT *Geſchichte des Queckſilbers.* p. 280 - 282), ſiue vel idem (HILDEBRANDT l. m. c. p. 279. 280.), vel mercurius praecipitatus fuſcus (NAVIER l. m. c. p. 94.) bullienti ſalis armoniaci per aquam paratae ſolutioni iniiciatur; quocunque modo procedas, naſcitur, quum argentum viuum vel eius calx ſalis armoniaci portionem in ſuas partes diuellendo, eius acidum attrahat, *ſal*, *ſalis* veteribus *Alembroth* nuncupati inſtar, ex mercurio ſublimato corroſiuo et ſale ammoniaco compoſitus (MACQUER memoir. de l'Acad. des ſcienc. à Paris. ad ann. 1755. p. 545 ſq. HILDEBRANDT l. m. c. p. 280. 281.), vt tamen poſterius (HILDEBRANDT l. m. c. p. 281.) ſubtiliſſimas mercurii atomos aliquando intermiſtas habeat. Spiritu vini ſolutus hic ſal maximopere fuit commendatus in chronicis cutis morbis a b. MACQUERO (l. m. c.), maximo cum fructu adhibitus aqua ſolutus

lutus ſeni, pertinacibus, dolentiſſimis, grauiſſimis viſcerum abdominis obſtructionibus et ſpirandi difficultate laboranti a b. SPIELMANNO (apud J. FR. EHRMANN diſſ. de hydrargyri praeparatorum internorum in ſanguinem effectibus. Argent. 1761. 4. p. 26. §. XVII.).

Tinctura antiuenerea Molleti, Quinteſſence venerienne du Sieur Mollet: ſali eius generis mercurium et ſalem ammoniacum ſoluto in ſe tenenti vires ſuas debere teſtis eſt NAVIER (l. m. c. p. 113).

Guttae albae Wardii, D. Ward's white drops, acre ſane atque anceps remedium, cuius quotidie vnicam guttam aqua plurima temperatam ſorbendam aegris lue venerea affectis imperauit inuentor. Si N. FALCKIO (l. c.) fides, paratur, ſi quatuor argenti viui vnciae in ſedecim aquae fortis meracioris et cum ſeptem vnciis alcali volatilis permiſtae vnciis ſoluantur, et cryſtallorum ex eo liquore refrigerato delapſarum libra tribus aquae roſarum libris ſoluatur; ſecundum Ill. GIRTANNERUM vero (l. c. I. p. 386), ſi praecipitatum ex aqua forti ſalis ammoniaci vi hydrargyrum aqua denuo ſoluatur.

Mercurius tartariſatus, Hydrargyrum tartariſatum: Continuata aliquamdiu trituratione (*Aethiops tartariſatus*) argentum viuum cremorem tartari ita ſubire, vt nulli eius amplius appareant globuli MONNET (Melang. de philoſophie et de mathématique de la Societé royale de Turin. Vol. IV. ad ann. 1766-1769. p. 103) et PAECKEN diſſ. de ſale acido eſſentiali tartari. Goetting. 1779. 4.) iam obſeruarunt, et addito, dum teruntur, ſyrupo

v. gr. capillorum veneris, adeo arctum necti inter vtrumque vinculum, vt pulueribus etiam intermiſtis, qui humorem abſorbent, non reuiuiſcant, expertus eſt DE MORVEAU (*Anfangsgründe der theoretiſchen und praktiſchen Chemie zum Gebrauch der öffentlichen Vorleſungen auf der Academie zu Dijon, aus dem Franzöſ. überſetzt mit Anmerkungen von* CHR. EHR. WEIGEL. Leipz. 8. Vol. III. 1780. p. 56). Quamvis mercurium metallico adhuc nitore conſpicuum cremore tartari nequaquam ſolui docuerit experientia, eadem tamen oſtendit, calces eius, tum calcem ignis vi ſine vllo additamento paratam (NAVIER l. m. c. app. 1.), tum eam, quae vulgo mercurius praecipitatus fuſcus audit (NAVIER et MONNET ll. mm. cc. WENZEL l. c. p. 308. PRESSAVIN traité des maladies veneriennes, dans lequel on indique un nouveau remède, dont l'efficacité eſt conſtatée par des experiences réiterées et un ſuccés conſtant depuis dix années. à Geneve. nouv. edit. 8. 1775. p. 371 ſq.), bullientis aquae adiumento et ipſa mora ſolui cremore tartari poſſe, et ſalem ſiſtere, qui facile aquam ſubit (A. DUNCAN obſervations on the operation and uſe of mercury in the venereal diſeaſes. Edinb. 1772. 8.), facilius adhuc, ſi (NAVIER l. m. c.) boracis, aut (S. HAHNEMANN apud DEMACHY *Laborant im Groſsen &c.* T. II. p. 172) ſalis ſedatiui pauxillum fuerit additum.

Hunc ſalem vere metallico ſapore imbutum, et cupri politam atque humectatam ſuperficiem, cui affricatur, argenteo cortice obducentem, etiam a Cl. SCHWEDIAUER (l. c. c. 17. ſect. 3.) inter meliora medicamina mercurialia recenſitum, aqua ſolutum

(*Mercu-*

(*Mercurius tartariſatus liquidus, Eau vegetale mercurielle*) et ſyrupo quodam edulcatum, ſiue intus, ſiue extrinſecus adhibeatur, multis, forte nimiis (BALDINGER hiſtor. mercur. et mercurialium prog. 6. Caſſell. 1785. 4. p. 15.), laudibus cumulat PRESSAVIN (l. c. et diſſert. ſur un nouveau remede antivénérien. Lyon. 1767. 8.), quamuis diffiteri haud poſſit, id ipſi cum aliis ex argento viuo paratis medicinis commune eſſe, vt, niſi euacuantibus auertatur, ſaliuae fluxum cieat (traité p. 135. 323. 329. 331. 342.), non malum modo venereum ipſum, pertinaciſſimum adeo, quod mercurii ſublimati corroſiui (trait. p. 334. 346-351.), vnguenti mercurialis (traité p. 320. 334.) et medicamenti a KEYSERO denominati (diſſ. p. XLV. et trait. p. 351.) vim eluſerat, tuto, cito, et ſine moleſtia, eius vſui ceſſiſſe, ſed alias atque alias eius propagines, ſcabiem (traité p. 341. 345.), vlcera, potiſſimum colli (l. m. c. p. 325. 327. 328. 334.), pedum (l. m. c. p. 329. 334.) et foetidiſſima narium (l. m. c. p. 346.), ſcirrhos glandularum in cancrum degenerantes (l. m. c. p. 330. 332. 343. 349. 351.), rhagades et verrucas cancroſas, alias ani (l. m. c. p. 320. 324. 327. 328. 334. 350.) et genitalium (l. m. c. p. 320. 324. 327. 328. 330. 334. 340. 343. 344. 347. 350. 351.) eiusmodi excreſcentias, gonorrhoeas (l. m. c. p. 330. 341. 343. 346. 351. et diſſert. p. XLIV. XLV.), cranii aliorumque oſſium exoſtoſin (traité p. 345. et diſſ. p. XLIII.), hemicranias (l. m. c. p. XLII.), ophthalmias, rheumatiſmos (l. m. c. p. XLI. XLIV. et traité p. 330. 334. 335.), ipſam tabem ex hoc fonte oriundam

(l. m. c. p. 331. 333.) feliciſſime deuictas fuiſſe, exemplis fuſius enarratis refert. Confirmauit has laudes ſua ipſius experientia ſaltem ex parte J. C. TH. BOELKE (diſſ. de mercurio tartariſato liquido. Goett. 1787. 8. p. 45-51).

Externo quoque vſu, linteis carptis inſtillatum, quae vlceribus eiusmodi intruduntur, in vlceribus tum venereis, tum alius originis, quamuis pertinaciſſimis, et ad oſſa vsque penetrantibus, mirifice prodeſſe, capta a BOELCKIO (l. m. c. p. 52-59.) pericula loquuntur. Vrethrae iniectum ad auertendam infectionem veneream commendauit (ll. cc.) PRESSAVIN.

Puriori tartari acido iungi poſſe facilius ac maiori copia mercurium, ſiue illud diu cum argento viuo teratur, ſiue cum aqua et mercurio praecipitato per ſe, aut loco huius cum mercurio praecipitato rubro, aut mercurio praecipitato fuſco coquatur, ſiue paratae per nitri acidum argenti viui ſolutioni inſtilletur aut acidum tartari purum, aut cremor tartari, aut tartarus tartariſatus, aut ſal polychreſtum Seignette aqua ſoluta, docent experimenta a MEYERO (*alchymiſtiſche Briefe.* Hannover. 1767. 8. p. 7 ſq.), PAECKEN (l. c. p. 14.), ESCHENBACH (progr. de quibusdam auri calcibus et ſalibus mercurialibus. Lipſ. 1785. p. XVI. XVII.) et DE MORVEAU (l. c. III. p. 57.) commemorata. Medicis tamen vſibus hactenus non inclaruit iſta miſtura.

Ab aliis quoque acidis vegetabilibus ſoluitur hydrargyrum: Mercurium, quem vocant praecipitatum per ſe, tam vinum rhenanum, quam expreſſum

preſſum ex pomis citreis ſuccum ſubire A. S. MARCGRAFIUS (*Chymiſche Schriften.* Berlin. 8. P. I. 1761. p. 120.) expertus fuit; in poſteriori perfectiſſime quoque diſſoluit hydrargyrum, per alcali ex acido quodam praecipitatum C. FR. WENZEL (l. c. p. 250. 251.): In ſucco ex uvis immaturis expreſſo et aliis acidis vegetabilibus alias atque alias hydrargyri calces NAVIER (l. c. II. p. 75.) et R. DAVISONS (diſſ. de ſolutione mercurii in acido vegetabili, eiusdemque vſu. Lugd. Bat. 1767. 4.). Prior arcanum quoddam remedium, a quodam *Diennert Liqueur fondante* nominatum, non eſſe niſi eiusmodi ſolutionem hydrargyri acido vegetabili peractam (l. c.) afferit.

Antiquiſſima eſt, apud medicos quoque, *mercurii in aceto ſolutio*, PENOTO (theatrum chimic. Argent. Vol. I. p. 654. et de vera praeparatione et vſu medicam. chymicor. ed. III. Vrſell. 1602. 8. p. 34.), HENCKELIO (de appropriatione. p. 32.), STAHLIO (ſpecim. Beccherianum. p. 127. n. 180.), SCHROEDERO (l. c. p. 409.) et aliis iam cognita, recentius cum aliis atque aliis mercurii calcibus feliciter tentata; aethiopem, quem vocant per ſe, et KEYSERUS (ap. R. DE HAUTESIERK recueil d'obſervations de médécine des hopitaux militaires. à Paris. 4. Vol. II. 1772. app.), et MANGOLDUS (act. acad. elect. Mogunt. Erford. I. p. 247.) aceto diſſolutum vidit; mercurium praecipitatum per ſe A. S. MARCGRAF (l. m. c.), CHR. EHR. WEIGEL (obſerv. chemic. et mineralog. II. p. 10.) et DE MORVEAU (l. c. III. p. 15.), mercurium praecipitatum rubrum WESTENDORF (diſſ. de optima acetum concentratum

 eius-

eiusdemque naphtham conficiendi ratione, vtriusque affectionibus ac vſu medico. Goetting. 1742. 4. p. 29. 30.), mercurium praecipitatum fuſcum A. S. MARCGRAF (l. m. c.), DE MORVEAU (l. m. c. p. 14.), WENZEL (l. c. p. 206.), MONNET (Melanges de philoſophie et de mathématique de la ſocieté royale de Turin, pour les années 1766 - 1769. Vol. IV. p. 100 ſq.), turbith minerale WESTENDORF (l. c. p. 31).

Facilius tamen ſuccedit iſtud negotium cum mercurio praecipitato fuſco; largitur illa ſolutio, ſi humoris portio diſſipata fuerit, ſalem (*Hydrargyrum acetatum, Acetas hydrargyri, Terre feuilletée mercurielle de Fourcy*) pauliſper acrem et leniter adſtringentem, album, argenti more nitentem, ſquamoſum, attactu vnguinoſum, qui ab aëris contactu nitorem facile amittit, aqua, niſi calida, non ſolvitur, digitis ſiccis et calidis adhaereſcit, leni per calorem euaporatione flaueſcit, vaſis clauſis igne tortus acidum ſuum dimittit, et prunis ardentibus inſperſus totus auolat.

Hic ſal iam a PENOTO (ll. cc.) in morbis venereis grani vnius pondere cum vino ter per ſeptimanam exhibitus, eodem pondere adhuc Lutetiis vſitatus (J. J. FERBER *Beyträge zur Mineralgeſchichte verſchiedner Länder &c.* I. p. 354), baſin (HAUTESIERK l. m. c. et DE HORNE examen des principales methodes, d'adminiſtrer le mercure pour la guériſon de la maladie venerienne. à Londres et Paris. 1769. 8. p. 95.) conſtituit pilularum et trageaorum, a KEYSERO, magnas ex earum commercio diuitias et tandem praemium regium reportante, tantis

tantis laudibus celebratarum (Reponſe de M. KEYSER à un libelle du Sieur THOMAS, intitulé: Le Préſervatif ou Avis au Public ſur les dragées antiveneriennes. Paris. 1756. 12. Reponſe de M. KEYSER à l'Auteur anonyme d'un livre intitulé: Traité des tumeurs et des ulcères. à Paris. 1759. 8. Methode de M. KEYSER pour l'adminiſtration de ſes dragées, dans le traitement des maladies veneriennes, imprimé par ordre du Roi. à Paris. 1762. 8.), in quibus cum manna et farina permiſcetur, melius (J. PH. VOGLER pharmac. ſelect. p. 78. 79.) cum amylo, tragacantha et ſaccharo in trochiſcos vel pilulas redigitur.

At alii quoque fauſto cum ſucceſſu vſos ſe fuiſſe hoc a KEYSERO denominato medicamento praedicarunt, v. gr. J. COWPER (Narrative of the effects of the celebrated antivenereal medecine lately diſcovered by M. KEYSER. London. 1760. 8.), FR. ROUX (diſſ. de tragearum antiuenerearum praeſtantia. Monſpel. 1765. 4.), J. B. REY (recueil d'obſervations ſur le traitement des maladies vénériennes. Lyon. 1770. 8.), PELTIER (nouvelle méthode d'employer les dragées antivénériennes de M. KEYSER. à Paris. 1779. 8.) et J. PH. VOGLER (l. m. c. p. 79). Si glandularum obſtructio, ſolidorum relaxatio et diſpoſitio debilis occurrat, proficuum deprehendit earum vſum J. V. MÜLLER (l. c. p. 244), in hydrope venereo J. PH. VOGLER (l. m. c. p. 81).

Minus tamen arriſit haec mercurii forma aliis v. gr. AD. MURRAY et P. DUBB (l. c. c. 2. p. 22). Nocuiſſe teſtantur A. LE CAMUS (Journal économi-

 que.

que. Aug. 1756. p. 110. et Januar. 1757. p. 135), GIRTANNER (l. c. I. p. 384) et DE HORNE (l. m. c.); colicas grauiſſimas, hypercatharſes, febres lentas eius vſum inſecutas Ill. QUARIN (animaduerſ. pract. in diuerſ. morb. Vienn. 1786. 8. p. 18 ſq.); colicas, alui profluuia, etiam cruenta, tabem adeo eius vſu progenerata J. COLOMBIER (Code de médecine militaire pour le ſervice de terre. Paris. 1772. 8.); non ſaliuae modo aluique profluuium, ſed nauſeam, vomitum, cardialgiam, colicam J. PH. VOGLER (l. m. c.), ſaliuae profluuium et vehementem alui fluxum procreare teſtatur quoque auctor libri: Parallele des différentes methodes de traiter la maladie venerienne. à Amſterdam. 1764. 8. p. 178 ſq.; impares eſſe has pilulas labi venereae delendae IDEM (l. m. c.) et PRESSAVIN (diſſert. p. XXXI. et traité &c. p. 90-92), modo malos gignere effectus, modo nihil efficere, CÉZAN (manuel anti-ſyphillitique &c.). Quum tot aliis, ſale culinari, vulgatiſſimo ciborum noſtrorum condimento, ſaponibus, alcalibus, terris, ipſo ferro praecipitetur ex aceto argentum viuum, magna vtique, ne horum aliquid in ventriculo offendat haec medicina, circumſpectione opus eſt.

Acido ex oſſibus extricato via humida neque mercurium metallica adhuc facie conſpicuum (HILDEBRANDT *Geſchichte des Queckſilbers.* p. 235), neque per alcali quoddam ex acido praecipitatum (WENZEL l. m. c. p. 239), neque ſolo igne calcinatum (MARCGRAF l. c. I. p. 54.) ſolui, experimenta loquuntur; vix ſolui mercurium praecipitatum rubrum, quem adpel-

adpellant; Ill. HILDEBRANDT (l. m. c. p. 235) expertum ſe eſſe profitetur.

Solui tamen hoc acido, alcali volatili et vitrioli acido adhuc contaminato, pauxillum (in eius drachma circiter grana octo) mercurii praecipitati rubri, ſiue cum, ſiue ſine nitri acido praeparati J. A. M. SCHAEFFER (diſſ. de mercurialibus quibusdam pharmacis eorumque praecipuis virtutibus. Lipſ. 1790. 4. §. VI. p. 19. 20.), HEROLD (quaedam momenta de vſu mercurii phoſphorati Schaeferi. Ien. 1793.), Cl. G. FR. CHR. FUCHS (*chemiſche Bemerkungen über das phoſphorſaure Queckſilber, die Boraxſäure, das ſtinkende Johanniskraut und den ſaftloſen Aſtragalus.* Jena und Leipz. 8. 1795.), Cl. WESTRUMB (apud eundem l. m. c. p. 9. 10. §. 8.), Cl. WIEGLEB (apud eundem l. m. c. §. 7. p. 7-9.), Cl. GOETTLING (*Almanach für Scheidekünſtler und Apotheker.* ad ann. 1794. p. 149-176.), Cl. TROMSDORFF (apud Cl. FUCHS l. m. c. p. 9. §. 10-12. et *Journal der Pharmacie für Aerzte, Apotheker und Chemiſten.* Leipzig. 8. Vol. I. faſc. 2. p. 203 ſq.), Ill. HERMBSTAEDT (apud eundem l. m. c. p. 249. 250. et apud Cl. FUCHS l. m. c. §. 6. p. 6. 7.), et WILHELMI (apud Ill. GRUNER *Almanach für Aerzte und Nichtärzte* ad ann. 1795. p. 68 ſq.) teſtantur, et naſci, humore omni per calorem expulſo, ſalem (*Hydrargyrum phoſphoratum, Mercurius phoſphoratus*) metallici ſaporis, ad aëris contactum deliqueſcentem, grato acore aquam, qua facile et fere totus ſoluitur, imbuentem, aquae heliotropii ſucco tinctae colorem caeruleum in rubrum conuertentem, a commixtis cineribus clauellatis halitum alcalinum, caloris

caloris vi primo fumum cupri ruborem in candorem commutantem, eructantem, poſtea vero liquefactum.

Hic ſal, a J. A. M. SCHAEFFERO (l. m. c. p. 20.) et Ill. NICOLAI (*Recepte und Curarten.* Vol. V. p. 557-582.) commendatus, a Cl. BRETSCHNEIDER (apud HEROLD l. c. et apud Cl. FUCHS l. m. c. p. 73-101.), HEROLDO (l. m. c.), Ill. STARK (apud Cl. FUCHS l. m. c. p. 66. 67.), DORLIO (apud eundem l. m. c. p. 68-70.) et STURMIO (ibid. p. 70-72.) ſecundo cum ſucceſſu et vtplurimum ſine moleſtia aegroti adhibitus, tum in morbo venereo, tum in aliis atque aliis eius propaginibus fuit, ſiue illum aqua diſtillata ſoluendo, et, ſi placet, melle vel ſyrupo quodam edulcando, ſiue cum extracto gentianae rubrae et marrubii albi in pilulas redigendo, et, ſi externa luis venereae ſymptomata adſint, v. g. vlcera, exanthemata, haec ſimul ſoluto in aqua diſtillata ſale fouendo.

Inter omnia ſalia facilime ſubit mercurius nitri acidum, modo purum atque intemeratum, ſolutione limpida, temperaturam aquae diſtillatae omnino, nequaquam aquae naturalis ferente, ſi, diluta quamvis, cuti aut alii corporis animalis parti inſtillatur, maculam obſcure purpuream relinquente, cupri laminam politam iniectam argentea cruſta obducente, acerrima, et ſi humoris pars exhalauerit, in cryſtallos albas ſimiliter acrimonia inſignes, abeunte, aqua diſtillata denuo facilime ſoluendas.

Ob ingentem, qua pollet, acrimoniam externo potiſſimum vſu venit haec ſolutio, eximie profecto

profecto efficax, quandocunque exedente, putredini et venereae potiſſimum labi aduerſa medicina opus eſt, nunc liquoris, nunc ſalis, nunc vnguenti vel emplaſtri ſpeciem prae ſe ferens.

Liquor exfoliatiuus Belloſtii, Eau de Belloſte (H. BELLOSTE Chirurgien de l'hôpital. à Paris. 1696. 8. c. 12.) non eſt niſi peracta per aquam fortem argenti viui ſolutio, multa plantaginis aqua temperata, quam peritiſſimus ille chirurgus ſiue penicilli ope oſſibus illitam, ſiue per ſinus vlcerum iniectam in carie oſſium ſaluberrimam deprehendit.

Liquor mercurii viui Mynſichti (JÜNGKEN l. c. p. 64. b.) non eſt niſi ſolutio argenti viui per aquam fortem peracta, plurima (ad ſingulas vncias libra) aqua plantaginis temperata, et cum lapide medicamentoſo permiſta, ideo lactis tenuis inſtar turbida, in vlceribus, etiam antiquis et pertinacibus, tum venereis, tum ex alio fonte ſcaturientibus, in delendis exanthematibus olim frequenter vſitata, oculis tamen et dentibus infeſtiſſima.

Aqua griſea (Pharmac. Wirtemb. II. p. 18.) ſolutio argenti viui per aquam fortem parata, decocta (ſingulae vnciae eius libris duabus) cum radice chelidonii maioris et ariſtolochiae longae, cum herba ſcordii et rutae hortenſis, et floribus roſarum aqua diluta, in vlceribus phagadaenicis, et ſynouia praecipue quondam celebris, a GOHLIO (Act. medic. Berolinenſ. Vol. III. p. 86.) primum deſcripta, et multis ab hoc denominata.

Calx mercurii (New diſpenſat. p. 512.) potius *Hydrargyrum nitratum* vel *Nitras hydrar-*

gyri,

gyri, non eſt niſi mercurii per aquam fortem parata ſolutio, lenis caloris auxilio omni humore orbata, alba, ob ſummam acrimoniam rariſſime adhibita.

Vnguentum citrinum (New diſpenſat. p. 637. Pharmac. ſuec. p. 120. rational. p. 351.) non eſt, niſi argenti viui (vnciae vnius) in aqua forti (vnciis duabus) ſolutio, feruidiſſima adhuc cum liquata leni igne porci axungia (libra) in mortario lapideo fortiter agitando permiſta, coloris flaui, eximie acris, hinc in vlceribus venereis, vulneribus ab animalibus rabidis inflictis, virtute alia vnguenta mercurialia ſuperans, a Cl. J. WARE (remarks on the Ophthalmy, Pſorophthalmy and purulent Eye. London. 1780. 8.) in pſorophthalmia topica multopere commendata, ſi quotidie pauxillum eius, candelae calore pauliſper liquefactum, digiti indicis ope margini palpebrae inungitur.

Vnguentum citrinum (GIRTANNER l. c. I. p. 452.) ex argento viuo aequali copia aquae fortis purae ſoluto, et cum oleo oliuarum (quatuor ratione argenti viui partibus) et axungiae ſuillae (octo ad ſedecim partibus) agitando permiſto paratur.

Vnguentum ophthalmicum Heckeri (A. FR. HECKER *deutliche Anweiſung die veneriſchen Krankheiten genau zu erkennen und richtig zu behandeln.* Erfurt. 1791. 8.), ex aqua forti, quam duplicem vulgo vocant (vncia media), argento viuo puriſſimo ſaturata, cum camphora (drachma media) in oliuarum oleo (vnciis duabus) ſoluta, et butyro recenti non ſalito (vnciis quatuor) permiſta paratur. Hoc vnguento parcius palpebris allito ophthalmias pertinaces,

tinaces, et tunicae corneae obſcurationes ex veneno venereo natas, fuiſſe ſublatas teſtatur (l. m. c.) Cl. HECKER.

Emplaſtrum antiuenereum Zwelfferi (JÜNGKEN corp. pharmaceut. p. 654. a.) ex eadem mercurii ſolutione cum axungia ſuilla (dupla ratione mercurii portione) permiſta, leniſſimo igne ad emplaſtri fere ſpiſſitudinem cocta, et additis cera, maſtiche et thure adhuc aucta paratum, in vlceribus venereis multopere praedicatum.

Emplaſtrum de ranis cum mercurio Zwelfferi (JÜNGKEN corp. pharmac. p. 637. a.) loco argenti viui crudi ſolutum in aqua forti recipit.

Verum ne in huius quidem acerrimi medicamenti vſu externo ſubſtitere medici; ſuo iam tempore L. ROBERG (diſſ. de foeda lue dicta venerea. Vpſal. 1700. 4.) in debellanda lue venerea inter reliqua medicamenta ex argento viuo confecta palmam mereri, expertum ſe eſſe teſtatur. Alii atque alii alia atque alia ratione in cicuranda eius acrimonia vſi ſunt.

Eſſentia mercurialis Charras non eſt niſi argenti viui in aqua forti ſolutio, plurima aqua communi (partibus viginti quatuor) diluta, et limpida iterum a ſedimento albo defuſa (GIRTANNER l. c. I. p. 382), multum ab inuentore in malo venereo ſanando celebrata, etſi magnam argenti viui partem per iſtam temperaturam in fundum dimiſerit.

Aqua mercurialis (J. DEVAUX ad calcem verſionis gallicae libri J. ALLEN ſynopſ. vniuerſ. medicin. Pariſ. 1728.), chirurgi cuiusdam Lutetiani in lue vene-

venerea vſitata, non eſt niſi ptiſana ſudorifica, ſolutione mercurii nitroſa condita, ita vt aeger mane ieiuno ventriculo duas ptiſanae libras vncia media, integra, imo maiore adhuc ſolutionis iſtius portione imbutas deglutiat.

Mercurius nitroſus (Ill. SELLE *neue Beyträge zur Natur- und Arzneywiſſenſchaft.* Berlin. 8. P. I. 1782.) cryſtalli excolores tabulares, ex ſaturata mercurii per aquam fortem ſine ignis auxilio ſolutione delabentes, in labe venerea delenda, malo potiſſimum inueterato, aegroto ceterum robuſto, etiam exanthematibus (HECKER l. m. c.) et hydrope venereo (Ill. SELLE l. m. c.), oſſium malis ex hoc fonte prognatis, aliisque a male curata gonorrhoea proficiſcentibus (J. FR. FRITZE *Annalen des kliniſchen Inſtituts zu Berlin.* 8. faſc. I. 1791.) ſanandis mirifice efficaces; ſoluuntur ſcilicet quadrupla aquae diſtillatae portione, eiusque ſolutionis mane et veſpere initio guttae duae multa adhuc aqua temperatae porriguntur, praebio, ſi vomitum cieant, aut aluum laxent, imminuto, et ſi aluum ſtimulare pergant, ſubſtitutis aliis ex hydrargyro paratis medicinis.

Syrupus mercurialis Belleti (Expoſition des effets d'un nouveau remède, dénomé ſyrop mercuriel. à Paris. 1768. 12.); quamuis inuentor neget et perneget (Expoſition des effets d'un nouveau remede, dénommé ſyrop mercuriel, rendue publique, conformement à la lettre ſuivante adreſſée à l'Auteur par Mr. LE DUC DE PRASLIN: On y a joint une inſtruction detaillée ſur la maniére d'em-

d'employer ce rémede dans les maladies venerien-nes de toute eſpece, dans les ecrouelles, et le rachitis, autrement la maladie des enfans noués. Seconde edition, augmentée d'un recueil de nouveaux procés verbaux, et certificats, qui eſt précédé de quelques reflexions ſur la brochure de Mr. DE HORNE. à Paris. 1770. 12.) acidum vllum minerale intrare arcanum ſuum remedium, et ipſe Ill. GIRTANNER (l. c. I. p. 386.) et J. SCHWEDIAUER (l. c. c. 14.) referant, eſſe mercurium ex nitri acido per alcali vegetabile praecipitatum, aethere vitriolico ſolutum, et ſyrupo quodam gratiore edulcatum, Cl. DE HORNE (Examen des principales methodes d'adminiſtrer le mercure &c. p. 111 ſq) tamen, quum chemica arte in hunc ſyrupum, et qui illius baſin conſtituit, *liquorem fundamentalem* inquireret, indubia eaque haud parca acidi nitroſi deprehendit veſtigia, vt igitur huc referri quodammodo poſſit.

Si inuentorem (ll. cc.) et, quos in medium ille produxit, teſtes audias, non in venereis modo morbis omnis generis ſanandis, reliquis ex argento viuo paratis medicinis palmam praeripit, ſed et in rhachitide et ſcrophulis medicandis efficaciſſimum ſe praeſtitit.

Non placet tamen ille ſyrupus AD. MURRAY et P. DUBBS (l. c. c. 2.), ardorem ventriculi, dolores capitis, anxietates ab eius vſu nata enarrat J. J. GARDANE (recherches pratiques ſur les differentes maniéres de traiter les maladies vénériennes. à Paris. 1770. 8. c. 14. p. 249), eadem ſyptomata, etiam tormina, alui profluia, febres DE HORNE

 (l. c.);

(l. c.); ex vno et viginti aegris, quibus BELLETUS ſuum ſyrupum exhibuit, duos eſſe mortuos, quindecim modo ſanatos (IDEM l. m. c.); in tribus aegris funeſta ex eius vſu eueniſſe ſymptomata teſtatur POMMÉ (nouveau récueil des pièces, rélatives au traitément des vapeurs, ou ſupplément au traité des affections vaporeuſes des deux ſexes &c. à Paris. 1771. 8. p. 333).

Syrupus vegetalis Velnoſii, arcanum quoque remedium, praeter inuentorem ab IS. SWAINSON (Account of cures by the vegetable ſyrup of M. DE VELNOS in the venereal diſeaſe. London. 1787. 8.), multis laudibus celebratum; non differre a ſyrupo mercuriali Belleti perhibet Ill. GIRTANNER (l. c. I. p. 386).

Roob antiſyphiliticum D. l'Affecteur, arcana puriter medicina, in Gallia venalis. Conuenire cum ſyrupo mercuriali BELLETI refert (l. m. c.) Ill. GIRTANNER, mercurium ſublimatum corroſiuum album recipere a BUCQUETO et D'ARCET examinatam D. RYAN (ap. A. DUNCAN medic. commentar. for 1780. faſc. 4.) aſſerit.

Mercurius ſublimatus corroſiuus albus, *Mercurius ſublimatus corroſiuus*, *Mercurius ſublimatus*, *Hydrargyrus ſublimatus*, *Mercurius ſublimatus cryſtallinus et caeleſtis*, *Laudanum minerale corroſiuum*, *Sublimatum corroſiuum*, *Hydrargyrum ſalitum*, *Murias hydrargyri corroſiuus*, *Malleus metallorum*, acerrimus et auſteri ſaporis, candidiſſimus, facile cryſtallorum nitentium, rarius cubicarum, quam acicularium tetraedroprisma-

priſmaticarum in cuneum quaſi deſinentium formam adipiſcens, aëris contactu neque humeſcens, neque fatiſcens, aqua, cuius bullientis 3,475 et vini ſpiritu, cuius bullientis 0,883 partes (WENZEL l. c. p. 435. 444.) exigit, totus ſoluendus, ex mercurio, eoque quidem calcinato, et fortiſſimo ſalis culinaris ācido arctiſſima copula, ea circiter ratione, vt 200 eius partes argenti viui contineant 151, acidi 49 (T. BERGMAN de minerar. docimaſ. humida Opuſc. Vol. II. p. 423), iunctis conflatus, ponderis ſpecifici haud mediocris (8000: 1000 ratione aquae), Arabibus iam medicis, CHUZAEIS (apud RHAZES contin. L. XII. c. 1.), RHAZEO (Libr. ad Almanſor. VIII.), AVICENNAE (canon. medic. ed. FORTUNAT. PLEMPII Lovan. 1658. fol. L. 2. P. 2. p. 219), GEBERO (de inuent. verit. p. 720) cognitus, per ſublimationem, quam dicunt, rarius, quam debebat, a pharmacopoeis, quam ab iis, qui eiusmodi mercium magnam copiam parant, olim potiſſimum Venetiis, hodie, maximam quod ſpectat partem, Amſtelodami, alio atque alio modo, alio atque alio ingredientium delectu et ratione conficitur, vt mirum certe non ſit, pharmaci iam praeparati crebro non aliam modo eſſe atque aliam partium conſtituentium inter ſe rationem (SCOPOLI *chemiſche Annalen* 1784. Vol. I. p. 24-29. PH. FRID. HOPFENGAERTNER diſſ. exhib. obſeruationes et cogitat. circa mercurii cum acido muriatico connubium. Stuttgard. 1792. p. 5. ſq.), ſed, quod prono alueo inde fluit, alium etiam atque alium ſolubilitatis, quam dicunt, in aqua, et ipſius, quam in corpus animale exſerit, efficacitatis gradum.

Ex vitriolo ferri ad rubedinem vsque vſto, alumine vſto (quod poſterius tamen plurimi omiſerunt), ſale communi et nitro cum argento viuo contritis, ſuo iam tempore parauit hunc mercurium ſublimatum (l. m. c.) GEBER, ſequentibus eum aliis, potiſſimum quoque Venetis, quorum operandi rationem TACHENIUS (Hippocrat. chymic. p. 215) patefecit, et Batauis multis (J. J. FERBER *neue Beyträge zur Mineralgeſchichte verſchiedner Länder &c.* I. p. 349 ſq.) artificibus; iuſſerunt alii (J. KUNCKEL laboratorium chymicum *herausgegeben von* J. C. ENGELLEDER. Hamburg und Leipzig. 8. 1716. p. 242. 243. BOULDUC Memoir. de l'Academ. des ſcienc. à Paris ad ann. 1730. p. 508 ſq.), ſolui argentum viuum bulliente vitrioli oleo, et ſuperſtitem ab hac ſolutione maſſam albam cum ſale communi terendo permiſtam ignis violentia in altum agi, modo noſtra aetate apud artifices quoque, etiam Batauos (DEMACHY *Laborant im Groſsen mit* H. D. STRUVE'S *Anmerkungen und einem Anhang von* WIEGLEB *aus dem Franzöſ. überſ. und mit Zuſätzen verſehen von* S HAHNEMANN. Leipz. 8. Vol. II. p. 146 ſq.) frequentiore, vtiliore (T. BERGMAN de connubio hydrargyri cum acido ſalis. §. VIII. Opuſc. Vol. IV. p. 294), et magis compendiario: In vtroque operandi modo vitrioli acidum ignis vi ex vitriolo (et ſi quidem illud addatur, ex alumine) vel ex mercurio illo vitriolato expulſum, in ſalem communem agit, et baſin eius alcalinam vehementer attrahendo acidum aëris forma extricat, quod pro ſuo in hoc niſu argentum viuum eodem aeſtu in vapores reſolutum arripiendo, in ſalem illum metallicum cum iſto coit.

Quam-

Quamuis omnino pro vario parandi eum modo aliquod intercedat diſcrimen, illud tamen vix notabiliter alterare mercurii huius corroſiui efficacitatem in corpus humanum poterit, maioris autem momenti, ſi potiſſimum interno vſui adhibere volueris, illa corruptela eſt, qua, nefario artificio, a BARCHUSEN (pyroſophia. Lugd. Batav. 1698. 4. p. 192), N. LEMERY (Memoir. de l'Académ. des ſcienc. à Paris. ad ann. 1734. p. 264 ſq.), DOSSIE (l. c. p. 193), S. J. HOCHSTETTER (diſſ. de noxiis quibusdam circa medicamenta officinalia. Ien. 1738. 4. p. 14.), SPIELMANNO (inſtitut. chem. p. 209), J. J. FERBERO (l. m. c. I. p. 352), WALLBAUM (*Verzeichniß einer vollſtändigen Apotheke.* Leipz. 1769.) et aliis (New diſpenſ. p. 517) notato, et contra NEUMANNUM (Chemia medico-dogmatic. experimental. T. I. P. 2. §. 15. p. 188) et HAHNEMANNUM (*über die Arſenikvergiftung, ihre Hülfe und gerichtliche Ausmittelung.* Leipz. 1786. 8. p. 241. et *Unterricht für Wundärzte* p. 201. et *Kennzeichen der Güte und Verfälſchung der Arzneymittel.* Dresden. 1787. 8. p. 245), ab J. H. POTTIO (obſeruation. et animadverſion. chemic. praecipue circa ſal commune &c. p. 15.), ab ACH. GAERTNERO (ſpecifica method. recent. cancrum ſanandi. Tubingae. 1757. 4. §. XXXIV-XXXVII. p. 31-34.), a T. BERGMANO (diſſert. de arſenico. Vpſal 1777. §. VI. C. Opuſc. Vol. II. pag. 290. et Kongl. Svenſk. Vetenſk. Acad. Handling. ad ann. 1769. §. XVI. Opuſc. Vol. IV. p. 306) et GOETTLINGIO (*Taſchenbuch für Scheidekünſtler und Apotheker.* ann. 1783. pag. 184.) per experimenta probato, mercurio

 ſub-

ſublimato corroſiuo arſenicum album intermiſceri perhibetur.

Difficilis erit detectu haec fraus, ſolius coloris ratione habita, praeſertim ſi in puluerem contuſus veneat mercurius ſublimatus; idem enim vtrique eſt color, eadem vtriusque dos, vt, ſi ignis violentiam experiatur, fumi ex albo cinerei ſpecie auolet, qui laminis metallicis politis eum contingentibus pruinae albae quaſi forma ſe affigit, vt tamen arſenici fumus ſingulari penitus odore, allium quomodocunque mentiente, nares feriat, qui igitur, ſi a mercurio ſublimato ſiue ſolo, ſiue cum tertia parte florum ſulphuris terendo permiſto (DOSSIE l. m. c. p. 199), ſiue prius cum ſpiritu vini, qui mercurium ſublimatum facilius longe ſoluit, quam quidem arſenicum, tractato, prunis inſperſo, ſurgat, certiſſima erit arſenici interſiti nota.

Altera nota huius fraudis eſt, ſi mercurio ſublimato corroſiuo aqua ſoluto inſtillata aqua gas hepatico ſaturata nubes aurantias excitet, quae tinctus ſui tenaces ſenſim ſedimenti ſpecie in fundum delapſae elotae, exſiccatae, atque ardentibus carbonibus iniectae allii nidorem ſpargunt (S. HAHNEMANN *über die Arſenikvergiftung &c.* p. 239. 241.).

Si porro mercurius ſublimatus aqua diſſolutus ab inſtillata cupri per ſpiritum ſalis ammoniaci peracta ſolutione ſedimentum dimittat ex viridi flauicans, quod facile quidem ſpiritum ſalis ammoniaci cauſticum et acida, nequaquam tamen aquam, ipſam arſenico grauidam, ſubit, et ſiccum prunis inſperſum arſenici fumum eructat (S. HAHNEMANN l. m. c. p. 237. 238.), de hoc vitio certus eris.

Si

Si eidem mercurio ſublimato aqua diſſoluto inſtillata aqua calcis feruida, recens, ſaturata, album praecipitet ſedimentum, quod lente delabitur, aqua multo arſenico grauida iterum ſoluitur, et ſiccatum, oleo irroratum, et prunis immiſſum, memoratum illum odorem ſpirat (s. HAHNEMANN l. m. c. p. 239), ingens ſane huius corruptionis eſt ſuſpicio.

Si denique, mercurio ſublimato corroſiuo cum dupla portione fluxus, quem appellant, nigri et pauciſſima ſcobe ferri terendo permiſto, et in catillo ſatis capaci igne primum, donec ebullitio ceſſat, leniori, tum ſenſim, tandem ſemel et ſimul eo vsque aucto, vt omnia albo fulgore candeant, expoſito, tam arſenici fumus aſſurgat, quam ferri ſcobs, quaſi liquefactionis initium perpeſſa, formam ſuam pauliſper mutauerit (New diſpenſ. p. 517), certum habebis arſenici inhaerentis iudicium.

Magis anceps eſt nota a mutationibus, quas alcalia aut aqua calcis (GOETTLING l. m. c. ann. 1782. p. 49.) mercurio ſublimato corroſiuo inducunt, deprompta. Ita mercurium ſublimatum arſenico adulteratum aqua feruida ſolutum ab infuſa alcali fixi dupla portione ſimiliter aqua ſoluta ſtatim dimittere ſedimentum nigrum, quod, ſi genuinus ſit, aurantium delabatur, aſſerit praeter alios DOSSIE (l. m. c. p. 193. 194.), quod quidem examen ſuo iam tempore fallaciae arguunt BARCHUSEN (l. c.) et BOULDUC (Hiſtoir. de l'Acad. des ſcienc. à Paris. ad ann. 1699. p. 69.); neque mercurius ſublimatus arſenico vitiatus ab inſtillato alcali fixo aqua ſoluto ſemper maculam nigram contrahit (BOULDUC l. m. c.

et ACH. GAERTNER l. c. p. 36). Etſi ACH. GAERTNERUS (l. c. p. 37.) alcalia volatilia genuinum exhibere huius pharmaci quaſi lapidem lydium, et ex mercurii ſublimati corroſiui arſenico fucati ſolutione ab inſtillato ſalis ammoniaci ſpiritu ſedimentum praecipitari atrum aſſerat, alium tamen huius experimenti euentum ſe vidiſſe contendit T. BERGMAN (l. m. c. §. XVI. p. 307), et mercurium ſublimatum corroſiuum manifeſte arſenico corruptum ab inſtillato ſalis ammoniaci ſpiritu cauſtico colorem non mutare expertus eſt. Perinde incertum eſſe examen per aquam calcis inſtitutum comprobauit BÜCKING (*Neues Magazin für Aerzte.* Vol. VI. faſc. 1. p. 65).

Tot proſtant viroſae huius ſalis acrimoniae exempla, vt, ſi vllum, hoc certe inter venena acerrima ſuum mereatur locum. Non enim canes modo, ſiue in venas impulſum (M. ETTMÜLLER de chirurgia infuſoria. Lipſ. 1668. 4.), ſiue drachmae pondere ingeſtum (J. J. WEPFER cicutae aquaticae hiſtoria et noxae commentario illuſtratae. Baſil. 1679. 4. p. 300), feles, ſcrupuli pondere ingeſtus (J. AD. THEOPH. SPROEGEL experimenta circa varia venena in variis animalibus inſtituta. Goetting. 1753. 4. p. 43.) et cuniculos ſcrupuli dimidii pondere deuoratus (J. A. TH. SPROEGEL l. c. p. 47.) interficit, ſed in hominibus quoque, qui illum ingeſſerunt, praecordiorum oppreſſionem (G. W. WEDEL et J. A. STOLL l. c. p. 22. FR. HOFFMANN medic. ration. ſyſtemat. P. II. p. 263), ſiccitatem oris et linguae, ſitimque immenſam (LOEW apud SYDENHAM Oper. II. p. 324), nauſeam (VALLERIOLA obſeruat. medic.

medic. Lugd. 1589. 8 L. I. obſ. 6. p 47), vomitus violentiſſimos et pertinaces (G. W. WEDEL et J. A. STOLL, VALLERIOLA et LOEW ll. mm. cc. A. BACCIUS prolegom. ad libr. de venenis et antidotis. Rom. 1506. p. 21. M. JACOBAEUS act. Hafnienſ. Vol. I. 1671. 4. obſ. 116), ſaepe cruentos (G. W. WEDEL et J. A. STOLL l. m. c.), animi deliquia (VALLERIOLA l. m. c.), atrocia tormina (BACCIUS et LOEW ll. mm. cc. KOENIG apud J. J. WEPFER l. c. p 302. VALLERIOLA l. c. obſ. 6. 7. 8. p. 47. 55. 70.), dolorem ventriculi quaſi vrentem (BACCIUS l. m. c.) vel lancinantem (VALLERIOLA l. m. c. PH. SALMUTH obſeruat. medic. poſthum. Brunsvic. 1648. 4. cent. I. Obſ. 9. p. 6. 7.), eiusdemque inflammationem (PH. SALMUTH, G. W. WEDEL et J. A. STOLL, FR. HOFFMANN ll. mm. cc.), alui profluuia putidiſſima (BACCIUS, VALLERIOLA ll. mm. cc. LAMBERT commentaires ou oeuvres chirurgicales. Marſeille. 1627. 4.), deliria (FR. HOFFMANN l. m. c.), conuulſiones (FR. HOFFMANN l. m. c.), perpetuam animi inquietudinem (FR. HOFFMANN l. m. c.), crebro quoque pertinacem ſtranguriam (VALLERIOLA l. m. c.), halitum foetidum (VALLERIOLA l. m. c.), ſudores gelidos (G. W. WEDEL et J. A. STOLL l. m. c.), interdum ſaliuae profluuium largum (KOENIG et LAMBERT ll. mm. cc.), vocem raucam (G. W. WEDEL et J. A. STOLL l. m. c.), ſtertorem (G. W. WEDEL et J. A. STOLL l. m. c.), et putredinis veſtigia in interioribus oris partibus conſpicua (VALLERIOLA l. c.), et ſaepe mortem induxit (FR. HOFFMANN, SALMUTH, BACCIUS ll. mm. cc. P. AMMANN Irenicum Numae Pompilii cum Hippocrate. Lipſ. 1689. MEIBOM exc.

codic. ap. BLUMENBACH *mediciniſche Bibliothek.* Vol. I. P. 2. p. 376. 377. A. MOELLENBROEK Miſcell. Ac. Caeſ. Nat. Curioſ. Dec. II. ann. 1. 1684. obſ. 54. p. 131. et PIBRAC Memoir. de l'Acad. de chirurg. à Paris. T. IV. et T. XI. p. 245.), non raro celerem (G. PATIN lettres choiſies. à Cologne. 12. Vol. I. 1692. L LXV. p. 149.), cadauere citiſſime in putredinem ruente (G. W. WEDEL et J. A. STOLL l. m. c.), et in ventriculo vtplurimum (PH. SALMUTH, P. AMMANN, LOEW ll. cc.) eroſiones monſtrante.

In minima praebia crebro repetita partitum veneni lenti ſpecie adhiberi a nefariis hominibus refert FOURNIER (obſervations ſur la fievre lente ou hectique. Dijon. 1781. 8.), ſiue ſaccharo (HEUCHER Mithridates ſiſtens praeſervationem principis a veneno Opp. omn. T. I. p. 128. §. XXV.), ſiue arſenico (FORESTUS obſeruat. et curat. medicin. L XXX.) permiſtum, necem lentam eo veneficio perpetratam commemorat C. A REYES (elyſius iucundar. quaeſtion. campus. Francoſ. 1670. 4.).

Ex recenſitis his ſymptomatibus perinde ac ex notis ſupra enarratis facile agnoſcas mercurii ſublimati virus, cui debellando atque ex corpore eliminando aqua tepida largiſſimis hauſtibus potata, et per anum iniecta, lac, olea vnguinoſa recentia, et mucilaginoſa, quae eius acrimoniam inuoluunt atque obtundunt, eximie inſeruiunt. Oleo ſaluauit duos aegrotos ab huius veneni vſu vitae periculum incurrentes (l. c.) VALLERIOLA, oleo et lixiuio ex cineribus lignorum parato FORESTUS (l. m. c.), oleo amygdalarum et lacte puellam quindecim annorum

LOEW

LOEW (l. c.), oleo amygdalarum cum theriacae drachma media et lacte tepido alius (*Hamburgiſches Magazin*. 8. Hamburg und Leipz. Vol. XV. 1755. P. V. n. 7. p. 537.) puellam quatuor annorum, oleo lini et amygdalarum per os atque anum largius ingeſto, aqua multa tepida et tandem ſale tartari iuſculo ouino ſoluto AKENSIDE (de dyſenteria p. 43.) feminam, quae integram eius drachmam ſumſerat; lacte plures J. PRIMIROSE (de vulgi erroribus. Amſtelod. 12. L. IV. 1630.); aquam ſpiritu vini conditam alii, aquam calcis alii praedicarunt, ſalia lixiuioſa, aqua ſoluta P. TOUSSAINT NAVIER (Contrepoiſſons de l'arſenic, du ſublimé corroſif &c. P. II. c. 2. p. 181. MALOUIN chimie medicinale. T. II. p. 210.); circumſpecto vſu alcali vegetabilis, decoctis mucilaginoſis ſoluti, cum ſanitate in gratiam rediit adoleſcens, qui vltra mediam huius veneni vnciam deuorauerat (KRAMER Commerc. litterar. Noric. 4. 1735. hebd. XXX. p. 236 ſq.); ſalem abſinthii commendauit eodem conſilio DU MONCEAU (journal de medecine, chirurgie, pharmacie. 1778. T. IL. Januar.), tincturas ferri alcalinas TOUSSAINT NAVIER (l. m. c. p. 196.), hepar ſulphuris, praeſertim martiale, antiphlogiſticis, balneis demulcentibus, fomentationibus, lubricantibusque mitiſſimis iunctum *idem* (l. m. c. c. 5. p. 231 ſq.).

Exitialis tamen haec acrimonia non obſtitit, quo minus ante A. M. BRASSAVOLI (Examen omnium ſimplicium, quorum vſus eſt in publicis officinis. Rom. 1536. fol.) tempora mercurio hoc ſublimato ad luem veneream ſanandam vterentur medici.

Quum

Quum autem tantam animaduerterent mercurii ſublimati virulentiam medici, externo tantummodo adhibuerunt vſui, alia atque alia forma vlceribus, etiam non venereis, tumoribus, aliis atque aliis cutis morbis eum opponentes. Ita Veterinarii Friſiae orientalis equis ſcabioſis vnguento ex butyro inſulſo et mercurio ſublimato corroſiuo albo conflato, aut lixiuio fortiori ex cineribus nicotianae extracto et eodem mercurio condito medentur.

In tumoribus venereis, potiſſimum oſſium, ſiccum adhibuit ALEXIUS PEDEMONTANUS, ſiue, quod verum eius nomen eſt, HIER. ROSELLO (de ſecretis. Venet. 1557. 4.), granum eius ſcrophulis cultro apertis impoſuit TURQUET DE MAYERNE (Syntagm. prax. medic. Lond. 1690. 8. P. I.); ſiccum quoque eius pollinem apice cultelli margini vlceris aqua calida prius abluto inſperſum, impoſito poſtea vlceri linteo carpto vnguento baſilico flauo imbuto, atque exhibito aegro vini cyatho, et ad leniendos, quos mercurius ſublimatus exaſperat, dolores, caute laudano, efficaciſſimum expertus eſt in vlceribus cancroſis DUNDAE (ap. DUNCAN medical commentar for 1788. Dec. II. Vol. III. 1789.); frequentius huic etiam externo vſui inſeruit aqua ſolutus (*Aqua mercurialis* multis); ea forma iam TORELLAE, HOCKIO, BRASSAVOLO (ll. cc.), A. FERRO (de ligni ſancti multiplici medicina et vini exhibitione. Romae. 1537.), AL. LOBERAE (de las quadro enfermedades corteſanas. Toled. 1544.), B. RINIO (de morbo gallico. 1546.), et FR. RENNERO (*Handbüchlein die Franzoſen zu curiren.* Nürnberg. 1559.), ad mundanda vlcera

vſitatus;

vſitatus; in vlceribus impuris aut margine calloſo circumcinctis, niſi dolentibus aut inflammatis, plurimum valere expertus quoque fuit Ill. HILDEBRANDT, qui (l. m. c. p. 35. 44. 66.) ſingulis aquae diſtillatae vnciis eo conſilio dimidium mercurii ſublimati granum, etiam maiorem eius copiam ſolui praecipit; ophthalmiam quoque veneream eadem ſolutione, quae, donec oculus maiorem ſine dolore ferre queat acrimoniam, ſingulis vnciis non niſi quartam grani partem diſſolutam continet, *idem* (l. m. c. p. 35. 44.) et DUSSAUSOY (journal de medec. chirurg. pharmac. Sept. 1786. T. LXVIII.), tyloſin calloſam ROWLEY (on the diſeaſes of the eyes &c.) feliciſſime oppugnauit. Ad conſumendas verrucas venereas, quae eo conſilio aliquoties quotidie eo liquore irrorantur, et delendas genitalium partium, quas vocant, carunculas mercurium ſublimatum aqua ſolutum commendat Ill. GIRTANNER (l. c. I. p. 216. 237); in gonorrhoea iniiciendum (ita vt in aquae vnciis octodecim vnum mercurii granum ſoluatur) vrethrae ſuadet Ill. TODE (*Erleichterte Kenntniß und Heilung eines gemeinen Trippers*. Kopenhagen und Leipzig. 1780. 8.).

Aqua tali mercuriali cariem maxillae inferioris praegreſſo cauterio penitus ſanauit JOURDAIN (Journal de medec. chirurg pharmacie. T. XXI. 1764. Octob. art. 7. p. 352); mercurio ſublimato (drachmis duabus) vna cum ceruſſa, lithargyrio, alumine vſto, tartaro vſto (ſingulorum drachma) cum aqua fontana et ſpiritu vini (vtriusque vnciis duabus) cocta, et cum vnguento aegyptiaco (vncia media)

media) permiſto, ad exſiccanda vlcera ſinuoſa, quibus per ſiphonem iniiciebatur, vſus eſt FABRICIUS HILDANUS, cum vnguento camphorato remixtum FR. HOFFMANN (Medic. ration. ſyſtem. T. IV. P. 5. 1739. c 7. p. 313.), cum vnguento aegyptiaco, aqua roſarum et plantaginis ſubactum TAGAULT (de chirurg. inſtitutione. Pariſ. 1543. fol. l. 3. de vlceribus) in ſanandis fiſtulis potentiſſimum expertus eſt, cum mica panis ſubactum in panaritio PITIOT (journal de medecine, chirurgie, pharmacie &c. T. LXXVII. Octobr. 1788.), cum viridi aeris in aqua ſolutum in vlcere narium cancroſo CHAPELLE (apud DESAULT journal de chirurgie. à Paris. 8. Vol. I. 1791.); vini ſpiritu ſolutum et quotidie illitum ad conſolidandum inueteratum pedis vlcus multum feciſſe SCHNEIDER (ap. RICHTER *chirurg. Bibliothek.* V. p. 543) teſtatur.

Manus ſcabie pertinaciſſima infectas eadem ſolutione lauando, ab hoc malo liberatas vidit M. RULANDUS (Curation. empiric. et hiſtor. in certis locis et notis perſon. expertar. Cent. IV. Baſil. 1583. 12.), caput tinea diuturna vexatum eadem (ita vt ſingulae aquae librae drachmas duas mercurii ſublimati continerent) bis quotidie lauando ZACUTUS LUSITANUS (de medic. princip. hiſt. l. 1. hiſt. 3. obſ. 2. p. 2.); eundem liquorem (vt tamen decem modo grana libra aquae ſolueret) tum in tinea tum in lichenibus efficaciſſimum deprehendit B. BELL (tr. on the theory and management of ulcers. Edinb. 1778. 8.); aquam ſimilem (ſcrupulum mercurii ſublimati in octo aquae vnciis ſoluendo) in ſcabie

(CHPH.

(CHPH. L. HOFFMANN *vom Scharbock, von der Luſtſeuche, von der Verhütung der Pocken im Angeſichte, von der Ruhr und einigen beſondern Hülſsmitteln, nebſt einer Nachricht von dem Zuſtand und Verbeſſerung der Arzneyverfaſſung im Hochſtiſte Münſter während der jetzigen Regierung.* Münſter. 1782. 8. p. 278.) praedicat, et egregio cum ſucceſſu (vt tamen mercurii drachmam mediam viginti quatuor aquae vnciis ſolueret) adhibuit b. H. CHRN. WOELTGE (obſeruat. medicar. faſcicul. Goetting. 1783. 4. p. 28 ſq.). Eundem (grana decem aquae libra) aqua ſolutum in lichenibus et tinea exſiccandis aliis praefert BELL (on ulcers &c.); et ſaluberrimum expertus eſt in morbo faciem inprimis mirifice defoedante A. DUNCAN (medical caſes with remarks. Lond. 1778. 8. hiſt. III.). Mercurii ſublimati drachmas duas cum aquae fluuiatilis vnciis duodecim per eam temporis moram, qua oua indureſcunt, coqui, clarum, poſtquam aliquamdiu in cella ſtetit, liquorem caute a ſedimento ſeparari, et per goſſypium traiici iubet J. H. LANGE (Miſcell. veritat. de rebus medicis. Luneb. 8. Faſc. I. 1774. p. 117 ſq.), qui hunc liquorem naribus attractum in ozaena atque ophthalmia venereis mirifice prodeſſe teſtatur. Mercurium ſublimatum (drachmas ſex) aqua plantaginis (vnciis tribus), roſarum (duabus) et florum aurantiorum (vncia vna) ſolutum faciei puſtulis aliisque impuritatibus, etſi a prima lotione intumeſcat atque inflammetur facies, efficaciſſimam experti ſunt R. LENTILIUS (Miſcellan. medico-practic. P. I. p. 104.) et M. FRICCIUS (Paradoxa de venen. p. 130.); eundem (grana ſex), aqua plantaginis et roſarum

(vtrius-

(vtriusque vncia) ſolutum in impetigine et pruritu M. FRICCIUS (l. m. c. p. 131.); eundem (drachmam cum dimidia) vna cum camphora (ſcrupulis quatuor), alumine (drachmis duabus), et borace (drachmis tribus) cum aqua fragorum (vnciis ſex), plantaginis, nymphaeae et roſarum (ſingularum vnciis quatuor) permiſtum, in eodem malo TURQUET DE MAYERNE (l. c. tr. 2. c. 21.), qui (c. 16.) alia atque alia ratione combinatum in faciei rubore, maculis, aſperitatibus tollendis eum collaudat. Eundem mercurium ſublimatum (drachmam) vna cum ſale tartari albiſſimo (drachma vna et dimidia), borace, ſaccharo cando, ſale prunellae, alumine vſto, perlis (ſingulorum drachma media), camphora (ſcrupulo medio), cum aqua fragorum (vnciis quatuor), roſarum, plantaginis et nymphaeae (ſingularum vncia vna et dimidia) permiſtum et veſperi applicatum in varis faciei multum praeſtare refert (l. m c. p. 131. 132.) M FRICCIUS; vna cum borace, et ſaccharo canarienſi (ſingulorum drachmis binis) in petia ligatum, cum rore maiali ſupra triticum collecto (libris quatuor) coctum, et, poſtquam per linteum traiectus fuit, addita calido adhuc liquori camphora auctum, ad faciei maculas delendas adhibuit A. van MYNSICHT (armamentar. medico-chymicum. ſect. 26.), qui quoque (l. m. c. ſect. 21.), eodem vel cum ceruſſa, tartaro albo, et alumine vſto (ſingulorum drachmis duabus), vitriolo albo, camphora (vtriusque vncia media), et nihilo albo (drachma media) permiſto, et pulveris huis vncia media cum aceti vini optimi vnciis quatuor coniuncta, vel vna cum ſaccharo albo

cando

cando (vtriusque vncia media) in aqua plantaginis et roſarum (vtriusque vnciis quatuor), ſpiritu vini optimo (vncia media) et aqua forti (ſcrupulo) ſoluto, et penicilli ope applicato, in lichenibus pertinaciſſimis feliciter ſe fuiſſe vſum memorat.

Neque dubitauit LANGIUS (epiſtol. medicinal. L. III. c. 2.), eodem (drachma vna cum dimidia) cum ſale armoniaco, cantharidibus (amborum drachma), herba ſcabioſae (drachmis duabus) et vnguento reſinoſo (vncia) in vnguentum redacto, anthraces peſtiferos oppugnare, quemadmodum A. CAESALPINUS (ſpeculum art. medic. l. 3. c. 3.) cum arſenico, croco, caryophyllis aromaticis et cinnamomo ſacculo ſericeo incluſum, et carpis cordisque regioni applicatum omne peſtis contagium arcere ſibi perſuaſit.

In ſphacelo, ſenes potiſſimum et macilentos homines afficiente, eundem mercurium ſublimatum (ſcrupulos duos) cum tinctura corticis peruuiani Huxhami (vnciis quatuor), aethere vitrioli (vnciis tribus) et oleo menthae piperitae (drachmis duabus) praecipit (l. c. ſect. III.) N. D. FALCK.

Potiſſimum tamen malis topicis ex labe venerea propullulantibus (CHPH. L. HOFMANN l. m. c. p. 274 ſq.) ſuperandis, et morbis praecipue cutaneis (HECKER l. c. VOGLER l. c. p. 59.) ſanandis inſeruit haec mercurii ſublimati ſolutio, pediculis et cimicibus necandis pariter apta, a poſteriori Viro Ill. (*Liquor ophthalmicus* l. m. c. p. 62.), ita vt grana duo aquae roſarum vnciis tribus iniiciantur, in leucomate, pterygio, panno oculorum, pſoroph-

pſorophthalmia, et periodica lippitudine inflammationis experte fauſtiſſimo cum ſucceſſu, aut lintei mollis detriti ea humectati auxilio applicata, aut penicilli mollis ope per guttas in oculos immiſſa. Ingreditur quoque medicinam, quam P. J. FABRUS (Chirurgia ſpagyrica. Toloſ. 1626. 8.) vlceribus venereis oppoſuit. Carunculas, quas vocat, vrethrae interiorem faciem exaſperantes, mercurio hoc ſublimato cum viridi aeris permiſto exedi iubet J. SCHMIDT (Ephemer. Acad. Caeſ. Nat. Curioſ. ann. VIII. obſ. 92. p. 152).

Verum enim vero non ad externos tantummodo morbos ſanandos, ſed ad interna quoque mala medicanda extrinſecus applicatus a multis, P. A. MATTHIOLO (op. de morbo gallico. Venet. 1535.), A. WEICKARDO (Coler. rediciv. Francof. 1626.), A. FERRERIO (l. m. c.), FR. DE ROMA (conſultation. medicae chirurg. op. poſth. Neap. 1669. fol.), FORESTO (l. c. l. 32. obſ. 16.), PURMANNO (*chirurg. Lorbeerkranz.* p. 685.), MANGOLDO (id. mater. medic. p. 294.), M. HOFFMANNO (prol. de medic. delect. p. 230.), F. PLATERO (l. c.), ST. BLANCARDO (Venus belegert en ontſet. Amſterd. 1684.), ANONYMO (ap. GREG. HORSTIUM obſerv. medic. ſingul. L. IV. Vlm. 1628.), DIBON (diſſert. ſur les maladies veneriennes. Paris. 1724.), et TH. GATAKER (obſervat. on venereal complaints and on the method recommended for their cure. Lond. 1764.) fuit.

Et reſorberi per oſcula vaſorum in cute hiantia partem huius medicinae, humoribus miſtam ſuam in hos, et glandulas praeſertim, et ſaliuam, et,

et, ſi quidem illos infecerit, virus venereum exſerere poſſe potentiam, ſuadet analogia vnguentorum mercurialium, et tot aliorum medicamentorum per externum contactum in partes interiores efficacium. Et non ad ſanandam modo luem, ſed ad arcendum quoque contagium commendatus fuit mercurius hic ſublimatus.

Poſteriori hoc conſilio aqua (granum vnum ad duo vnciis aquae octo) ſolutum concubitu peracto tum vrethrae iniiciendum, tum genitalia eo diligenter lauanda praecipiunt (ll. cc.) HARRISON et HUNTER; granum vnum aquae vncia ſolutum s. GRAHAM (diſſ. de gonorrhoea virulenta. Edinb. 1776.), et voto interdum reſpondere hunc vſum exemplo adducto teſtatur Cl. ALTHOF (*praktiſche Bemerkungen über einige Arzneymittel.* Vol. I. p. 67-69.); in gonorrhoea ex nimio veneris purae vſu nata eadem forma optato cum ſucceſſu vrethrae iniiciendum imperauit HAHNEMANN (*Unterricht für Wundärzte über veneriſche Krankheiten &c.*).

Balnea hunc mercurium ſublimatum recipientia non egregio tantum cum ſucceſſu ad debellandum morbum venereum adhibuit Cl. BAUMÉ (Chymie experiment. et raiſonn. Vol. II. p. 418-420.), ſed, hominibus quoque tenerioris compagis et ſenſibilioribus, nulla inde aut in ventriculum aut in pulmones redundante noxa, aut ſubſequente largiori ſaliuae profluuio, a dimidio grano (pro libra aquae) incipiendo, et ſenſim, prouti ferre poterit aegrotus, interdum ad octo vsque grana adſcendendo, et aegroto, cui vtplurimum triginta balnea ſufficiunt, dum in balneo per duas circiter horas

conſidet, libram iuſculi ex carne vitulina coċti, aut aquae radici altheae vel ſeminibus lini infuſae propinando.

Negari vtique non poteſt, naſci interdum hac medicatione, quae vtplurimum aluum et vrinam pellit, vrinae ardorem, et in hominibus, quibus delicatula eſt cutis, huius ruborem, puſtulas, pruritum; at prior tolli facilime poteſt, ſubſtituendo ſemel loco balnei mercurialis balneum aquae ſimplicis, et poſteriores ſequelae praeuerti, balneo aquam cum pugillo ſeminum lini coċtam adiiciendo; inutilia tamen, et adeo noxia haec balnea cenſet Ill. GIRTANNER (l. c. I. p. 348.); euentum exſpeċtationi non reſpondiſſe refert GARDANE (Recherches pratiques ſur les différentes maniéres de traiter les maladies venériennes. p. 76 ſq.).

Eundem mercurium ſublimatum aqua ſolutum ad delendum virus venereum enematis inſtar ano iniiciendum imperauit FERRAND (obſervations ſur les différentes méthodes de traiter les maladies vénériennes, avec une nouvelle methode de guérir ces maladies par des lavemens mercuriels. Narbonne. 1770. 4.) et Chirurgus TH. ROYER (Lettre ſur une brochure anonyme, portant pour titre: Parallèle des différentes méthodes de traiter la maladie vénérienne. Paris. 1765. 12. Inſtruċtion pour l'adminiſtration des lavemens antivénériens. Paris. 1765. 8. Lettre à M. J. J. GARDANE. Bouillon. 1770. 12. et nouvelles obſervations faites dans les hôpitaux militaires de la marine pour conſtater la ſûreté et l'éfficacité des lavemens antivénériens. Londres et Paris. 1771. 8.), quam quidem metho-

dum

dum et DE HORNE (journal de medecine, chirurgie, pharmacie &c. T. LI. 1779. Januar. p. 30.) laudat, et nuperius MACQUART (Hiſtoir. de la Societ. de medecine à Paris. ad annos 1782. et 1783.) in gonorrhoea virulenta commendat.

Iuſtiſſime tamen monuit GARDANE (l. m. c. p. 142.), parca copia iniectum medicamen, eo quod oſcula vaſorum lacteorum in inteſtinis craſſis parciora occurrunt, parcius reſorbtum, parum efficere poſſe, maiore ſublimati copia imbutum diu retineri non poſſe, et, quemadmodum etiam Ill. GIRTANNER (l. c. I. p. 348.), crebro adhibitum, atrociſſima tormina, teneſmum, imo prolapſum inteſtini recti progignere.

Si igitur ea methodo expugnare morbum venereum animus eſt, non munire modo inteſtina contra mercurii ſublimati acrimoniam, ſed hanc quoque aliis additis temperare oportet. Ita Cl. VOLLMAR (*Neues Magazin für Aerzte.* Vol. VIII. 1786. P. 4. pag. 289. et Vol. IX. 1787. P. 4. p. 348.) clyſmate ſimplici ex aqua tepida vel lacte praemiſſo, decoctum (libras duas) ex mucilaginoſis v. g. radice altheae, radice taraxaconis, radice ſaſſaparillae, ligno guaiaco, cui mercurii ſublimati (granorum ſex) vna cum opio (granis viginti quatuor) in aqua diſtillata (vnciis ſex) ſoluti cochlear dimidium additur, iniiciendum ſuadet, eam medelam non morbis modo venereis, ſed etiam aliis a pituita tenaci vel atra bile inteſtina obſidente natis opponens. Ita quoque N. D. FALCK (treat. on the venereal diſeaſe P. III.) in exulcera-

 tione

tione inteſtinorum clyſmata adhibet ex lacte et aqua parata, quibus pauculas guttas mercurii ſublimati vini ſpiritu ſoluti inſtillat.

Eundem mercurium ſublimatum aqua ſolutum et linteo carpto inſtillatum vulneri alligatum, ab animalibus rabidis inflicto, morſos ab hydrophobia praemunire teſtatur LOFTIE (Medical facts and experiments. London. 8. Vol. I. 1791.).

Arriſit aliis, qui eundem in finem extrinſecus adhibuerunt mercurium ſublimatum, vnguenti forma. Suo iam vnguento mercuriali addidit mercurium ſublimatum ST. BLANCAARD (Nieuwe Konſtkammer der Chirurgie of Heelkonſt. Amſterdam. 1685. 8.). Potiſſimum autem noſtro aeuo inclaruit vnguento ex hoc mercurio ſublimato, ſale armoniaco (vtriusque drachma) et axungia porcina (vncia) compoſito Ill. D. CYRILLO (aviſo intorno alla maniera di adoperare l'unguento di ſublimato corroſiuo, nella cura delle malattie veneree. Napol. 1780. 8. et oſſervazioni pratiche intorno alla lue venerea. Napol. 1783. 8.), praeparatis ad faciliorem reſorbtionem per balnea tepida praecedentibus diebus adhibita, plantis pedum, his quotidie veſpera drachmas binas memorati vnguenti infricari iubet, eaque medicatione pertinaciſſimam quoque luem veneream vinci expertus eſt, aſſentiente Medico Sueco (Veckoſkrift for Läkare och Naturforſkare. Stockh. 8. Vol. VI. 1785.), quum tamen alius RYDBAECK (ibid. Vol. IX. 1788.) impar huic fini deprehenderit.

Praeſertim in rheumatiſmis, durante medicatione mercuriali a refrigerio natis, doloribus coxas

et

et artus torquentibus (J. V. MÜLLER l. c. c. 14.), in ophthalmia rebelli, praeſertim ſenum, oſſium tumoribus, morbo iſchiadico, ex alia quoque cauſſa exorto (D. CYRILLO l. m. c.) beneficam opem praeſtitit. Simile vnguentum a pluribus retro ſeculis ad delendum virus venereum in Polonia fuiſſe vſitatum teſtatur F. L. DE LA FONTAINE (*chirurgiſch-mediciniſche Abhandlungen, verſchiednen Inhalts, Polen betreffend.* Breslau und Leipzig. 1792. 8. Sect. II. epiſt. 2.). Singularem vnguenti mercurium hunc ſublimatum recipientis formulam puſtulis faciei delendis accommodatam habet CRATO A KRAFTHEIM (l. c. L. IV. conſ. XXVII. p. 186. 187.).

Sunt etiam plures formulae in officinas receptae, quae mercurium hunc ſublimatum recipiunt, eique potiorem ſuarum virium partem debent, externo vſui dicatae.

Trochiſci eſcharotici, Trochiſci de minio v. Vol. I. p. 442.

Aqua phagadaenica TURQUET DE MAYERNE (de morb. extern. tract. 2. c. 10.) iam cognita, aliis *Aqua diuina Fernelii*, ex eodem mercurio ſublimato, aqua calcis ſoluto, et a multis adhuc vini ſpiritu temperato, conflatur; quum tamen aqua calcis magnam mercurii partem praecipitet, et acrimonia omni exuat, minori longe pollet potentia, quam facta per aquam ſimplicem ſolutio, vlceribus praeſertim venereis mundandis non ſolum adhibita, ſed a multis quoque tam ad gonorrhoeam ſanandam (*Abhandlungen und Beobachtungen aus der Arzneygelahrheit von einer Geſellſchaft von Aerzten in Hamburg.*

burg. Hamburg. 1776. 8. et CÉZAN l. c.), ſiquidem vrethrae iniiciatur, quam ad contagium venereum arcendum, ſi quidem ante atque poſt coitum et in vrethram impellatur, et partes genitales ea lauentur (J. J. GARDANE methode ſûre et facile de traiter les maladies veneriennes, approuvée par la faculté de medecine à Paris, et publiée par ordre du gouvernement. à Paris. 1773. 12.); nihil enim aliud fuiſſe medicamentum, a GUILBERTO DE PREVAL caro pretio et titulo *Eau fondante* venditum, ex inueſtigatione medicorum Pariſinorum (Précis pour la faculté de Paris, contre le S. G. DE PRÉVAL. à Paris. 1777. 4. Reponſe de M. G. DE PRÉVAL. 1777. 4. Reponſe de la faculté à la reponſe de M. GUILBERT. à Paris. 1777. 4. Conſultation de la faculté de medecine. 1777. 4. et Examen de l'eau fondante de M. G. DE PRÉVAL, par M. l'Ab. TESSIER. 1777.) liquet.

Aqua mercurialis pro ſcabioſis (GREG. HORSTIUS obſerv. medicin. ſingular. Vlm. 1625. 4. L. II. c. 2. obſ. 13.) praeter mercurium ſublimatum et euphorbium (vtriusque drachmas duas), arſenicum album (drachmam), ſpiritum vini optimum (menſuram dimidiam), et aquam roſarum (vncias octo) recipit, ſcopum, cui inuentor accommodauit, in fronte gerens.

Linimentum ad ſerpiginem Grülingii (FRAUNDORFFER tabul. ſmaragd. p. 164.) ex mercurio ſublimato, alumine (vtriusque drachma) et gummi tragacanthae in aqua plantaginis diſſoluto (vncia) conflatur.

Aqua

Aqua aloëtica mercurialis Zwelfferi (JÜNGKEN l. c. p. 177. a.) praeter mercurium ſublimatum (drachmam dimidiam vel ſcrupulos duos) aloën ſuccotrinam (drachmas ſex) recipit, ambo aqua, ſucco vel decocto millefolii aut plantaginis (libra vna cum vnciis duabus) ſoluta, et melle roſarum (vncia vna et dimidia) edulcata; in vlceribus venereis, ſerpigine aliisque cutis defoedationibus commendata.

Aqua aluminoſa (New diſpenſatory p. 610.) non eſt niſi aluminis et mercurii ſublimati (vtriusque drachmarum duarum) in aqua (duabus libris) ſolutio, in puſtulis et vlceribus cutaneis commendata.

Aqua mercuriata (JÜNGKEN l. c. p. 177. 424. a.) praeter multa alia, ceruſſam (vncias duas), alumen crudum (vnciam vnam cum dimidia), nitrum, ſal ammoniacum (vtriusque drachmas duas), zingiber (drachmam vnam cum dimidia), aquam ſolani, plantaginis et roſarum rubrarum (ſingularum vncias tres), aquam polygoni (vncias quatuor), acetum acerrimum (libram), lithargyrium quoque et mercurium ſublimatum (vtriusque vnciam) recipit, vlceribus venereis, et cutis defoedationibus variis, quibus penicilli ope illinitur, inſeruiens.

Aqua mercurialis ad vſus externos (Pharmac. Wirt. 2. p. 21.) ex iisdem fere, ex quibus aqua mercuriata, alia tamen ratione inter ſe miſtis, componitur, iisdem vitiis tollendis adhibita, quam quippe ceruſſa (vncia), lithargyrium (vncia media), alumen crudum (drachmae ſex), mercurius ſublimatus, ſal ammoniacus (vtriusque drachma), aqua

ſolani, plantaginis, roſarum, nymphaeae (ſingularum vnciae quatuor) et acetum vini (libra dimidia) intrant.

Liquor mundificans (VOGLER l. c. p. 58. 59.) non eſt niſi mercurii ſublimati ſolutio, vel (granorum quindecim ad viginti) in decocta cum radice rumicis acuti, vel (granorum ſex) cum floribus geniſtae ſagittalis, vel cum foliis iuniperi ſabinae et radice acori calami aqua (vnciis octo), internarum medicinarum vſu non neglecto, ſiue lauando, ſiue lintea eo humectata imponendo, et poſt vnam alteramue horam partes, quibus applicatus fuit, aqua pura vel pauculo ſapone impraegnata, vel, ſi ruborem et dolorem excitauerit, lacte meraco aut aqua calcis viuae temperata, abluendo, in cutis exanthematibus, potiſſimum venereis, mirifice efficax; ſi flores geniſtae recepti fuerint, ſiue liquor gargariſmatis in modum adhibeatur, ſiue per nares attrahatur aut iniiciatur, in faucium, palati, uvulae, narium vlceribus, ſi folia ſabinae et radix calami, oſſibus ſimul carie affectis, praeſertim ſalutaris.

Oleum mercurii ad verrucas et clauos pedum D. Fauſii (SPINA l. c. p. 641.) naſcitur, ſaccharum candum album cum aequali mercurii ſublimati portione et pauciſſima ferri ſcobe, quae omnino partem mercurii ſublimati in ſua principia diuellit, primo leni, poſt violentiori igne vaſis clauſis torquendo.

Etſi externo iam hoc vſu noxas aliquando intulerit mercurius ſublimatus, et v. g. PIBRAC (Memoir. de l'Acad. de chirurg. à Paris. 4. T. IV.

1768.

1768. comm. 8. p. 153.) letales adeo eius effectus notauerit; J. H. DEGNER caſum feminae recenſeat, ab impoſito emplaſtro mercurium ſublimatum adſperſum continente demortuae, alios damnorum, eius vſum externum ſecutorum caſus HOURY (Mercure de France. Janv. 1764. p. 108.), et SENTER (Transactions of the college of phyſicians of Philadelphia. Philadelph. 8. Vol. I. P. 1. 1793.) ab eodem, vlceri cancroſo inſperſo in altero caſu gangraenam, in altero conuulſiones, in tertio febrem hecticam inſecutam viderit; inſignes tamen illae iacturae, quas ab externo iam mercurii ſublimati vſu perpeſſa eſſe fertur toties aegrotorum vita et ſanitas, tantum abeſt, vt ab vſu eius interno deterreret, vt multi potius tanto maiorem ab eo ſperarent efficaciam, et qui infortunia eum excipientia non negabant, intempeſtiuo potius atque imprudenti eius vſui tribuerent, quam quidem pharmaco ipſi.

Neque noſtro demum ſeculo fuiſſe tentatum, multis conſtat teſtimoniis. Sua iam aetate BASILIUS VALENTINUS, vel quicunque ſit auctor librorum hoc nomen in fronte gerentium (*Chymiſche Schriften, ausg. durch* PETRAEUS. p. 1077.), commendauit remedium, ſuperiori iam et ineunte, quod viuimus, ſeculo in Sibiria (J. G. GMELIN *Reiſe durch Sibirien.* Götting. 8. P. I. 1751. p. 148. et GEORGI *Bemerkungen einer Reiſe im ruſſiſchen Reiche im Jahr* 1772. S. Petersburg. 4. Vol. I. 1775. p. 77. CLERC hiſtoire naturelle de l'homme. à Paris. 1767.), Oſtiacorum praeſertim genti (J. B. MITTLER de moribus Oſtiacorum. Berolini. 1720.), in Ruſſia

(S. G.

(S. G. GMELIN (*Reiſe durch Rußland zur Unterſuchung der drey Naturreiche.* S. Petersburg. 4. P. I. 1771. p. 93.), Anglia (R. WISEMANN l. c. c. 2. et D. TURNER ſyphilis &c. p. 99.), Gallia (ASTRUC l. c. pag. 147.), Germania (ST. BLANCARD Chirurgie, deutſch. Ausg. 2. Druck. Hannover. 1690. 8. p. 431. ZWELFFER animaduerſ. in pharmacopoeam Auguſtanam. Norimb. 1667. fol. mantiſſ. p. 352. FR. C. MEDICUS *Sammlung von Beobachtungen aus der Arzneywiſſenſchaft.* Zürich. 8. Vol. II. 1766. KRAMER commerc. litterar. Noric. ann. 1734. hebd. XLI. obſ. 4. p. 324.) empiricis multis in medicatione luis venereae familiare, quemadmodum ſecreta multa medicamenta, noſtro adhuc aeuo venalia, v. gr. a MAREDANT et NICOLE (GIRTANNER l. c. I. p. 386. 387. MARGES examen et analyſe chymique des differens remedes, que M. NICOLE met en uſage pour le traitement des maladies vénériennes &c. Paris. 1771. 12.) ebuccinata, guttae mercuriales LANGHANSII (Les gouttes glaciales helvetiques, et traité ſur l'uſage des gouttes mercurielles dans tous les maux vénériens, trad. de l'allemand. Lyon. 1759. 12.), teſte Ill. GIRTANNER (l. c. III. p. 622.), et *Roob antiſiphyliticum Laffeteur* (Rapport ſur l'analyſe du Roob antiſyphilitique du Sieur Laffecteur. Paris. 1779. 8.) ſuam huic mercurio efficaciam debent. At non empirici modo atque agyrtae; ſed medici quoque religioſi iique primi ordinis FR. HOFFMANNUS (Medic. ration. ſyſtematic. T. III. Ed. 2. Hal. 4. 1732. Sect. II. C. 5. §. XII. art. 2. p. 514.), H. BOERHAAVIUS (Elem. Chem. II. p. 488.), A. N. R. SANCHEZ (apud ACH. GAERTNER

l. c.

§. 1. p. 5. Hiſtoire de la Societé de medecine à Paris. ann. 1779. à Paris. 1782. p. 266 ſq. et obſervations ſur les maladies veneriennes, publiées par M. ANDRY. à Paris. 1785. 8. p. 3. ſq.), G. van SWIETEN (l. c. V. p. 541 ſq. Medical obſervations and inquiries. Vol. II. p. 233 ſq. Deſcription abregée des maladies, qui regnent le plus communement dans les armées. Vienn. 1759. apud C. FR. HUNDERTMARK progr. de ozaena venerea. Lipſ. 1758. apud J. FR. EHRMANN l. c. p. 33. et apud ASTRUC traité des tumeurs et ulceres. à Paris. 1759.), CHPH. BLASCHKE (diſſ. de virtute venenorum medicata. Vienn. 1757. 8.), A. E. BÜCHNER et A. FR. STOCKHAUSEN (diſſ. de mercurii ſublimati corroſiui vſu medico interno. Hal. 1758. 8.), JO. della BONA (hiſtoria aliquot curationum mercurio ſublimato corrodente perfectarum. Veron. 1758. 8. et obſeruation. medicae, mantiſſae loco addita hiſtoria aliquot curationum mercurio ſublimato corrodente perfectarum, olim edita. Patav. 1766. 4.), A. DE HAEN (ratio medendi in noſocomio practico, quod condidit Maria Thereſia. Vindob. 8. Vol. I. 1757. p. 150. Vol. II. 1757. p. 101. 209-212. Vol. III. 1758. p. 217. Vol. IV. 1759. p. 239.), LUDWIG (inſtitut. medic. clinic. Lipſ. 1758.), LIEUTAUD (l. c.), J. CHR. BRUNS (diſſ. obſerv. quasd. anatomicas et chirurgico-medicas exhib. Goettingae. 1760. 4.), G. E. ZANONI (vindiciae mercurii ſublimati, ep. ad G. van SWIETEN. Romae. 1761.), A. DE STOERCK (annus medicus, quo ſiſtuntur obſervationes circa morbos acutos et chronicos. Vindob. 8. II. 1761. p. 222-224.), JO. CALVI (lettera ſopra

ſopra l'uſo medico interno del mercurio ſublimato corroſivo, e ſopra il morbo venereo. Cremona. 1762.), F. A. CREN (tr. phyſico-medicus de americana lue, ac omnium tutiſſima curandi methodo mercurii ſublimati corroſiui ope. Melit. 1762. 4.), M. LOCHER (obſeruationes practicae circa luem veneream, epilepſiam et maniam. Vienn. auſtr. 1762. 8.), J. E. WICHMANN (diſſ. de inſigni venenorum quorundam virtute medica. Goetting. 1762. 4.), LE MORE (Gazette de medecine. 1762. Oct. nr. 21.), ACH. GUIL. LE BEGUE DE PRESLE (memoire pour ſervir à l'hiſtoire de l'uſage interne du mercure ſublimé corroſif. à la Haye. 1763. 12. et obſervations ſur l'uſage interne du colchique d'automne, du ſublimé corroſif, de la feuille d'oranger, du vinaigre diſtillé &c. à la Haye et à Paris. 1764.), P. IMM. HARTMANN et G. H. HARLEMANN (diſſ. obſerv. quasdam ad cicutae, mercurii ſublimati et phoſphori vſum internum pertinentes ſiſt. Helmſt. 1763. 4.), H. J. COLLIN (noſocomii ciuici Pazmanniani annus medicus tertius. Vindob. 1764. 8. p. 298.), GUIL. BAYLIES (practical eſſays on medical ſubjects. Lond. 8. 1765.), J. J. PLENCK (l. c. p. 1. 2. *Sammlung von Beobachtungen über einige Gegenſtände der Wundarzneykunſt.* Wien. 8. P. II. 1770. et *Schreiben an* G. L. RUMPELT, *worinnen die Würkſamkeit des ätzenden ſublimirten Queckſilbers und des Schierlings wider den Herrn* HIRSCHEL *dargethan wird.* Wien. 1766. 8.), G. CHRISTIANOPULI (deſcriptio hiſtorica morborum grauiſſimorum, nunc mercurii ſublimati corroſiui vſu interno feliciter ſanatorum. Brixiae. 1767.), LANGE (miſcellae veritates de rebus medicis. faſc. I. p. 118.),

p. 118.), TH. C. MEDICUS et W. MUNNIKS (ll. cc.), A. CANESTRINI (diſſ. de mercurio. Oenipont. 1768.), J. FRANC. THIRION (quaeſt. med. an mercurii adhibendi multiplices methodi morborum venereorum curationi proſint? Erford. 1768. 4.), BOURRU (l'art de ſe traiter ſoi-même dans les maladies veneriennes. à Paris. 1770.), ANONYMUS (diſſ. ſur la nature de l'eſprit de nitre dulcifié, rélativement à la diſſolution de mercure &c. à Londres et Paris. 1770.), J. J. GARDANE (récherches pratiques ſur les différentes &c. et moyens certains et peu couteux, de détruire le mal vénérien. Londres. 1772. 8.), et (apud eundem pag. 285.) BUCHOZ et RAYMONT, J. COLOMBIER (code de medecine militaire pour le ſervice de terre. Paris. 1772. pag. 384 ſq.), J. C. LA FEBURE (Méthode familière pour guérir les maladies vénériennes avec les recettes des remédes, qui y ſont propres. à Paris. 1773. 12.), ANONYMUS (practical eſſays on medical ſubjects. London. 1773. pag. 22.), N. V. ROSENSTEIN (*Anweiſung zur Cur von Kinderkrankheiten, üb. von* J. A. MURRAY. 1785. Goett. p. 755.), J. G. HALLMANN (Lätt och minſt koſt ſamt ſatt, at bota och förekomma veneriſk ſmitta hos gemene man, i briſt af veneriſke cur-hus. Stockholm. 1774.), L. A. DE CÉZAN (l. c. p. 200.), P. J. MACQUER et F. VICQ D'AZYR (quaeſt. med. an lui venereae ſublimatum corroſiuum? Paris. 1774. 4.), DE HORNE (Expoſition raiſonnée des différentes méthodes d'adminiſtrer le mercure dans les maladies vénériennes &c. p. 37 ſq. et journal de medecine, chirurgie, pharmacie &c. T. XLVI. 1776.),

PETEL

PETEL (ibid.), FR. B. DARSSES (diſſ. de hydrargyri vſu in lue venerea. Monſpel. 1776. 4.), DAZILLE (obſervations ſur les maladies des négres, leurs cauſes, leurs traitements, et les moyens de les prévénir. à Paris. 1776. 8.), AD. MURRAY et P. DUBB (l. c. p. 16.), STÖLLER (*Beobachtungen und Erfahrungen aus der innern und äußern Heilkunſt mit phyſiologiſchen, anatomiſchen und practiſchen Anmerkungen.* Gotha. 1777. 8. app. art. 3.), G. BICKER (diſſ. de recto atque tuto mercurii ſublimati corroſiui in variis morbis vſu. Goetting. 1777. 4.), M. STOLL (rat. medend. in noſocom. practic. Vindobonenſ. Vienn. auſtr. 8. T. III. 1780. p. 431.), C. GUIL. NOSE (*über die Behandlung des veneriſchen Uebels.* Augsburg. 1780. 8.), W. WIKISSELY (diſſ. de mercurii ſublimati corroſiui in ſiphylide efficaci tutoque vſu. Vienn. 1780. 8.), HERZ (*Briefe an Aerzte.* Berlin. 2te Sammlung. Br. IV. p. 102.), J. G. BERNSTEIN (*Practiſches Handbuch für Wundärzte.* Frankenthal. 8. 1787. Art. Sublimat.), ANONYMUS (Inſtruction ſommaire ſur le traitement des maladies vénériennes dans les campagnes, rédigée et publiée par ordre du gouvernement. Paris. 1787. 8.), GUIL. H. S. BUCHHOLZ (nov. act. Acad. Caeſ. Nat. Carioſ. T. IV. Obſ. LIII. p. 261 ſq.), TERRAS (journal de medecine, chirurgie, pharmacie &c. T. LXXX. 1789.), MELLIN (l. c. p. 144.), VOGLER (l. c. p. 73 ſq.), MOENCH (*ſyſtematiſche Lehre &c.* p. 233.), D. MONRO (l. c. I. p. 264.), DE LA FONTAINE (l. c.) tanquam potentiſſimum in aliis atque aliis morbis ſanandis commendarunt medicamentum.

Multi

Multi eorum, quos modo nominaui, e. gr. van SWIETEN, DE HORNE, A. MURRAY et P. DUBBS, NOSE, CREN, LOCHER, LE BEGUE DE PRESLE (ll. cc.) huic adeo prae omnibus aliis ex argento viuo paratis medicinis palmam tribuunt, ſiue ſummae efficaciae rationem habeas, qua aliis praecellit, ſiue minoris longe moleſtiae, quam, dum effectus ſuos exſerit, aegrotis creat, qui ea vtentes aëris commercio, a quo ſi alia ex argento viuo conflata medicamina adhibuerint, vulgo excluduntur, aeſtate certe, et per diem, libere frui, liberaliori quoque victu vti, ſuis officiis fungi poſſunt, et rarius omnino, quam quidem ab aliis, ſaliuae fluxum experiuntur.

Multi tamen exemplis fauſti euentus recenſitis non permoti, e. gr. SYLVIUS DE LE BOE (l. c.), GERV. UCAY (traité de la maladie venerienne. Toloſ. 1693.), A. DEIDIER (diſſ. de morbis venereis. Montep. 1723.), D. TURNER (l. c.), P. J. MALOUIN (l. c. c. 33. p. 158.), ASTRUC (de morb. vener. p. 593. 624. traité des tumeurs et des ulceres &c. avec deux lettres 1) ſur la compoſition de quelques remedes, dont on vante l'utilité, et dont on cache la preparation; 2) ſur la nature et le ſucces des nouveaux rémédes, qu'on propoſe pour la guériſon des maladies vénériennes. à Paris 1759. 12. Vol. 2. p. 394. et traité des maladies des femmes. T. III. p. 317.), GUIL. BROMFIELD (Account of the engliſh nightſhades and their effects; alſo practical obſervations on the uſe of corroſive ſublimate and ſaſſaparille &c. London. 1757. 12.), C. FR. HUNDERTMARK (progr. de ozaena venerea. Lipſ.

Lipſ. 1758. 4.), L. ESTEVE (quaeſtion. chemic. Monſpel. 1759. quaeſt. 2.), J. FR. CARTHEUSER et CHRN. C. GULDE (l. c.), DOSSIE (theory and practice of chirurgical pharmacy. London. 1761.), L. E. HIRSCHEL (*Betrachtung, ob die Würkung des* mercurii ſublimati corroſiui *in den veneriſchen Krankheiten innerlich gegeben gegründet ſeye? Nebſt einer Erwehnung der* cicuta. Berlin. 1763. 8. et *Beyträge zu ſeinen Betrachtungen über den innerlichen Gebrauch des* mercurii ſublimati corroſiui *und des Schierlings, worin die Einwürſe des H. Plenck gegen dieſelbe widerlegt werden.* Berlin. 1767. 8.), POMMÉ (traité des affections vaporeuſes des deux ſexes. Paris. 1763.), ANONYMUS (Parallele des différentes methodes de traiter la maladie vénérienne. à Amſterd. 1764. p. 140 ſq.), G. FR. VENEL et J. FR. DRILHON (qu. med. de innocentia, ſufficientia, vtilitate, praeſtantia hydrargyroſis ex compoſitis mercurialibus ſalinis intus exhibitis in curatione morborum venereorum. Piſcenis. 1764.), J. WATHEN (practical obſervations, concerning the cure of the venereal diſeaſe. Lond. 1765.), J. J. HUBER (nov. act. Acad. Caeſ. Nat. Curioſ. Vol. III. ann. 1767. obſ. 100. p. 527.), PIBRAC (l. c. p. 153.), BELLET (l. c.), C. GUIL. POERNER (Select. mater. medic. Lipſ. 1767. 8. p. 197.), GUIL. FORDYCE (Review on the venereal diſeaſe and its remedies. London. 1768. 8.), PRESSAVIN (traité des maladies vénériennes &c.), ANONYMUS (Examen des nouvelles methodes d'adminiſtrer le mercure &c.), M. FR. BOEHM (diſſ. varia ſyphilidis theoria. Argent. 1771. §. XXIV.), J. L. L. (chemico-medical diſſertation on mercury, on its various

various proportions and mode of operating. Lond. 1774. 8.), J. A. DE BRAMBILLA (*Chirurgiſch-praktiſche Abhandlung von der Phlegmone und ihren Ausgängen.* Wien. 8. Vol. II. 1775.), S. ST. DE MEZA (opuſcul. pathologico-practica. Hafn. 1776. 8.), DE LA PEYRE (Hiſtoir. de la Societé de medecine à Paris, ad ann. 1777 et 1778. Paris. 1780. p. 122.), D. CIRILLO (oſſervazioni pratiche intorno alla lue venerea. Nap. 1783. 8. P. II. p. 124 ſq.), FR. A. CLAD (diſſ. de proſcribendo potius quam praeſcribendo vlterius mercurii ſublimati interno ac locali in re medica et chirurgica vſu. Argentor. 1784. 4.), QUARIN (animaduerſiones practicae in diuerſos morbos. Vienn. 1786. 8. p. 318.), S. HAHNEMANN (apud D. MONRO l. c. I. p. 264.), GIRTANNER (l. c. I. p. 360 ſq.), J. A. M. SCHAEFFER (l. c. §. II. p. 8.), tanquam exitialem et periculi plenam materiam ex internarum medicinarum cenſu exulare iuſſerunt.

Mortes adeo, hunc vſum internum ſecutas commemorant V. A. MOELLENBROEK (Ephem. Acad. Caeſ. Nat. Curioſ. Dec. II. ann. 1. 1684. obſ. 54. p. 131.), ZANNINI et CLAD (ll. cc.), alia funeſta ſymptomata Medici Galli (Gazette de ſanté par une ſocieté des medecins. 1776. p. 139.), tabem J. HAARTMANN (Kongl. Svenſk. Vetenſk. Academ. Handling. Vol. 29. ad ann. 1768. p. 273.), J. AL. DE BRAMBILLA (l. c.), J. des LONGROIS (ſur la pulmonie. à Paris. 1783. 8.), GIRTANNER (l. c. III. p. 827. et apud BLUMENBACH *mediciniſche Bibliothek.* Vol. II. p. 519.), QUARIN (l. c.), J. HUNCZOVSKY (*mediciniſch-chirurgiſche Beobachtungen auf*

ſeinen Reiſen durch England und Frankreich, beſonders über die Spitäler. Wien. 1783. 8.), A. G. RICHTER (*Chirurg. Bibliothek.* Vol. IV. p. 277.), ſputum ſanguinis J. A. DE BRAMBILLA (l. c.), A. G. RICHTER (l. m. c.), GIRTANNER (l. c. I. p. 364.), QUARIN (l. c.), tuſſim H. J. COLLIN (l. c. p. 132.), reſpirationem difficilem TERRAS (l. c.), ſymptomata apoplectica, viſus atque auditus defectum J. A. DE BRAMBILLA (l. c.), vertiginem TERRAS (l. c.), abortus J. A. DE BRAMBILLA (l. c.), neruorum morbos inſanabiles et membrorum contractiones QUARIN (l. c.), alui fluxus pertinaciſſimos TH. GATAKER (Eſſays on medical ſubjects, to which is prefixed an introduction, relating to the uſe of hemlock and corroſive ſublimate, and the application of cauſtic medecines in cancrous diſorders. Lond. 1764. 8.), J. COLOMBIER (l. c.), C. DE MERTENS (obſerv. medic. Vindob. 8. T. II. 1784. p. 100.), D. CIRILLO (l. c.), GIRTANNER (l. m. c.), ALTHOF (l. c. I. p. 109.) teneſmum GARDANE (recherches pratiques &c. p. 101 ſq.), abdominis, et inteſtinorum praeſertim debilitatem ALTHOF (l. m. c.) et TH. GATAKER (l. c.), horum et ventriculi potiſſimum dolores atrociſſimos TH. GATAKER (l. c.), J. GARDINER (Eſſays and obſervations phyſical and litterary read before the philoſophical ſociety in Edinburgh. 8. Vol. III. 1771. p. 380.), GIRTANNER (l. c. I. p. 364. III. p. 700.), C. DE MERTENS et D. CIRILLO (ll. cc.), van SWIETEN (comment. in BOERHAAVII aphoriſmos. T. V. p. 549.), nauſeas J. GARDINER, van SWIETEN, GIRTANNER et ALTHOF (ll. mm. cc.), aſperitatis in faucibus ſenſationem van SWIETEN (l. m. c.),

(l. m. c.), vomitus IIDEM, J. COLOMBIER, C. DE MERTENS, (ll. mm. cc.), aliaque digeſtionis vitia D. CIRILLO (l. c.), hydropem LENTIN (*Beobachtungen der epidemiſchen Krankheiten am Oberharze.* p. 103.), cutis calorem (GARDANE l. m. c.), ſudorem J. COLOMBIER (l. c.) et J. ANDREE (obſervations on the theory and cure of the venereal diſeaſe. London. 1779. 8.), quin imo ſaliuae paulo largius profluuium PRICE OWEN (tract. de mercurio. Edinb. 1757.), FIELIZ (ap. RICHTER *chirurg. Bibliothek.* V. p. 140.), TH. GATAKER (l. c.). In Gallia praecipue meridionali ſaepius nocuiſſe, quam profuiſſe, teſtantur (ll. cc.) PIBRAC, HUNCZOWSKY, GIRTANNER, in Magnae Britanniae noſodochiis GUIL. FORDYCE (l. c.), in Haſſia MOENCH (l. m. c. p. 233.), in Auſtriae noſodochiis atque exercitibus QUARIN et J. A. DE BRAMBILLA (ll. cc.), qui poſterior enarratas a LOCHERO (l. c.) felicis ſucceſſus hiſtorias fictitias, et ad exaltandas laudes medicinae ab Ill. van SWIETEN medicis commendatae fuiſſe excogitatas, et ideo hunc mercurii ſublimati vſum internum in illis abrogatum perhibet; idem in Ruſſia, Suecia, Italia contigiſſe tradit (l. c. I. p. 363.) GIRTANNER, in Anglia J. ANDREE (obſervations on the theory and cure of the venereal diſeaſe. Lond. 1779. 8.), in Sibiria CHAPPE D'AUTEROCHE (voyage en Sibérie, fait par ordre du Roi en 1761. Paris. 1768. fol. Vol. I. p. 66.). In pertinacibus tantum et leniori medelae non cedentibus malis admittit (l. c.) TH. C. MEDICUS; in aegrotis abundante pituita obrutis C. GUIL. POERNER (l. c.), anceps atque incertum eſſe medicamen JO. CALVI (de medicamen-

dicamentis pro noſocomiorum leuamine moderandis. Ed. II. Piſis. 1763. 4.), G. HEUERMANN (l. c. Vol. II.), J. ANDREE (l. m. c.) et J. HUNTER (treat. on the venereal diſeaſe. London. 1786. 4.) pronuntiant.

At enim vero, quamuis iuſto magis decantatas fuiſſe mercurii ſublimati laudes, facile concedi, quamuis infelices illae ſequelae negari omnes nequaquam poſſint, multas tamen incauto, intempeſtiuo, immodico (van SWIETEN l. m. c. p. 556.) potius vſui, vel prauae eius praeparationi tribuas, quam medicinae ipſi; ſaliuam aegrotis ea vtentibus largius aliquando profluere, ne ipſe quidem van SWIETEN (l. m. c. p. 549-555.) et GARDANE (recherches pratiques &c. p. 120.) inficias iuerunt; contingere id poſſe aegrotis, in illud profluuium procliuibus, aut, quemadmodum et V. SWIETEN (Comment. V. p. 552.) et Coniunctiſſ. RICHTERUS (l. c. V. p. 140. 141.) annotauerunt, ab vſu aliorum ex argento viuo paratorum medicaminum illud perpeſſis, facile des, rarius tamen contingere, vnanimis fere loquitur experientia, neque repugnes, homines ſenſibiliores V. STOERCK (l. m. c. p. 224.), irritabiliores (C. DE MERTENS l. m. c. DE HORNE journal de medecine, chirurgie, pharmacie &c. T. XLVI. 1776. Jul.), pulmone debili praeditos (A. STOERCK ann. medic. 2. p. 215. TERRAS l. c.), ſiccos (A. STOERCK l. m. c.), in tuſſim, aut haemoptyſin (CÉZAN et STOERCK ll. cc.), aut alia ſanguinis profluuia (A. STOERCK l. m. c.), aut alui profluuia pronos, ſcirrhis, tumoribus inflammatoriis, febre lenta laborantes (DE HORNE l. m. c.),

ab vſu huius pharmaci ardorem, nauſeam, vomitum experientes, facile laedi, et vel plane arcendos eſſe ab eo vſu, vel largiſſimis potuum demulcentium hauſtibus obuoluendam medicaminis acrimoniam, vel opio addito (RICHTER *chirurg Bibliothek.* XII. p. 476.) muniendos contra violentum hunc ſtimulum eorum neruos; plethoricos, praemiſſa venaeſectione, deplendos, alios a ſaburra primas vias opplente, prius liberandos, ipſius epidemici characteris rationem habendam (NOSE l. c.), multa opus eſſe in huius, quemadmodum in vſu omnium potentiarum, ſiue ex argento viuo, ſiue ex aliis confectarum medicinarum, vſu circumſpectione, qua neglecta neutiquam mireris more aliorum praeſtantiorum efficacitatis gradu ad venena accedentium medicaminum multifarias inferre noxas, qua autem adhibita ipſis infantibus, adeo lactantibus (J. J. GARDANE recherches pratiques &c. p. 136. BALDINGER apud BICKER l. c. p. 8.), imo, ſi fides CÉZAN (l. c.) et G. MACAULAY (medical obſerv. and inquiries by a Society of phyſicians. Vol. II. p. 256.) grauidis praeberi poteſt, et neque ventriculum neque inteſtina infeſtabit (Commentar. de rebus in ſcientia naturali et medicina geſtis. Lipſ. 8. Vol. XXVII. 1785. p 95.), neque pulmonibus (J. J. GARDANE l. m. c. p. 128.), quamuis debilibus, nocebit, vt potius bis in phthiſeos pulmonalis initiis propinatus omnibus eius ſymptomatibus profligatis aegros ſaluaſſe perhibeatur (BRILLOUET journal de medecine, chirurgie, pharmacie &c. T. XLVIII. 1777. Nov. art. 3. p. 405.), iuueni in diuturnos pulmonum morbos ipſamque tabem propenſo, cui

ad delendam veneream tabem porrigebatur, nequaquam obeſſet (Commentar. de rebus in ſcientia naturali et medicina geſtis. Vol. XXVII. p. 91.), et puerum compagis debilioris, anhelantem et continue tuſſientem, cui ſanandae paedarthrocaces ergo quatuordecim hebdomadum ſpatio ſenſim ſeptuaginta quatuor eius grana exhibita fuerant, non ab hoc tantum malo, ſed, accedente quamuis febre ſcarlatina epidemica, pectori toties infeſta, a tuſſi quoque et difficili anhelitu liberaret (ALTHOF l. c. p. 92-94.), et adoleſcentem, per duos iam annos de tuſſi, pungentibus pectoris doloribus et ſpiritu difficili conquerentem, et de tuberculis pulmonum ſuſpectum, hauſto inſuper potu ex lichene islandico, farfara et millefolio cocto, integrae ſanitati reſtitueret (ALTHOF l. m. c. p. 93. 94.), tabem veneream feliciſſime vinceret (D. CIRILLO l. c. p. 130.), eique tabi, quae abuſui veneris et nefandae paederaſtiae originem debet, ab aliis (e. gr. GARDANE l. m. c. p. 141.) opponatur, et multoties ſuperata per eius vſum lue venerea obſeruati a medicis e. gr. DE HORNE (l. m. c.), RICHTER (l. m. c. Vol. XI. p. 261. 262.), ALTHOF (l. c. p. 89.), per plures adhuc ſequentes annos aegroti, ne minimum quidem tabis veſtigium oſtenderent, vt taceam, a tabe vſum huius mercurii inſequente praepropere concludi, cauſſam tabis in eo vſu deliteſcere, et multa exempla tabis eum ſecutae tum nondum ſatis demonſtrata (ALTHOF l. c. pag. 102.), tum (DE HORNE expoſition raiſonnée des différentes methodes d'adminiſtrer le mercure &c. c. 4.) ficta eſſe, et ſatis larga mercurii ſublimati praebia, aut

ex

ex conſilio medici aut incuria aegroti deglutita ſiniſtro euentu caruiſſe; ita FR. B. DARSSES (l. c.) refert, virum ſemeſtri ſpatio praeter ſedecim argenti viui vncias vnguenti ſpecie adplicatas, 485 eius grana, ita Ill. MOENCH (l. m. c. p. 233.) militem, loco decem quadringentas pilulas ab HOFFMANNO denominatas ſpatio duorum dierum, Ill. HOFFMANNUS ipſe (in litter. apud JACOBI l. m. c.) aegros ſpatio vnius diei quadraginta impune deglutientes, ita Ill. RICHTER (l. m. c. Vol. IV. p. 698.) puellam, quae ex proprio arbitrio tribus huius mercurii granis ſpiritu frumenti ſolutis ſemel et ſimul ſorbtis aluum tantummodo laxauit, ita Cl. ALTHOF (l. c. p. 109.) hominem robuſtum, cui quadruplex eius praebium non niſi inteſtina pauliſper debilitauit.

Quodſi magna medicorum pars mercurii ſublimati vſum internum atro veneni indomiti carbone notauit, alii v. g. J. HAARTMANN et J. HUNTER (ll. cc.), et FABRE (traité des maladies vénériennes. à Paris. 1782. 8.), imparem potius eſſe virus venereo abolendo pronunciarunt; nullum vnquam ſe vidiſſe eius ſucceſſum aſſerit FR. VACCA' BERLINGHIERI (ſaggio intorno alle principali e più frequenti malattie del corpo umano ed a rimedi piu valoroſi. Piſis. 1787. 4. T. II. c. 5.); nunquam ingentem TH. C. MEDICUS (l. c.); malum pertinacius illi nequaquam cedere J. GARDINER et S. HAHNEMANN (ll. cc.), vix ſymptomata ad tempus mitigare, leuiori tantummodo malo ſufficere TH. GATAKER (l. c.), eo vſu ſymptomata modo mitigari J. WATHEN (practical obſervations concerning the cure

of the venereal diſeaſe by mercurials &c. London. 1765. 8.), J. HAARTMANN et HUNTER (ll. cc.), GIRTANNER (l. c. I. p. 364.), SCHWEDIAUER (l. c. I. p. 228.), atque iſto ſucceſſu ſaepe ſatis celeri et aegrotos et medicos turpiter falli; at, vtprimum aegroti vti eo deſinant, aucta ferocia recrudeſcere malum J. HAARTMANN, GIRTANNER, HAHNEMANN (ll. mm. cc.), negante omnino RICHTERO (l. c. XII. p. 476).

Ne dicam, cauſſam irriti iſtius euentus latere nonnunquam in peruerſo praeparandi modo, quale exemplum allegat PLENCIZ (acta et obſerv. medic. Prag. et Vienn. 1783. 8.) hominis, qui terendo in mortario marmoreo mercurium ſublimatum cum frumenti ſpiritu et aqua fontana ſolutionem eius confecit, a multis mercurii per particulas calcarias praecipitati et cicurati puluiſculis lactis tenuioris inſtar opacam, et multum huius mercurii in charta relinquentem, per quam traiiciebatur.

Negari porro non poteſt (DE HORNE l. m. c.), neque in omnibus morbis, quibus mercurius et praeparata ex eo medicamina conducunt, perinde conferre, neque in omnibus ſolum ſufficere mercurium ſublimatum, prouti neque aliae medicinae ex argento viuo paratae in omnibus, quae hoc pharmacum poſcunt, malis aeque ſalutarem praeſtant effectum; dari malum, et huic duriſſimo cuneo reſiſtens, ipſi confitentur alias mercurii ſublimati patroni J. J. GARDANE (recherches pratiques &c.), J. COLOMBIER (l. c.) et A. DE HAEN (l. c. II. p. 213.); ipſe LOCHERUS (l. c.) ſex dimiſit milites, teterrima lue

lue peſſime mulctatos hoc remedio non leuatos; A. STOERCK (l. c. II. p. 323. 224.) interdum per binos menſes continuos incaſſum adhibuit, et medicus Lipſienſis (Comment. de rebus in ſcient. natur. et medic. geſtis. Vol. XXVII. p 95.) aliquoties hunc morbum fruſtra tentauit hoc remedio. Ozaena oſſium carie ſtipata huic mercurio pertinaciſſime reſiſtens conio ceſſit (G. L. RUMPELT in ſua verſione germanica libelli STOERKIANI, quo demonſtratur, ſtramonium, hyoſcyamum, aconitum non ſolum tuto poſſe exhiberi vſu interno hominibus, verum et ea eſſe remedia in multis morbis maxime ſalutifera. Dresden. 1765. 8.); aegroti venerei, mercurium ſublimatum aegre ferentes, conio circumſpecte adhibito, cum ſanitate in gratiam redierunt (H. J COLLIN ann. medic. III p. 132. 298.); cutis morbum ex venereis ſordibus oriundum, mercurio ſublimato corroſiuo neutiquam obtemperantem, mercurio dulci ad lene vsque ſputi profluuium exhibito ſuſtulit Coniunctiſſ. RICHTER (*Chirurg. Bibl.* I. p. 40. IV. p. 277. 278.).

Porro mercurio ſublimato corroſiuo opus eſt pro alia atque alia morbi, cui opponitur, aegroti, cui propinatur, indole, alio atque alio conſortio; ne enim dicam, morbos oſſium, aliosque topicis ſymptomatibus comitatos externa ſimul indigere medicatione, ſiue ex argento viuo, ſiue aliunde petita, largi praeſertim potuum demulcentium ex ſeminibus hordei, auenae, ex radicibus altheae, graminis, cichorei, liquiritiae paratorum, ſaccharo vel ſyrupo edulcatorum, lacte temperatorum hau-

ſtibus

ſtibus nocitura alias pharmaci acrimonia cicuranda, in aegrotis praeſertim delicatioribus et ſenſibilioibus opio cum grano ſalis addito contra nimiam ſtimuli vim tuendi nerui, neque vnquam ieiuno ſtomacho ſumendum pharmacum, in exſuccis potiſſimum adiungenda ſimul balnea (A. N. R. SANCHEZ hiſtoire de la Societé de medécine à Paris ad ann. 1779. p. 266. et obſervat. ſur les maladies vénériennes. p. 3. 149. M'CAUSLAND ap. DUNCAN medic. Commentaries for 1781 and 1782. Vol. VIII. 1783. P. II.), in eneruibus nutrienda et cinchonae cortice ferreisque medicinis roboranda ſolida, eaeque cautelae omnes adhibendae, quibus generatim in vſu argenti viui, et quae ex eo conficiuntur, medicamentorum opus eſt.

Inter has cautelas praecipue referenda eſt illa, vt medicatio mercurio hoc ſublimato peragenda ſatis diu continuetur; ea enim vel a medico (A. DE HAEN l. m. c.), vel, quod frequentius contingit, ab aegroto, qui toties praecipuis ſymptomatibus euaneſcentibus omne malum ſublatum eſſe ſibi fingit (ALTHOF l. c. p. 100.), et conſuetam vitae rationem ſequitur (A. DE HAEN l. m. c.), nauci habita, ſane haud mireris, morbum vix ſopitum, nedum penitus profligatum, denuo reſurgere (ALTHOF l. c. p. 99. 100. DE HORNE journal de medecine &c. l. c. J. J. GARDANE l. m. c.); quare multi medici e. gr. GARDANE (l. m. c.) eandem mercurii ſublimati portionem, qua paulatim adhibita ſenſibilia morbi indicia diſparuerunt, vt perfecta fiat medicatio, his diſſipatis eadem cum circumſpectione adhuc ſumi praecipiunt.

Multum

Multum porro intereſt, qua doſi ingeratur mercurius ille ſublimatus; non omnibus eandem aut conducere aut ſufficere, in aprico eſt; fuere, qui quatuor vel ſex (J. J. GARDANE l. m. c.) eius granis pedetentim et debita cum cautela deglutitis omnem abſoluerunt curationem; aliis ſedecim (J. J. GARDANE l. m. c.), aliis viginti quatuor (RICHTER l. m. c. Vol. XI. p. 496.), aliis triginta ſex, imo quadraginta octo granis (TERRAS l. c.), aliis (ALTHOF l. c. p. 93.) ſeptuaginta quatuor, pertinaciori malo ſanando maiore adhuc eius copia opus eſt.

Multum denique pendet felix huius remedii ſucceſſus a doſi, quam ſingulis vicibus recipit aegrotus; infantibus, ſi quando iis exhibere velis, duodecima grani pars per diem propinata ſufficit; et in ipſa adultorum medela praeſtat ab octaua grani parte inchoare, et ſi vires aegri permittant, et grauitas morbi poſtulet, paulatim ad medium, imo ad integrum granum diurno temporis ſpatio, partite tamen praebendum, adſcendere, et ſollicite cauere, ne aegrotus morae pertaeſus (MOENCH, ALTHOF et RICHTER ll. cc.) et morbum vno quaſi ictu iugulaturus, duplex, vel magis adhuc multiplicatum praebium vno hauſtu ſorbeat.

Praeſtat porro aegrotum aëre paulo calidiori (TERRAS l. c.) vti, et, ſi, memorata circumſpectione quamuis religioſe adhibita, tuſſim (COLLIN l. c. DE HORNE journal de medecine &c. l. c.), colicam (DE HORNE l. m. c.) experiatur, ab vlteriori vſu abſtinere; ſi calorem cutis vel dolores capitis ſentiat, aut ex naribus aut ano ſanguis profluat, aut eryſi-

pelatis

pelatis ſpecies vel alia inflammationis ſigna ſuperveniant, venam ſecare, ſi aluus obſtructa ſit, enema applicare, quemadmodum quoque fauſtus mercurii effectus multum iuuatur leni alui purgatione ſingulis quinque (HOFFMANN ap. JACOBI l. c.) vel octo diebus repetita (J J GARDANE l. m. c.). Si quando ſaliuae fluxum appropinquantem ex enarratis ſupra indiciis colligat medicus, per aliquot dies intermittendus medicinae vſus (J. J. GARDANE l. m. c.).

Alii porro hanc, alii illam formam mercurii ſublimati corroſiui intus adhibendi potiorem duxerunt, pauciores, v. gr. POTS, qui (apud T. DE MAYERNE tract. de febribus c. 4. p. 72.) puluerem ſuum antifebrilem ingredi iubet, ſiccam pulueris; plurimi aut liquidam formam, aut formam pilularum.

Quum mercurius ſublimatus corroſiuus perinde ſoluatur ſpiritu ardente ac aqua, et acidorum mineralium acrimoniam, in qua mercurii etiam huius ſublimati violentia fundatur, vini ſpiritu potentius infringi, quam aqua, alia quoque experimenta doceant, et multis viſum ſit rarius in ſaliuam agere hoc latice ſolutum. quam aqua (Medical obſervat and inquiries. Vol. II. pag. 230.), praeeuntibus olim in Anglia (apud D. TURNER l. c.) et Sibiria (v. J. G. GMELIN l. c.) aliis, Ill. van SWIETEN (ll. cc.), eoque duce A. DE HAEN, A. STOERCK, COLLIN, LOCHER, CREN (ll. cc.), perinde ac Ill. SANCHEZ (apud van SWIETEN Comment. Vol. V. p. 550.), Sueciae (S. AURIVILLIUS et IS. OL. GRUFBERG diſſ. de ſpiritu vini mercuriali. Vpſ. 1760. 4.), Scotiae (*Solutio mercurii corroſiui* Pharmacop.

macop. pauper. Edinburg. pag. 39.), Angliaeque medici A. GORDON (medical obſervat. and inquir. by a Societ. of phyſicians in London. 8. T. I. 1757. obſ. 29. p. 365. et T. II. 1762. p. 78.), J. CLEPHANE (ibid. Vol. I. p. 388.), GUIL. HASTIE (ibid. p. 395.), R. DAVIES (ibid. p. 397.), J. BARKER (ibid. p. 408.), R. MILLER (ibid. p. 390. et T. II. 1762. p. 73.), G. FR. BOYD (ibid. T. I. p. 405. et T. II. p. 85.), AL. RUSSEL (ibid. T. II. p. 88.), G. MACAULAY (ibid. p. 256.), R. BROCKLESBY (oeconomical and medical obſervations &c. London. 1764. 8. p. 290 ſq), frumenti ſpiritu ſemel rectificato (*ſpiritus vini mercurialis, ſolutio mercurii ſublimati ſpirituoſa*) ſolutum, ita vt huius vncia illius granum medium reciperet, imperauerunt, eiusque liquoris ſingulis mane et veſperis cochlear vnum (circiter aequale vnciae mediae), vnum et dimidium, imo cochlearia duo ſorbere aegros, infantes ſingulis veſperis guttas triginta (GIRTANNER l. c. I. p. 435.), iuſſerunt, aliis (R. DE HAUTESIERK formul. medicamentorum noſodochiis militaribus adaptatae, digeſt. et auct. Caſſell. 4. 1761.) camphoram (*Liquor ſyphiliticus*), aliis (ANDRIEU agenda antiſyphillitique. Paris. 1786. 8. p. 34.), inepto ſane conſilio, praeter ſyrupum mercurialem reſinam ialapae, ſal mirabile Glauberi et nitrum, aliis (v. gr. STOCKHAUSEN l. c. p. 20. 21.) gratiae ergo aquam cinnamomi et ſyrupum violarum ſuperaddentibus; aliis in locum ſpiritus frumenti, multorum palato et naribus minus grati, ſpiritum ſacchari ardentem (FRANC DE LA MURE Gazette de medecine. 1762. Novembr. n. 42.), aut ſuauiorem adhuc

adhuc vini ſpiritum (v. ap. van SWIETEN Comment. T. V. p. 550.) recipientibus; ita DOSSIE (theory and practice of chirurgical pharmacy. p. 438.) mercurii ſublimati grana decem (*Tinctura mercurii ſublimati corroſiui*) ſpiritus vini rectificati libra vna; medici Sueci (Pharmacop. ſuec. p. 75.) illius grana ſex ſpiritus vini rectificati vnciis tribus, aquae cinnamomi aequali portione, et aquae diſtillatae ſimpliciis libra media ſolui, eumque liquorem (*Mixtura mineralis*, *Solutio mercurialis*) ſyrupi althaeae vncia edulcari, medici Caſſellani (Pharmac. rational. p. 217.) grana illius duodecim ſpiritus vini rhenani vel gallici libra vna et dimidia, et aquae cinnamomi ſpirituoſae libra media ſolui, et, vt metallicus et nauſeoſus ſapor magis adhuc obtundatur, ſingulis ſolutionis vnciis binas ſyrupi emulſiui drachmas addi, J. A. GALLUS (Commentar. de Bononienſ. ſcientiar. et artium inſtitut. atque academia. Bonon. 4. Tom. VI. 1783. p. 69. 119 ſq.) granum eius vnum alcoholis quod vocant, vini vncia, et aequali aquae diſtillatae copia ſolui, et ſyrupi ex ſucco pomorum citreorum parati drachmas duas adiici, lacte temperari medici Sueci (ap. J. L. ODHELIUM Underrättelſe, huru man i briſt of läkare kan bota ſig ſielf för den farliga veneriſka ſiukdomar. Stockholm. 1775. 8.) praecipiunt. Memoratis autem his artificiis non id modo efficitur, vt minus ingrato ſapore polleat medicamen, ſed quum maiore liquoris copia, quod quidem etiam in illa ſolutione fit, quam B. SANCHEZ in litteris ad J. G. GMELIN (apud ACHAT. GAERTNER l. c. p. 5.) commendat, quippe qui quadraginta octo ſpiritus vini vnciis

grana tantummodo quatuor mercurii ſublimati diſſolui iubet, diluatur, et ſaccharo ſyrupoue inuoluatur mercurius ſublimatus, illud quoque, vt tutius operetur, et maioribus praebiis ingeri queat.

Viſum tamen fuit nonnullis, ſpiritum ardentem diſſoluendo eo conſilio mercurio ſublimato minus conducere, quam quidem aquam ſimplicem, aliis (COZE journal de medecine, chirurgie, pharmacie &c. 1789. T. LXXX. Jul.), ne eius vi mercurius ſublimatus in ſua principia diuellatur, et efficacia, quam ſpondet, orbetur, metuentibus, aliis immerito (GIRTANNER l. c. I. p. 369.) timentibus, ne omnis aequabiliter diſſoluatur, aliis, v. gr. DE HORNE, GARDANE, CÉZAN (ll. mm. cc.), J. FR. EHRMANN (l. c. p. 47.), ob ingratum multis delicatioribus ſpiritus ſaporem noxios in officinam digeſtionis effectus, aliis (v. gr. J. J. GARDANE l. m. c. p. 101.) maius paulo ſpiritus pretium reformidantibus; aliis v. gr. BONA (hiſtor. aliquot curation. mercurio ſublimato corrodenti perfectarum. Veron. 1758.), J. FR. EHRMANN (l. m. c.) ob coagulantem, obſtruentem, rigiditatem fibris facile inducentem atque excalefacientem ſpiritus facultatem aquam praeferentibus.

Ita, praeeuntibus ex recentioribus veri nominis medicis FR. HOFFMANNO, qui (l. c.) granum mercurii binis aquae vnciis ſolutum inter efficaciſſima medicamina refert, et H. BOERHAAVIO, qui (Elem. Chem. II. p. 488.) ſolutionem ex vno mercurii ſublimati grano et aquae vncia paratam ad drachmam vnam ſyrupo violarum temperatam bis vel ter per

per diem propinatam in multis morbis incurabilibus mira praeſtare aſſeuerat, OESTERREICHER (*Fränkiſche Sammlungen von Anmerkungen aus der Naturlehre, Arzneygelahrheit, Oekonomie, und den damit verwandten Wiſſenſchaften.* Nürnberg. 8. Vol. VII. P. 39. n. 5. p. 259.), L. CRELL (*Magazin für Aerzte.* Leipz. 8. 1778. p. 649.), MELLIN (l. c. p. 144.), BALDINGER (apud BICKER l. c.), MOSEDER (apud EHRMANN l. c. p. 42.), COZE, CÉZAN, DE HORNE, GARDANE, TERRAS, J. FR. EHRMANN (ll. cc.) hac ſolutione per aquam peracta vti maluerunt.

Intercedit tamen inter hos quoque diſcrimen; aliis v. gr. COZE, DE HORNE (ll. cc.) aquam diſtillatam, aliis natiuam, fontanam (G. BICKER l. c. p. 8.), pluuialem vel fluuiatilem, quae, niſi fortuito valde impura ſit, nihil omnino continet, quod alterare notabiliter aut indolem aut vires mercurii ſublimati poſſet, praecipientibus, aliis hanc, aliis illam vtriusque rationem praeſcribentibus; dimidium, paulatim integrum, mercurii ſublimati granum aquae vncia ſolui, eiusque liquoris quartam partem vna cum libra aquae cum hordei granis coctae ſumi iubet (l. c.) Ill. CRELL; aliam rationem ſequitur (l. c.) LANGE, qui ſui liquoris drachmam vnam vel duas aequali aquae portione temperatas praeſcribit; mediam drachmam cum aquae vnciis octo permiſceri, eiusque laticis ſingulis diebus cochlear vna cum decocto tenui ligni guaiaci recipi (l. c.) OESTERREICHER; ſex grana mercurii aquae libra ſolui, et liquoris ſyrupi violarum vnciis duabus edulcati mane et veſperi cochlear ingeri iuſſit (l. c.) MOSEDER; mercurii in tenuiſſimum pollen com-

comminuti grana octo (pro tenerioribus aegrotis tantummodo ſex), in pertinacioribus malis duodecim, terendo cum aquae ſaccharo edulcatae tepidae libra permiſceri, huiusque liquoris ter de die (ſi duodecim grana recepta fuerint, bis) cochlear, niſi mali peruicacitas, aut periculum in mora bina poſtulent, cum lacte, aut, ſi hoc ventriculus ferre renuat, cum iuſculo carnis vel decocto farinaceo, vel aqua meraca, aut, ſi viribus exhauſtus ſit aeger, et lac aegre ferat, cum cyatho potus chocoladae ſumi (l. m. c.) J. J. GARDANE; ſex grana mercurii ſublimati aquae fontanae diſtillatae vnciis duodecim ſolui, eiusque ſolutionis bis de die primo cochlear minus, quale ſorbendo theae infuſo adhibetur, ſenſim maius cum aequali aquae aut lactis copia deglutiri (l. c.) TERRAS; viceſimam grani partem aquae libra ſolutam, nycthemeri ſpatio ſorbendam initio praeſcripſit Ill. van SWIETEN (Comment. Vol. V. p. 549), ſenſim adſcendendo ad medium granum duabus aquae libris temperatum eodem tempore ingerendum; quinque mercurii corroſiui grana libra aquae roſarum ſolui, et liquoris duabus vnciis ſyrupi violarum edulcati mane et veſpera cochlear porrigi iubet MELLIN (l. m. c.); mercurii corroſiui drachmas duas quatuor aquae fontanae vel pluuialis vnciis calore leni diſſolui, et huius ſolutionis guttas quindecim ad triginta cyatho lactis vaccini inſtillatas praeberi ſuadet BRUAND (journal de medecine, chirurgie, pharmacie &c. T. XXXIX. 1773. Maj.): BIERCHEN, cui aſſentitur ROSENSTEIN (l. c.), mercurii corroſiui grana ſex cum mercurii gummoſi drachmis duabus in aquae fontanae vnciis octo,

et aquae cinnamomi vnciis duabus ſolui, et liquorem iſtum ſyrupi altheae vnciis duabus edulcari, auctor eſt.

Fuere tamen multi, quibus liquida huius medicaminis forma non placuit, tum, quoniam ſibi perſuadebant, auſterum atque aegrotis tantopere ingratum mercurii corroſiui ſaporem aboleri ita non poſſe, quod tamen fieri aliis atque aliis commemoratis artificiis tot teſtimonia proſtant, tum, quoniam ventriculum ſoluto atque in liquidam formam redacto mercurio ſublimato corroſiuo facilius atque grauius infeſtari, quam quidem ſiccam formam induto (FRANC. JACOBI deſcriptio mercurium ſublimatum corroſiuum tutius copioſiusque exhibendi. Monaſter. 1772. 8.) metuebant, pilularum ideo formam anteponentes, quas quoque, ſi ea forma aegris arrideat, ſaccharo et oleo quodam aethereo conditas in puluerem redigere licet (HOFFMANN in liter. ap. JACOBI l. c. VOGLER l. c. p. 75. 76.).

Ita iam P. HERMANNUS (Cynoſura materiae medicae, exornata a J. S. HENNINGER, diffuſius explanata a J. BOECLERO. Argentorat. 1726. 4. P. III. p. 87.) eius grana duo cum ſucco glycyrrhizae in pilulas redacta, aqua menthae diſtillata vel iuſculo pingui largioribus hauſtibus ſuperingeſto, robuſtiſſimis, qui blandioribus non mouentur, porrigi iubet; prudentius Ill. VOGLER (l. c. p. 73.) ſcrupulum eius dimidium aqua pauca ſolutum, cum pulveris, ſiue quae vulgo audiunt, ſpecierum tragacanthae, ex quo tamen ſemina oleoſa exulare debent, ſcrupulis duobus, et ſucci liquiritiae puri drachma in centum pilulas (*Pilulae alterantes*) amylo conſpergendas

gendas ſubigi, earumque pilularum, hauſtis inſuper lactis vel aquae meracae vnciis nonnullis, ter de die pro mali aegrotique alia atque alia indole, vnam, duas ad quatuor deglutiri imperat; ex mercurii ſublimati drachma vna cum aequali ſalis armoniaci portione aqua pauca diſtillata ſoluta, additis radicis altheae in puluerem contuſae drachmis nouendecim, et mellis albi puriſſimi drachmis ſex pilulas grani vnius confici ſuadent Viri Cl. SCHLEGEL et WIEGLEB (*Deutſches Apothekerbuch.* Gotha. 8. P. II. p. 486. 487.), cum rob ſambuci et extracto aconiti ac cicutae, et, ſi quidem roborantibus opus erat, cum extracto corticis caſcarillae et cinchonae in pilulas redactum omnibus aliis formis praefert (l. c.) NOSE, mercurium ſublimatum corroſiuum cum dupla argenti viui, vigecupla farinae et neceſſaria ſyrupi ex ſucco citri parati portione in pilulas redigi praecipit LE ROI (Mémoir. de la Societe de medecine à Paris. ad ann. 1777 et 1778.); ex ſex mercurii ſublimati granis terendo primo cum aequali portione ſalis ammoniaci et opii thebaici, tum cum ſaſſaparillae in puluerem contuſae drachma permiſtis, viginti quatuor formari pilulas, earumque per hebdomadem vnam deglutiri D. CIRILLO (l. c.); ſolutum aqua cum mica panis alba in pilulas conformant alii; ita J. GARDINER (l. c.) mercurii ſublimati grana quindecim aquae diſtillatae drachmis ſex ſoluta cum micae panis albiſſimae drachmis duabus et dimidia in pilulas 120 compingi, earumque, quae ſingulae mercurii illius octauam grani partem continent, mane et veſperi duas ad ſex vsque recipi iubet; ita Ill. THEDEN

 (*Neue*

(*Neue Bemerkungen und Erfahrungen zur Bereicherung der Wundarzneykunſt und Medicin.* Berlin und Stettin. 8. Vol. III. 1795. c. 1.) eadem ratione pilulas grana duo pondere aequantes confici iubet, quarum quinae vnum circiter mercurii ſublimati granum continent; harum pilularum, donec malum, cui opponuntur, ſuperatum ſit, mane et veſpere tres, et morbo iam deuicto, per tres mox inſequentes dies mane et veſpere duas, per tres hos excipientes dies mane et veſpere vnam, his elapſis radicem ialapae, tum per aliquod adhuc tempus mercurium gummoſum a PLENCKIO denominatum, mane et veſpere cochlear, ſorberi iubet, ita vt iis, qui ad ſanandum morbum trecentas pilulas ſumſerunt, octodecim mercurii gummoſi vnciis, qui ducentas ingeſſerunt, duodecim vnciis, qui octoginta ad centum vsque deglutierunt, ſex eius vnciis opus ſit.

Celebratiſſimae tamen inter has pilulas illae ſunt, quas primus Ill. CHPH. LUDOV. HOFMANN (l. m. c. et *von Scharbock* &c. p. 274 ſq.), et poſt eum ſua ipſorum experientia edocti FR. JACOBI (l. m. c.), H. CHAVET (*Vorſchlag zur gänzlichen Ausrottung der veneriſchen Krankheit.* Düſſeldorf. 1781. 8.), J. D. METZGER (Aduerſaria medica. Francof. ad Moen. 8. P. II. 1778.), Medici Lipſienſes (Comment. de rebus in ſcient. naturali et medicin. geſtis. Vol. XXVII. p. 95.) aliique commendarunt; hae (*Pilulae maiores* HOFMANNI) vero ita parantur, vt mercurii ſublimati corroſiui ſcrupulus dimidius aqua pauca perfectiſſime ſolutus, et cum micae panis triticei cum lacte parati ſerupulis decem aequa-

aequabiliſſime ſubactus in centum pilulas lycopodii ſemine conſpergendas configuretur, quae igitur ſingulae decimam grani partem mercurii ſublimati continent; harum pilularum tres, numero paulatim aucto, deglutiri iubent memorati modo medici.

At variae hunc quoque operandi modum premunt difficultates. Etſi enim pauciſſimam eamque bullientem recipias aquam, ſcrupulo dimidio penitus ſoluendo vix ſcrupuli ſedecim ſufficiunt, qui cum decem micae panis ſcrupulis ſubacti tenuem potius pultem, quam maſſam pilulis fabricandis aptam progignunt; quodſi, vt paulo ſpiſſior et huic fini magis apta euadat, ſuperfluum humorem leni calore abigas, facile, niſi leniſſimus ille ſit, et continua agitatione hic caſus praeuertatur, pelliculam tenacem in ſuperficie contrahit, quae vix aequabiliter cum reliqua maſſa commiſceri poteſt, et, quum potiſſimum mercurio ſublimato corroſiuo conſtet, hoc inaequaliter per omnem maſſam diſpertito, inaequalem quoque et facile periculoſam vim tribuere illi debet, et tametſi omni cura adhibita haec inaequalis mixtionis anſa praeſcindatur, vix tamen impetrare poteris, vt pilulae hae, quarum tenacitas omnis a mica panis pendet, ſueto modo paratae, pondere aequales prodeant, idem ſemper mercurii ſublimati pondus contineant (C. MOENCH *Bemerkungen über einige einfache und zuſammengeſetzte Arzneymittel.* Frankfurt und Leipzig. 1781. 8. p. 30-33). Inde tibi explices, quare v. gr. PATEL (l. c.) ab his pilulis facilius longe ventriculi dolores, adeo inflammationes naſci, expertum ſe eſſe

 profi-

profiteatur, quam quidem a mercurio ſublimato liquida forma adminiſtrato, quare Cl. DE MERTENS (l. c. p. 100.) earum vſum tanta viderit inſequi ventriculi et inteſtinorum tormina, tot hypercatharſes, vt omnes medicos obſecret ipſarum vſum ceu periculoſiſſimum reiicere.

Alterum incommodum illud eſt, quod paulo diutius aſſeruatae adeo indurentur, vt in ventriculum detruſae, niſi forte magna liquorum copia repletum, integrae adhuc in inteſtina tranſeant, et, vel in horum liquidis ſolutae, grauia excitent tormina, vel, quod quidem P. F. MECKEL et G. GUIL. SPONITZER (diſſ. de morbo venereo. Hal. 1788. 8.) obſeruaſſe ſe teſtantur, intemeratae, et nullo plane effectu praeſtito ano iterum exeant. Quocirca haud mireris, aliquando (v. Comment. de rebus in ſcient. natural. et medic. geſtis. Vol. XXVII. p. 95.) nihil plane effeciſſe has pilulas, et militem dimachum haſſiacum a quadringentis eiusmodi pilulis duorum dierum ſpatio deglutitis ne minimum quidem malum perpeſſum fuiſſe (C. MOENCH *ſyſtematiſche Lehre von den Arzneymitteln.* p. 233). Vomitu interdum eiici monuit Ill. BALDINGER (hiſtor. mercur. medic. Caſſell. 1785. 4. p. 21).

Palato adhuc magis arridentem formam elegit J. C. LE FEBURE, qui (méthode familière pour guérir les maladies vénériennes, avec les recettes des remedes, qui y ſont propres. Paris. 1773. 12. Médecin de ſoi-même, ou méthode ſimple et aiſée pour guérir les maladies vénériennes. Paris. 8. Vol. I. 1775. et Journal de medecine, chirurgie, phar-

macie

macie &c. T. XLI. 1774. Jun. art. 3. p. 547 ſq.), periculoſo ſane conſilio, illum frumenti ſpiritu ſolutum cum paſta, ex qua ſuccolada paratur, nullis tamen aromatibus condita, et balſamo peruuiano ſaccharo excepto in vaſe porcellano rite ſubigi, et in tabulas formari iubet, quae ſingulae mercurii ſublimati granum vnum continent. Harum tabularum vnam in quatuor portiones diuiſam vt de die cum aqua vel lacte coctam ſorbeant, aegrotis imperat.

Alii, vt ancipitem mercurii ſublimati corroſiui acrimoniam potentius infringerent, ad alia confugere artificia. Fuere, qui in ea mercurii ſublimati corroſiui vulgo venalis parte, quae a repetitis per aquam feruidam peractis elotionibus haud diſſoluta ſupereſt, ſua indole ad mercurium dulcem propius accedens, remedium mitius et magis tutum inueniſſe ſe, ſibi perſuadebant, vt alios ſupra iam recenſitos modos, illud mitigandi, taceam.

Alii denique (VAN WY Verhandeling over eene byzondere bereiding en gebruik van het bytende ſublimaat in de venusziekte door proeven onderzogt en beveſtigt, beneffens eenige aanmerkingen omtrent de gonorrhoea en andere druiping, die zonder veneriſche beſmetting kan ontſtaan. Amſterd. D. II. 1777. et BRUGNATELLI giornale per ſervire alla ſtoria ragionata della medicina di queſto ſecolo. Venezia. 4. T. IV. 1787. art. 6.) mercurium ſublimatum corroſiuum cum puriſſimo vini ſpiritu coqui, continue agitando cum ſpatula ferrea accendi, easque artes aliquoties iterari iubent; vocant ita immutatum *mercurium ſublimatum corroſiuum*

 aduſtum,

aduſtum, colore flaueſcente ab intemerato facile diſtinguendum, et manifeſte ex mercurio ſublimato corroſiuo et mercurio dulci conflatum, ita vt, ſi ſex eius vnciae in pollen comminutae aquae diſtillatae feruidae immergantur, vna earum indiſſoluta in fundo ſubſidens, veram mercurii dulcis indolem prae ſe ferat.

Princeps malum, in quo debellando, BASILIO VALENTINO (l. c.) iam aſſerente, inſignem efficaciam praeſtitit internus mercurii ſublimati corroſiui vſus, eſt virus venereum, quemadmodum numeroſiſſima in Sibiria (J. G. GMELIN et GEORGI ll. cc.), Ruſſia (S. G. GMELIN et SANCHEZ ll. cc.), Polonia DE LA FONTAINE l. c.), Suecia (HALLMANN, AD. MURRAY, AURIVILLIUS, BIERCHEN et ROSENSTEIN ll. cc.), Belgio (BLANCAARD, P. HERMANNO, BOERHAAVE, VAN WY, MUNNIKS ll. cc.), Britannia (WISEMANN, TURNER, BROCKLESBY, D. MONRO, BAYLIES, A. GORDON, J. CLEPHANE, G. HASTIE, R. DAVIES, J. BARKER, R. MILLAR, G. FR. BOYD, AL. RUSSELL, G. MACAULAY ll. cc.), Hiſpania (Litt. G. van SWIETEN ad J. BENEVENUTO ap. EHRMANN l. c. p. 34.), Italia (della BONA, CALVI, CREN, D. CIRILLO, GALLO ll. cc.), Heluetia (GIRTANNER l. c. III. p. 622.), Gallia (LIEUTAUD, DE HORNE, GARDANE, CÉZAN, LE BEGUE DE PRESLE, COLOMBIER, DAZILLE, LE FEBURE, BOURRU, DARSSES, P. J. MACQUER et F. VICQ D'AZYR, LE MORE, TERRAS, EHRMANN, MOSEDER, ll. cc. NICOLAS manuel du jeune chirurgien. à Paris. 8. Nouv. edit. 1771. T. I. p. 582.), Germania (FR. HOFFMANN, van SWIETEN, A. DE HAEN, A. DE STOERCK, M. STOLL,

M. STOLL, LOCHER, J. J. PLENCK, COLLIN, TH. C. MEDICUS, HUNDERTMARCK, A. E. BÜCHNER et A. FR. STOCKHAUSEN, CHPH. BLACHKE, J. CHPH. BRUNS, LUDWIG, J. E. WICHMANN, P. E. HARTMANN et G. H. HARLÈMANN, LANGE, STOELLER, NOSE, HERZ, THEDEN, BERNSTEIN, MELLIN, MOENCH, BUCHHOLZ, CHPH. L. HOFMANN, RICHTER, ALTHOF, VOGLER, CHAVET ll. cc.), in Hungaria (OESTERREICHER l. c.) denique, capta pericula teſtantur.

Habet autem prae multis aliis id commodi mercurii ſublimati corroſiui vſus internus, quod raro per ſaliuam, crebrius per vrinam aut ſudorem (van SWIETEN Comment. Vol. V. p. 552.), aut per aluum operetur; adeo, vt qui bis terue de die aluum excernunt, obſeruante LOCHERO (l. c.) cum ſanitate citiſſime in gratiam redeant, quod diu etiam continuatus, modo cetera cautus (van SWIETEN Comment. V. p. 552.), nunquam noceat, nec (DE HORNE expoſition &c. c. 4.) debilitet, more aliorum ex argento viuo paratorum medicaminum, quod feminis tum grauidis (MACAULAY, CÉZAN ll. cc.), tum menſtruum ſanguinem fundentibus (van SWIETEN l. m. c.), tum ipſis infantibus (J. GARDANE l. c.), nullum periculum intentet, et caelo potiſſimum ſereno et miti auram liberam concedat aegris, eosque praeſertim, quos turpi hoc morbo laborare pudet, neque ab officii functione, neque ab amicorum conſortio, neque ab aulae, ſpectaculorum (van SWIETEN l. m. c. p. 553.) aliisue publicis delectationibus plane arceat, ideo in militibus (van SWIETEN l. m. c. p. 553. LOCHER, BROCKLESBY, A. GORDON, R. MILLAR, J. CLEPHANE, R. DAVIES,

R. DAVIES, J. BARKER, G. HASTIE, G. FR. BOYD, A. RUSSELL, R. DE HAUTESIERK ll. cc., HOTZ apud J. J. ZIMMERMANN obſeruation. quaed. practic. inprimis circa virtutem mercurii, extracti cicutae ac pulſatillae. Argent. 1779. 4. §. IV. p. 3 - 5.), nautis (G. M. eſſai ſur les maladies, qui attaquent le plus communement les gens de mer, contenant une methode courte et facile pour lès connoitre, les guérir, et même en préſerver &c. à Marſeille. 1766. 12. p. 105.), aulicis (van SWIETEN l. m. c.) ab eo malo liberandis familiaris. Ita LOCHERUS (l. c. p. 1 - 36.) ea medicina 4880 milites, inſignem hominum numerum tum in noſocomio, tum maxime per ciuitatem (Vindobonam) et ſuburbia hac aegritudine mulctatorum A. DE HAEN (l. c. II. p. 209. 210. 212. III. p. 217. IV. p. 239.); plurimos, pertinaciſſima et vlceroſa lue affectos, ſaliuae adeo profluuio largiſſimo per alias medicinas ex argento viuo paratas incaſſum tentatos, maximopere debilitatos A. DE STOERCK (l. c. II. p. 222. 223.) et D. CIRILLO (l. c. p. 129. 130.), peruicaciori morbo decumbentes GUIL. DEASE (obſervations on the different methods of treating the venereal diſeaſe. Dublin. 1781. 8.) et SCHWEDIAUER (l. c. c. 13. art. 3. p. 205.), multos ea labe affectos, Argentinae, Baſileae, Monſpelii SPIELMANN (apud J. FR. EHRMANN l. c. p. 45. 46.), multos ſiphyliticos BONA (l. c.), OESTERREICHER (l. c.), RICHTER (l. c. XI. p. 261.), ALTHOF (l. c. p. 88. 89.), VOGLER (l. c. p. 74.), BALDINGER (pharmac. Edinburg. p. 346. et ap. G. BICKER l. c. p. 8.), tres MARET (journal de medecine, chirurgie, pharmacie.

T. XLVIII. 1777. Nov. art. 2. p. 397.), quatuor GUERING (apud J. FR. EHRMANN l. c. p. 39.), tres ZIEGENHAGEN (ibid. p. 43. 44.), feminam HOTZ (ap. J. J. ZIMMERMANN l. c. §. VI. p. 6. 7.), puellam A. FR. STOCKHAUSEN (l. c. §. XXI. p. 32-34.), quosdam aegros FIELIZ (apud RICHTER l. c. V. p. 138-141.) ſaluauit; in Iaponia multos C. P. THUNBERG (Reſa vti Europa, Africa, Aſia, förrättad åren 1770-1779. Vpſal. 8. P. IV. 1793. p. 76.), inueterata lue mulctatum L. F. B. LENTIN (Obſeruat. medic. Cell. 8. Faſc. II. 1770. p. 16.), obſtetricem per feminam, cui manus auxiliatrices praeſtabat, infectam, PH. B. PETTMANN (Nov. act. phyſic. medic. Acad. Caeſ. Nat. Curioſ. Vol. III. ann. 1767. obſ. 96. p. 497).

Eandem medicationem approbarunt A. CASAMAJOR et L. CL. GUILBERT (quaeſt. med. An lui vénereae ſublimatum corroſiuum? Pariſ. 1767. 4.), et Medicus Anglus (Practical eſſays on medical ſubjects by a member of the royal college of phyſicians of London and Edinburgh. Lond. 1773. 8.), qui tamen opium et camphoram mercurio ſublimato adiicit.

Illam etiam praerogatiuam prae reliquis ex argento viuo paratis pharmacis mereri nonnullis (v. gr. TERRAS l. c. CHPH. L. HOFFMANN l. m. c.) videtur mercurius ſublimatus corroſiuus, quod conſortio decoctae cum cortice cinchonae et ſtipitibus dulcamarae aquae ſtipatus labi venereae, cum ſcorbutica complicatae, quae alia mercurialia non admittit, medeatur, forſan eo quod maiorem acidi

in

in ſcorbuto tantopere efficacis (Vol. I. p. 53.), quam quidem multa alia argenti viui feracia medicamenta, copiam continet.

At non lues venerea modo ipſa, ſed numeroſae quoque eius propagines potenti huic remedio cedunt. Ita phthiſin veneream Ill. J. C. TODE (Collection. Societ. medic. Hafnienſ. Hafniae. 8. Vol. I. 1774. p. 171.), J. J. GARDANE (recherches pratiques ſur les différentes manieres de traiter les maladies vénériennes. p. 138.), BRILLOUET (l. c.), et D. CIRILLO (l. c. p. 130.) eius auxilio feliciter vicerunt. Ita illito ſimul frictionis ope vnguento ſaponato interno mercurii ſublimati cum camphora et decocto ligni ſaſſafras coniuncti vſu paralyſin brachii veneream fugauit LANGE (ap. J. L. SCHMUCKER *vermiſchte chirurgiſche Schriften.* Berlin und Stettin. 8. Vol. II. 1779.); alias moleſtias, quae aut ex veneno venereo ortum trahunt, aut poſt vſum aliorum ex argento viuo confectorum medicaminum remanent, TERRAS (l. c.).

In cutis morbis ex hac cauſſa prognatis admittit Ill. GIRTANNER (l. c. I. p. 364.), efficaciſſimum praeſertim inuenere mercurium ſublimatum corroſiuum GUERING, ZIEGENHAGEN, TERRAS, DE HORNE, DEASE (ll. cc.), VOGLER (l. c. p. 74.), CHR. L. HOFFMANN (apud JACOBI l. c.), LE BEGUE DE PRESLE (l. c. p. 215.), D. MONRO (l. c. I. p. 265.), et alii medici (Practical eſſays on medical ſubjects &c. et BALDINGER pharmacop. Edinburg. p. 346.); in lichenibus eiusdem originis EVERS (ap. SCHMUCKER l. m. c.), neque ſolum in iis cutis morbis, qui a venerea

venerea labe progignuntur, ſed in aliis quoque (VOGLER l. m. c. S. AURIVILLIUS l. c. J. M. HOFFMANN diſſ. de mercurii ſublimati virtute in affectibus cutaneis. Argentor. 1766. 4.) diuerſae plane indolis, in ſcabie cruſtoſa (A. DE STOERCK l. c. I. p. 95.), in ſcabie farinacea (OTTMANN apud J. FR. EHRMANN l. c. p. 40.), in ſcabie humida (MOSEDER ibid. p. 42.), generatim in exanthematibus chronicis humidis, ſi praeſertim cum decocto ſaſſaparillae et mezerei coniungatur (Practical eſſays on medical ſubjects &c.), in lepra B. GOOCH (medical and chirurgical obſervations, as an appendix to a former publication. London. 1773. 8. p. 61.), in herpete (AMBR. HOSTY et J. COTTON, au herpeti licet non venereae ſublimatum corroſiuum? Pariſ. 1772.) eximiam exſeruit efficaciam.

Neque minor vis eſt mercurii ſublimati corroſiui in ſanandis vlceribus ex venerea cauſſa proficiſcentibus (van SWIETEN Comment. Vol. V. p. 549. A. DE HAEN l. c. III. p. 217. A. DE STOERCK l. c. II. p. 223. CHPH. L. HOFFMANN ap. JACOBI l. c. RICHTER l. c. XII. p. 476. LANGE ap. SCHMUCKER l. m. c. FIELIZ l. c. p. 139-141. DE HORNE examen des principales methodes &c. p. 36. et journal de medecine l. c. VOGLER l. c. p. 74.), neque in his ſolis medicandis ſubſiſtit eius virtus, ſed in aliis quoque vlceribus conſolidandis (Practical eſſays on medical ſubjects &c.) egregie ſe geſſit; vlceribus malignis iam oppoſuerat (l. c.) BASILIUS VALENTINUS; in vlceribus ſcrophuloſis, cancroſis, carioſis tractandis praeſtantiſſimum deprehendit eius vſum inter-

internum (l. c.) STOELLER; vlcera phagadaenica, adeo cancroſa ſcorbutica eo vſu ſanari expertus eſt WHYTT (Medical obſervations and inquiries by a Society of phyſicians in London. Vol. II. 1762. art. 14. p. 213.), vlcus labia et glandulas maxillares exedens, aliis medicaminibus praefracte reſiſtens TRIQUET (ibid. art. 31. p. 365.), vlcus teterrimum oris et narium partes externas internasque corrodens A. DE HAEN (l. c. II. p. 98-102. 210.), vlcera labiorum, narium, crurum peſſima IDEM (l. m. c. III. p. 217.), annoſas narium labiorumque eroſiones IDEM (l. m. c. IV. p. 240.), vlcus labii inferioris ad cancrum accedens CHPH. L. HOFFMANN (ap. JACOBI l. c.), vlcus ſcrophuloſum inueteratum BARATTE (*Sammlung auserleſener Abhandlungen zum Gebrauch practiſcher Aerzte.* St. 2. Leipz. 1774.), vlcera impura et cacoethea omnis generis VOGLER (l. c. p. 74.), vlcera crurum refractaria, in Weſtphalia endemia J. D. METZGER (Aduerſ. medic. P. II.), crurum aliarumque partium vlcera medelam omnem diu renuentia J. FRID. GUIL. NEU (obſeruation. medico-practic. et chirurgic. Goetting. 1776. 4., obſ. 16. p. 20. 21.), narium praeſertim vlcus foediſſimum, ozaena medicis nuncupatam, tum externo eius vſui ceſſiſſe HUNDERTMARK (progr. de ozaena venerea. Lipſ. 1758.), tum interno praeſertim FR. A. MEYER (de ozaena commentatio ad Vir. Ill. MEDERER. Hamburg. 1785. 8.), veneream praecipue VOGLER (l. c. p. 75. 77.).

In cancro debellando decantatus potiſſimum fuit internus mercurii huius ſublimati vſus (BALDINGER pharm. Edinb. p. 346), primo harum laudium auctore

SANCHEZ,

SANCHEZ, qui litteris ad B. Patruum (ap. ACHAT. GAERTNER l. c. p. 5.) datis, cancrum naſi, ad oſſa huius partis, imo vicina iam progreſſum a medico quodam NITCH eius frumenti ſpiritu ſoluti trimeſtri vſu interno perfecte ſanatum fuiſſe refert; cancrum labii ſuperioris J. J. REICHARD (*Magazin für Aerzte.* 8. faſc. XI. 1778. p. 969.), cancrum oris B. GOOCH (medical and chirurgic. obſervations as an appendix to a former publication. Lond. 1773. 8. p. 146.), cancroſum linguae vlcus van SWIETEN (litter. ad BENEVENUTO datae, inſert. Comment. de rebus in ſcientia naturali et medicina geſtis. Vol. V. p. 718.), cancrum dolentiſſimum, labium ſuperius cum gingiuis reliquasque partes internas ad fauces vsque infeſtantem et febre lenta ſtipatum B. WILMER (Caſes and remarks in ſurgery. London. 1779. 8.), cancrum naſi eius auxilio ſuperauit ROWLEY (Seventy four caſes &c.); poſterior tamen quotidie ter octavam grani partem vna cum camphora et nitro aqua ſoluto, ſimul pilulam ex grano dimidio mercurii dulcis et aequali portione ſulphuris aurati antimonii conflatam propinauit, et extrinſecus fumum argenti viui applicuit.

Inſignem quoque exercet potentiam in ſananda oſſium carie, potiſſimum quidem venerea, quam videlicet experti ſunt L. FR. B. LENTIN (l. m. c.), J. FR. KNOLLE (diſſ. de oſſium carie venerea. Lipſ. 1763.) et VOGLER (l. c. p. 74.), vt tamen externo ſimul argenti viui vſu opus ſit (DE HORNE journal de medecine &c. l. c.); at in aliis quoque oſſium morbis ex alio fonte oriundis (BALDINGER pharmacop. Edinb. p. 346.) eximiam

 opem

opem praeſtitit; cariem in dorſo carpi poſt variolas natam eo remedio ſuſtulit Ill. J. D. METZGER (l. m. c.), cariem oſſium artuum ſuperiorum, oſſium iugalium, oſſium tarſi et metatarſi Cl. FR. GUIL. NEU (l. c. obſ. XIII-XV. p. 17-20).

Tumores quoque venereos, ſiue oſſium (VOGLER l. c. p. 74.), ſiue partium molliorum, praeſertim glandularum, et potiſſimum quidem inguinalium, hac medicatione citra omnem ſenſibilem euacuationem euaneſcentes comperit A. DE STOERCK (l. c. II. p. 222.), aſſentientibus quoque aliis, praeſertim DE HORNE (l. m. c. p. 56.), qui tamen in hac virus venerei ſobole diſſipanda minus potentem ſe gerere (journal de medécine &c. l. c.) aſſerit; tumorem genu vlceribus ſcatentis pertinaciſſimum, ex virus venereo natum, prouido et ſtabili mercurii ſublimati vſu interno feliciter ſuperauit (l. c.) FIELIZ; tumores oſſa femoris, cubiti, frontis defoedantes MOSEDER (l. c. p. 40. 41.), clauiculas, ſternum, oſſa innominata, humeri, frontis infeſtantes ZIEGENHAGEN (l. c. p. 44.); debilius in his ſanandis operari, quam in aliis morbi venerei ſequelis aſſeuerat DE HORNE (l. m. c.).

Glandularum quoque tumores, etiam pertinaces, niſi inflammatorios (DE HORNE l. m. c.), ex alia longe cauſſa natos, huic remedio obtemperare obſeruauit B. SPIELMANN (apud J. FR. EHRMANN l. c. p. 45.) in virgine, cui iam inde ab aliquot luſtris glandulae ab auribus vsque ad clauiculas ſitae induratae intumuerant. Idem ille (l. m. c. p. 44.), aeque ac MOSEDER (ibid. p. 42.), eiusdem auxilio

puerum

puerum a ſcrophulis per omne corpus diſſeminatis liberauit; eandem efficaciam monſtrauit hic mercurius corroſiuus Cl. HOTZIO (apud J. J. ZIMMERMANN l. c. §. VII. p. 7. 8.) in puero decenni poſt variolas confluentes ſcrophulis per totum corpus obſeſſo; plures aegros ſcrophulis affectos eius ope ſanauit LOYAUTÉ (Mémoir. de la Societé de medecine à Paris, ad annos 1777 et 1778.); ſpe tamen ſua excidit, huic morbo oppoſiturus mercurium ſublimatum Cl. METZGER (l. m. c.).

In ſcirrhis diſcutiendis valde vtilem inuenit mercurium ſublimatum corroſiuum M. AKENSIDE (Medical Transactions, publiſhed by the College of Phyſicians in London. London. 8. Vol. I. 1768. art. 6. p. 70.); neque repugnat Cl. DE HORNE (expoſition &c. p. 4.), niſi in iis, qui in cancrum mox degeneraturi ea medicatione potius exacerbantur.

Multum porro praeſtat in phymoſi, et paraphymoſi (DE HORNE journal de medecine &c. l. c.), in fluore albo et gonorrhoea venereis, quantum quidem, vt ſanentur, argentum viuum et praeparata ex eo medicamenta poſcunt (A. DE HAEN l. c. III. p. 217. DE HORNE l. m. c.); feminam fluore albo maligno laborantem, aliis remediis per plures menſes incaſſum tentatis, hoc pharmaco ſeptem dierum ſpatio ab iſto malo liberauit OTTMANN (apud J. FR. EHRMANN l. c. p. 39.), iuuenem a ſuppreſſa praepoſtere gonorrhoea ſymptomatibus dolentiſſimis, et difficili praeſertim deglutitione infeſtatum, menſis ſpatio MOSEDER (l. c. p. 43. 44.); vtiliſſimam praedicat in teſtium tumoribus diſcu-

tiendis, et gonorrhoea ſuppreſſa reſuſcitanda, inflammationem autem et reliqua ſymptomata exaſperare, ſi in recenti gonorrhoea adhibeatur, teſtis eſt J. WATHEN (practical obſervations, concerning the cure of the venereal diſeaſe by mercurials. Lond. 1765. 8. p. 44.).

Mirifice porro prodeſt mercurius ſublimatus corroſiuus intus exhibitus in oculorum morbis ex labe venerea natales ſuos trahentibus. Opacitatem corneae et ipſius lentis cryſtallinae, ab ophthalmia venerea male curata ſuperſtitem, octodecim menſium ſpatio eius ope ſuſtulit B. VAN SWIETEN (medical obſervations and inquiries by a Society of phyſicians in London. Vol. II. 1762. art. 15. p. 232.); ſimiliter corneae opacitates (l. c. III. p. 217.) ſaepe diſpulit eodem remedio A. DE HAEN; pannum oculi ex venerea origine natum, trium menſium ſpatio IDEM (l. c. II. p. 211.), amauroſin, poſt morbum venereum natam J. FR. CONSBRUCH (Nov. act. Ac. Caeſ. Nat. Curioſ. Vol. V. 1773. p. 85.), ophthalmiam veneream VOGLER (l. c. p. 74.), et ROWLEY (treatiſe on the principal diſeaſes of the eyes. Lond. 1773. 8.); ſed in aliis quoque oculorum vitiis ab omni venerea labe alienis efficaciſſimum expertus eſt LOCHER (l. c. p. 30.); ophthalmiam inueteratam neutiquam veneream B. GOOCH (Caſes and practical remarks in ſurgery. Ed. II. 8. 1767. p. 50.), caecitatis ſpeciem incipientem IDEM (l. m. c.), aliam ex leui palpebrarum inflammatione ſenſim obortam periodicam IDEM (l. c. p. 52.), pannos A. DE HAEN (l. c. III. p. 217. IV. p. 240.) et LOCHER (l. c.), albugines A. DE HAEN (l. c. II. p. 210. 211. IV. p. 240.)

p. 240.) et LOCHER (l. c.), amauroſin incipientem A. DE HAEN (l. c. IV. p. 240.), conſummatam adeo WARE (Memoirs of the medical Society of London, inſtit. in the Year 1783. Lond. 8. Vol. III. 1792.) eius ope diſpulerunt, et poſterior quidem ita proceſſit, vt per menſis et paulo longius adhuc temporis ſpatium quotidie quartam grani partem vncia dimidia ſpiritus vini ſolutam cum iuſculo ex farina ſagu parato aegroto porrigeret.

Ipſam cataractam eius adiumento ſuperatam refert LOCHER (l. c.), trecentis aut quadringentis pilulis ad HOFFMANNI normam fabricatis, interpoſitis laxantibus antiphlogiſticis, non incipientem modò ſed conſummatam fere cataractam, ſaepius diſcuſſam, lentem cryſtallinam claram, viſumque redditum fuiſſe VOGLER (l. c. p. 75.); diuturno vſu mercurii ſublimati corroſiui (grani vnius aut duorum), vna cum tartaro emetico (aequali portione), et nitro depurato (drachmis duabus) aqua roſarum (vnciis octo) ſoluti, cuius ſolutionis quotidie ter cochleare aegroto exhibendum curauit, ſaepius cataractam ſanatam G. ROWLEY (treat. on one hundred and eighteen principal diſeaſes of the eyes and eyelids. London. 1790. 8.). In gutta ſerena deſperata incaſſum tamen tentauit eius vſum A. DE HAEN (l. c. III. p. 218).

In nonnullis ſurditatis ſpeciebus A. DE HAEN (l. c. III. p. 217.) beneficam eius vim expertus eſt; in arthritide venerea, etiam inueterata IDEM (l. c. II. p. 211. 212.) et VOGLER (l. c. p. 74.); rheumatiſmos de latente labe venerea ſuſpectos eius ope diſſipatos vidit Ill. HILDEBRANDT (l. m. c. §. 21. p. 65.

p. 65. 66.), vt tamen opium adderetur; rheumatiſmos cum arthritide iunctos b. VOGEL (aphoriſm. de cognoſcend. et curand. praecip. corp. human. affectibus. Goetting. 1772.), rheumatiſmum coxae vel maxime rebellem Ill. LENTIN (Memorabilia circa aërem &c. Clausthalenſium. Goetting. 1779. p. 124.) et auctor libri (Practical eſſays on medical ſubjects &c.), rheumatiſmum a tranſpiratione ſuppreſſa natum, et nullis aliis cedentem remediis, Cl. BONA (l. c.) hoc pharmaco fugarunt.

Hydropem ipſum, quem, ſi hac medicatione non euaneſcat, nulli alii ceſſurum contendit, mercurio ſublimato corroſiuo oppugnat N. D. FALCK (l. c.), ea ratione, vt granum eius vnum, vna cum nitri vncia et ſaccharo, quantum opus eſt, vt ſapor gratus euadat, in coctis cum radicis petroſelini recentis et mellis vtriusque vnciis tribus aquae communis vnciis ſedecim ſoluat, et ſaporis gratia adhuc pauxillum vini canarienſis addat.

Febribus intermittentibus iam MAYERNII aeuo oppoſitus fuit mercurius ſublimatus; ille enim (tract. de febribus c. 4. p. 72.) afferit, conſtituere partem pulueris antifebrilis, a quodam POTS denominati; et reuera febrem quartanam cortici cinchonae ſoli non cedentem, eius cum mercurio hoc ſublimato connubio iugulauit Ill. M. HERZ (*Briefe an Aerzte.* Berlin. 8. Samml. II. 1784. Br. 4. p. 102).

In morbo Americae calidiori eique oppoſitis inſulis endemio Yaws Anglis, Pian vel Epian Gallis dicto multum valere teſtatur FR. ALLAMAND (Nov. act Acad. Caeſ. Nat. Curioſ. T. IV. 1770. obſ. 23. p. 87.).

p. 87.), contradicente tamen experto G. GUIL. SCHILLING (diatrib. de morbo in Europa pene ignoto, qnem Americani vocant Yaws. Vltraj. 1770. 8.).

Vena Medinenſi infeſtatos mercurii ſublimati frumenti ſpiritu ſoluti vſu ita ſubleuari, vt multo facilius et breuiori temporis ſpatio extrahi poſſit filaria, perhibet GALLANDAT (journal de medecine, chirurgie, pharmacie &c. T. XII. 1760. Januar art. 4. p. 24.), nihil auxilii tuliſſe AD. FR. LOEFFLER (*Beyträge zur Arzneywiſſenſchaft und Wundarzneykunſt.* Leipzig und Altona. 8. P. I. 1791.).

Vermes inteſtina vellicantes eo pharmaco oppugnauit (l. c.) BRUAND, taeniam adeo expulit (l. c. p. 40.) OTTMANN.

Mercurius corroſiuus albus fortior (HOPE in ſua editione libri ALSTONIANI: Lectures on the materia medica, containing the natural hiſtory of drugs, their virtues and doſes. London. 1770. 4.), mercurio ſublimato corroſiuo vulgari vtique acrior et potentior, natus ex argento viuo primo in acido nitri ſoluto, ex hoc per alcali volatile praecipitato, denuo in ſalis communis acido ſoluto, et in cryſtallos redacto, vt igitur iisdem conſtet principiis, ex quibus mercurius ſublimatus corroſiuus conflatur, eo tamen cum diſcrimine, quod maior ei inhaerere videatur acidi portio.

Quare haud mireris, fortius adhuc ſtimulare, et validius adhuc per lotium et ſudores operari; ideo neque omnibus conducere, quibus argentum viuum prodeſt, neque ob minorem longe, quam huius continet, copiam omnibus nodis ſoluendis

parem eſſe, quibus ipſe vulgatus ille mercurius ſublimatus cum ſucceſſu opponitur.

Exhibetur autem a nonnullis ita, vt granum eius ſoluatur aquae diſtillatae vncia, eiusque ſolutionis propinentur guttae triginta.

Remedium Tibetanum (SAUNDERS Philoſophical Transact. Vol. LXXIX. ad ann. 1789. P. I. p. 109.), ſimile pharmacum ex mercurio in calcem conuerſo, et tum ſulphuri, tum acido cuidam nupto conflatum, Tibetanis in ſanandis morbis venereis familiare. Conficitur vero ex alumine, nitro, cinnabari et argento viuo, quae omnia accurate permiſta artifices ollae immittunt, altera minore inverſa et firmiter agglutinata olla tegunt, in olla maiori focum ſubſternunt, eumque per quadraginta temporis minuta alunt; quo facto et refrigeratis iterum vaſis, quod minori ollae intus adhaeret, eximunt, et cum prunorum vel dactylorum pulpa in pilulas conformant, quarum binas aut ternas deglutiendas aegrotis exhibent.

Liquor mercurii ſecretus (J. C. GMELIN commerc. litterar. Noric. ann. 1733. hebd. 25. p. 194. 195.), quamquam a mercurio denominatus, vix tamen aliquid argenti viui continet; paratur enim, ſoluendo mercurii ſublimati vncias quatuor aceti diſtillati vnciis duodecim, acetum leniſſimo igne per diſtillationem iterum ſeparando, ſicco reſiduo infundendo ſpiritum vini rectificatum, vas, quo continetur, exactiſſime clauſum per quatuor hebdomades leni calori committendo, liquoris plurimam partem denuo per diſtillationem leniſſimo calore peractam abſtrahendo, liquorem, qui tranſiit, denuo

denuo reſiduo adfundendo, per tres dies continuos leni calore fouendo, et denique leniſſimo diſtillationis igne abſtrahendo.

Hic liquor duorum, trium et quinque guttarum praebio omnia tam externa, quam interna vlcera, ſiue in collo, ſiue in veſica vrinaria, ſiue in renibus, ſiue in vtero obuia, mirum in modum perſanare traditur.

Tinctura hydrargyri (A. LIBAVIUS alchemia. Francof. 1597. 4. p. 285.), parum quoque argenti viui continere videtur, in lue venerea et podagra ad guttas tres exhibita. Paratur enim infundendo hydrargyro nitrato oleum vitrioli fuſcum, illudque per diſtillationem toties iterum ſeparando, donec reſiduum rubeſcat, huic reſiduo vini, quod appellant, alcohol affundendo, iteratis vicibus per diſtillationem abſtrahendo, denuo affundendo, et paulisper inſpiſſando.

Pilulae magneticae Oſtii, a medico caeſareo aulico J. OST, qui eas inuenit, diuendit, et non in morbo tantum venereo, ſed et in gonorrhoea, etiam neglecta et retropulſa, in morbo iſchiadico, podagra, aliis arthritidis generibus, melancholia, mania, chloroſi, febribus quartanis et aliis debellandis mira praeſtare gloriatur, denominatae, teſte Ill. TROMMSDORF (*Journal der Pharmacie für Aerzte, Apotheker und Chemiſten.* Vol. II. faſc. 2. 1795. p. 86-98.) praeter extractum quoddam vegetabile ($\frac{13}{20}$), et reſinam ($\frac{3}{20}$) calcem mercurii ($\frac{1}{5}$) continent, cui potiſſimam virtutis, quam in malo venereo medicando exercent, partem debere videntur.

INDEX

INDEX
RERVM ALPHABETICVS.

A

Acetas hydrargyri. 232.
Aethiops
  abſorbens. 123.
  alcaliſatus. 123. 124.
  alcalizatus. 123.
  antimonii. 132.
  antiphthiſicus. 114.
  antirheumaticus. 115.
  antiſcorbuticus. 114.
  auripigmenti. 132.
  diureticus. 114.
  iouialis. 132.
  mercurialis. 117 – 132.
  mineralis. 117 – 132.
    apyrus. 125.
    auratus. 133.
    empyrus. 125.
    per ſe. 145.
    ſine igne paratus. 125.
  narcoticus. 131.
  per ſe. 145.
  peruuianus. 114.
  purgans. 114. 115.
  ſaccharatus. 116. 117.
  tartariſatus. 227.
Amalgama. 7. 140. 141.
  ferri. 141.
  plumbi. 140.
  ſtanni. 140. 141.
Aqua aloëtica mercurialis Zwelfferi. 265.
  aluminoſa. 265.
  argentea. 1.
  cauſtica. 147.
  coſmetica
    Mynſichti. 163.
  cum mercurio cocta. 71 – 73.
  diuina Fernelii. 263.
  griſea. 237.
  mercurialis. 239. 252 – 256.
    ad vſus externos. 265.
    pro ſcabioſis. 204.
    Rulandi. 147.
Aqua
  mercuriata. 265.
  metallorum. 1.
  phagadaenica. 263.
  ſicca. 1.
Aquila
  alba. 182.
  celeſtis. 168.
Arcanum
  corallinum. 156 – 158.
    Paracelſi. 156.
    Zwelfferi. 144.
  Maradant. 268.
  Nicole. 123. 261.
Argentum
  fuſum. 1.
  liquidum. 1.
  mobile. 1.
  viuum. 1.
Ἄργυρον
  χυτόν. 16.
Aurum
  horizontale. 159.
  vitae. 142. 143.
Azoph. 1.
Azoth. 143.

B

Balnea. 259.
Bolus
  ad necandos pellendosque lumbricos Zapatae. 116.
  caeruleus. 116.
  catharticus. 222.
  mercurialis. 200. 222.

C

Calces mercurii. 145 – 224.
Calcinatum maius. 162.
Calomel. 187.
Calomelas. 187.
Calx
  mercurii. 237.
    rubra. 146.

Cathar-

INDEX.

Catharticum minerale. 162.
Cerata mercurialia. 102–104.
Ceratum
mercuriale. 104. 151.
ſimplex. 104.
Chamaeleon minerale. 1.
Cinnabaris. 133–139.
antimonii. 139.
caerulea. 139.
factitia. 137–139.
natiua. 136. 137.
Corallinum album Libauii. 182.

D

Draco mitigatus. 182.

E

Eau
de Belloſte. 237.
fondante. 264.
vegetale
mercurielle. 229.
Elixir antiſyphiliticum. 160.
Emplaſtra mercurialia. 102–107.
Emplaſtrum
ad clauos pedum. 152.
ad tophos venereos. 102. 103. 147. 178.
antiuenereum
Zwelferi. 239.
cicatricem inducens. 103.
commune
cum mercurio. 103.
de cinnabari. 135.
de ranis
cum mercurio. 103. 104. 239.
ex ammoniaco
cum mercurio. 106.
febrifugum. 135.
Enemata. 260.
Eſſentia
mercurialis. 225.
Charras. 239.
Exſtinatio. 79.

F

Flores
ammoniaco–mercuriales. 139.
argenti. 172.
ſalis ammoniaci
aethiopici. 133.

Fumigationes
mercuriales. 75–79. 136.

G

Gâteaux toniques mercuriels. 181.
Gouttes
du General Lamotte. 160.
glaciales helvetiques. 268.
Guttae
albae Wardii. 227.
Lamottianae. 160.
mercuriales Langhanſii. 268.

H

Hercules Bouii. 142.
Hydrargyroſis. 83.
Hydrargyrum. 1.
acetatum. 232.
nitratum. 5. 237.
cinereum. 171.
phoſphoratum. 173. 235.
ſalitum. 242.
tartariſatum. 227.
Hydrargyrus. 1.
muriatus
mitiis. 181.
ſublimatis. 242.

I

Illuſor chymicorum. 1.
Impoſtor chymicorum. 1.

L

Lac mercuriale. 162.
mercurio tinctum. 73–75.
Lacerta viridis. 144.
Laudanum
minerale. 157.
corroſiuum. 242.
Lauemens
antiueneriens. 260.
mercuriels. 260.
Linimentum
ad ſerpiginem. 264.
mercuriale
pſoricum. 165.
Liqueur
fondante
de M. Diemert. 231.
Liquor
exfoliatiuus
Bellottii. 237.

Liquor

Liquor
fundamentalis. 241.
mercurialis
Plenckii. 119.
mercurii
ſecretus. 312. 313.
viui Mynſichti. 237.
mundificans. 266.
ophthalmicus. 251.
ſiphyliticus. 287.

M

Malleus metallorum. 242.
Manna
mercurii. 144. 162. 168. 189.
metallorum. 182.
Medicamentum Geruaſii. 123.
Mercurius. 1.
alcaliſatus. 123. 124.
auratus. 159.
benzoinus. 175.
calcinatus. 146.
ruber. 148.
cinereus. 190.
Blackii. 171.
corallatus. 155.
corallinus. 157.
corroſiuus.
albus fortior. 311. 312.
ruber. 224.
cosmeticus. 162. 163.
deiectorius. 172.
diaphoreticus. 142 - 144.
Kenelmi Digbaei. 140.
dulcificatus. 173.
dulcis. 169. 181.
martiatus. 142.
ſolaris. 144.
emeticus flauus. 176.
fixatus. 133.
gryſeus. 168.
gummoſus. 117 - 123.
incarnatus praecipitatus. 173.
laxatiuus. 176.
mellitus. 111 - 113.
niger. 190.
nitroſus. 240.
oxydatus. 145.
per ſe praecipitatus. 143.
phoſphoratus. 173. 235.
phoſphoreus. 173.

Mercurius
praecipitatus. 146. 170.
albus. 6. 162 - 171.
dulcis. 169. 170.
antiuenereus. 159.
cinereus. 190.
dulcis. 190.
flauus. 176.
fuſcus. 172.
niger. 145.
per ſe. 143.
ruber. 5. 146. 148.
ſolaris et lunaris. 142.
viridis. 144.
ſaccharatus. 116. 117.
ſolubilis. 160. 161.
ſublimatus. 242.
corroſiuus. 242.
aduſtus. 181.
aibus. 7. 242.
cryſtallinus et celeſtis. 242.
dulcis. 181.
purgans. 181.
ruber. 224.
rubeus non corroſiuus. 156.
ſulphuratus. 124.
tartariſatus. 227.
liquidus. 229.
terebinthinatus. 110.
tricolor. 5. 224.
vnguinoſus. 80.
violaceus diaphoreticus. 139.
Pariſienſium. 140.
virgineus. 11.
viuus. 69 - 71.
Methodus deriuatoria. 40.
Mixtura mineralis. 288.
Morſuli contra vermes. 128.
Murias hydrargyri
corroſiuus. 242.
mitis. 181.

N

Nitras hydrargyri. 237.
mercurii. 5.

O

Oleum mercurii ad verrucas et clauos pedum. 266.

P

Panacea. 133.
  Anwaldina. 135.
  de la Vigne. 142.
  mercurialis. 167. 187. 189.
    nigra. 133.
    rubra. 158.
  mercurii albi vulgaris. 162.
  Quercetani. 182.
Panchymagogum minerale. 182.
Phoſphoras mercurii. 173.
Pilulae
  ad gonorrhoeam. 201.
    virulentam. 201. 202.
  aethiopicae. 111. 131.
  alterantes. 292.
    Plummeri. 201.
  anthelminticae. 202. 228.
  Barbaroſſae. 111. 112.
  Bellottii. 112.
  catharticae. 202.
  de cambogia. 222.
  ex mercurio gummoſo. 112. 113.
  Keyſeri. 232.
  magneticae Oltii. 147. 313.
  maiores Hofmanni. 294.
  mercuriales. 108 – 115. 202.
    laxantes. 114.
    mellitae. 113.
  Plummeri. 202.
  rubrae. 202.
Praecipitatum. 146.
  album. 162.
  nobile. 155.
Praecipitatus albus
  Cloſſaei vomitiuo – cathar-
    ticus. 170.
  communis. 162.
  correctus. 173.
  diaphoreticus. 158.
  dulcis. 148.
  luteus. 172.
    diaphoreticus. 172.
  ruber. 146.
  ſolaris. 142. 143.
    regulinus ſ. diaphoreticus.
      142.
Proteus. 1.
Puluis
  abſorbens. 134.
  ad vermes. 219.
  antepilepticus Dolaei. 221.
Puluis
  antifebrilis Pots. 310.
  antiſpaſmodicus. 134.
  arthriticus. 134.
  cathaereticus pro oſſibus. 149.
  cephalicus. 134.
  confortans. 134.
  contra vermes. 219.
  epilepticus. 134.
  hydrargyri ſaccharatus. 176.
  hypnoticus. 132.
  mercurii cinereus. 171.
  mineralis. 130.
  praecipitans. 134.
  principis. 158.
  roſae vitae. 173.
  temperans. 134.
  Tunchinenſis. 131.

Q

Quinteſſence venerienne du Sieur
  Mollet. 227.

R

Remedium tibetanum. 312.
Roob antiſyphiliticum D. l'Affecteur
  242. 268.
Rotulae
  ad vermes. 220.
  aduerſus lumbricos. 220.
  contra vermes. 128. 220.
  laxatiuae. 222.

S

Sal Alembroth. 226.
  mercuriale
    ferreum liquidum. 141.
  phoſphoricum mercuriale. 173.
  ſedatiuus mercurialis. 175.
Seruus fugitiuus. 1.
Solutio mercurialis. 288.
    balſamica. 119.
    gummoſa. 119.
    ſimplex. 119.
  mercurii corroſiui. 286.
    in acido. 231.
    ſublimati ſpirituoſa 287.
Specificum
  cephalicum Michaëlis. 134.
  Cloſſii contra taeniam. 218.
Spiritus mercurialis. 225.
    vini mercurialis. 287.

Subli-

Sublimatum corroſiuum. 242.
Sulfure de mercure. 124.
Sulphuretum hydrargyri. 124. 152.
Syrupus mercurialis. 121.
Belleti. 240 – 242.
vegetalis Velnoſii. 242.

T

Tabellae
anthelminticae. 220.
pro vermibus. 220.
purgantes. 222.
Terre feuilletée mercurielle de Fourcy. 232.
Tinctura
antiuenerea Molleti. 227.
hydrargyri. 313.
mercurialis Garayi. 225.
mercurii ſublimati corroſiui. 288.
Tragea Keyſeri. 232.
Trochiſci
anthelmintici. 220.
contra luem veneream. 136.
de minio. 263.
eſcharotici. 263.
hermetici Scretae. 220. 221.
mercuriales. 116.
Scretae. 221.
tonici mercuriales. 181.
Turbith minerale. 5. 176.
nigrum. 171.
Turpethum
minerale. 159. 176.
rubrum Zwelfferi. 159.

V

Vnguenta mercurialia. 80 – 102.
Vnguentum
ad pediculos. 96.
inguinales Scretae. 96.
ſcabiem. 96. 151. 164. 165.
antipſoricum
cum mercurio. 96. 97.
antiſyphiliticum. 97.
caeruleum fortius. 97.
mitius. 97.
citrinum. 238.
contra vermes. 97.
e mercurio praecipitato. 166.
enulatum cum mercurio. 98.
ſiue contra ſcabiem. 98.
epilepticum. 135.
mercuriale. 98 – 100. 173. 262.
ſimplex. 100.
terebinthinatum. 100.
mundificans. 101. 164.
neapolitanum. 101.
ophthalmicum Heckeri. 238.
pediculorum. 101. 102.
piacentinum. 150.
rubrum. 149.
veterinariorum. 102.

W

Ward's white drops. 227.

Z

Zabach. 1.
Zaibar. 1.